# DEFINITIONES,

## DIVISIONES, AC
## Regulæ ex Logica & Phyſica Ariſtotelis.



Digitized by Google

# DEFINITIONES, DIVISIONES, AC Regulæ ex Logica & Phyſica Ariſtotelis.

*IN GRATIAM STVDIOSORVM Philoſophicæ iuuentutis.*

## EX ISAGOGE PORPHIRIANA.

### *DEFINITIO ET DIVISIO Vniuerſalis.*

VNIVERSALE eſt quod de multis aptum eſt prædicari : vt, *homo* , *animal* , *album*.

Vniuerſale eſt quintuplex: Genus, ſpecies, Differentia proprium, & Accidens.

*Acceptiones Generis.*

1. Genus primo modo dicitur aliquorum hominum aggregatio , qui quidem ad vnum quidpiam & inter ſe habent reſpectum. Vt, *plures fratres reſpectu eiuſdem patris* ; item, *plures conterranei ad communem patriam relati.*

2. Genus ſecundo modo dicitur vniuſcuiuſque principium & ortus , tam ab eo qui genuit , quam à loco in quo eſt quiſpiam ortus. Vt *pater reſpectu filiorum; patria reſpectu hominum in ea natorum.*

3. Genus tertio modo dicitur id ſub quo ſpecies collocatur , vt , *animal* , *corpus*, *color.*

*Definitio Generis Logici.*

Genus eſt id quod de pluribus ſpecie differentibus hoc ipſo quid eſt prædicatur, vt , *animal* , *corpus* , *color.*

*Acceptiones Speciei.*

1. Species priori modo dicitur vniuſ-

Digitized by Google

cuiuſque forma; vt, *pulchritudo Ioannis, vel deformitas.*

2 Species poſteriori modo dicitur id quod ſub aſſignato genere collocatur, vt, *homo, animal, albedo.*

*Definitiones Speciei Logicæ.*

1. Species eſt id quod ſubiicitur generi, vt, *homo, &c.*

2. Species eſt de qua genus hoc ipſo quid eſt prædicatur, vt, *homo, &c.*

3. Species eſt id quod de pluribus differentibus numero hoc ipſo quid eſt prędicatur, vt, *homo, equus, albedo.*

*Definitiones Generis generaliſſimi.*

1. Genus generaliſſimum eſt, quod genus eſt, & non ſpecies, vt, *ſubſtantia, quantitas, &c.*

2. Genus generaliſſimum eſt, ſupra quod nullum aliud omnino genus tranſcendit, vt, *ſubſtantia, &c.*

Genera generaliſſima ſunt decem. Subſtantia, Quantitas, Qualitas Ad-aliquid, Actio, Paſſio, Vbi, Quando, Situs, & Habitus.

*Deſcriptiones Speciei ſpecialiſſimæ.*

1 Species ſpecialiſſima eſt, quæ ſpecies eſt, & non genus, vt, *homo, equus, albedo.*

2. Species ſpecialiſſima eſt, quę alias in ſpecies vllas diuidi nequit, vt, *homo, &c.*

3. Species ſpecialiſſima eſt, quę de pluribus differentibus numero hoc ipſo quid eſt prædicatur, vt, *homo, &c.*

*Definitio ſubalternarum.*

Subalterna genera, ſpeciéſque ſunt, quorum vnumquodque ſpecies genúſque eſt, non reſpectú tamen eiuſdem, ſed diuerſorum, vt, *animal, corpus animatum, corpus.*

*Regula Attributionum, ſiue Prædicationum.*

1. Genus ſemper de ſpecie prædicatur, omniáque omnium ſupera de inferis ſemper dicuntur; ſpecies verò neque de propinquo ſibi genere, neque de vllo ſupero prædicatur, vt, *Animal prædicatur de homine, non contra, &c.*

2. De quibus ſpecies prædicatur, de his & ſpeciei genus, & genus etiam generis vſque ad generaliſſimum neceſſariò prædicabitur, vt, *Quia Socrates eſt homo, ideo etiam Socrates eſt animal, & viuens, & corpus & ſubſtantia.*

3. Generaliſſimum de generibus & ſpeciebus ac indiuiduis omnibus prędicatur: genus autem quod eſt ante ſpecialiſſimam ſpeciem, de vniuerſis ſpecialiſſimis ac indiuiduis dicitur, & ſpecies ea quę eſt ſolum ſpecies, de omnibus indiuiduis prædicatur, & indiuiduum de vno ſolo particulari, vt, *ſubſtantia dicitur de corpore & ſpiritu, &c.*

*Definitiones Indiuidui.*

1. Indiuiduum eſt quod prædicatur de vno ſolo particulari, vt, *Ioannes, Petrus, hic homo.*

2. Indiuiduum eſt quod ex proprietatibus conſtat, quarum idem aggregatum nunquam in alio fiet. vt. *Ioannes, &c.*

*Diuiſio Indiuidui generatim ſumpti.*

Indiuiduum generatim ſumptum eſt quadruplex, determinatum ex nomine, determinatum ex demonſtratione; Indiuid. vagum, & Indiuiduum ex hypotheſi.

Indiuiduum determinatum ex nomine eſt nomen proprium alicuius rei, vt, *Ioannes, Petrus.*

Indiuiduum determinatum ex demonſtratione eſt quod conſtat nomine communi, & pronomine demonſtratiuo, vt, *hic homo, ille canis.*

Indiuiduum vagum eſt quod conſtat nomine communi, & ſigno particulari, vt, *aliquis homo.*

Indiuiduum ex hypotheſi eſt quod abſolutè quidem dici poteſt de multis. factâ tamen certâ ſuppoſitione de vno tantùm poteſt affirmari, vt, *filius Sophroniſci*, pro Socrate, ſuppoſito quod So-



Digitized by Google

Sophroniſcus vnicum filium habeat, ſcilicet Socratem.

*Acceptiones Differentiæ.*

I Differre dicitur aliquid tripliciter; communiter, propriè, & propriiſſimè.

1. Differre quidpiam communiter dicitur, cum diuerſitate quouis modo, aut à ſeipſo, aut ab alio differt, vt, *paries albus differt à nigro per albedinem.*

2. Propriè aliqua differre dicuntur cum inſeparabili differunt accidente, vt, *cygnus differt à coruo per albedinem.*

3 Propriiſſimè quidpiam à quopiam differre dicitur, cùm ſpecificâ differentiâ differt, vt, *homo differt à bruto per rationale.*

*Definitiones Differentiæ Logicæ.*

1. Differentia eſt, quâ ſpecies genus excedit, vt, *rationale* reſpectu hominis, *ſenſitiuum* reſpectu animalis.

2. Differentia eſt id, quod de pluribus, & differentibus ſpecie, hoc ipſo quale quid eſt prædicatur, vt, *rationale, ſenſitiuum.*

3. Differentia eſt quod ſuaptè naturâ ea quæ ſunt eodem genere ſeparat, vt, *rationale, &c.*

4. Differentia eſt id quo ſingula differunt, vt, *rationale, &c.*

*Acceptiones proprii.*

1. Proprium primo modo eſt, id quod ſoli cuipiam accidit ſpeciei, etſi non omni, vt, *mederi* reſpectu hominis.

2. Proprium ſecundo modo eſt id quod omni accidit ſpeciei, etſi non ſoli, vt, *bipedem*, eſſe reſpectu hominis.

3. Proprium tertio modo eſt id, quod ſoli accidit, & omni, atque quandóque, vt, *caneſcere* reſpectu hominis.

4 Proprium quarto modo eſt id, in quo omnia conueniunt vt ſoli & omni ſempérque accidat, vt, *riſibile* reſpectu hominis.

*Definitiones accidentis.*

1. Accidens eſt, quod adeſt atque abeſt ſine ſubiecti corruptione, vt, *album* reſpectu parietis, *nigrum* reſpectu corui.

2. Accidens eſt, quod ineſſe ac non ineſſe eidem poteſt. vt, *album, &c.*

3. Accidens eſt, quod neque genus, neque ſpecies, neque differentia, neque proprium eſt, ſemper autem eſt in ſubiecto, vt, *album, &c.*

*Diuiſio accidentis.*

Accidentium aliud ſeparabile; aliud inſeparabile

Accidens ſeparabile eſt, quod reipſa & facilè à ſubiecto abeſſe poteſt ſine ipſius corruptione: vt, *album*, reſpectu parietis *dormire*, reſpectu hominis.

Accidens inſeparabile eſt, quod reipſa nullo modo, vel ægrè admodum abeſſe poteſt à ſubiecto ſine ipſius corruptione, vt, *calidum*, reſpectu ignis, *nigrũ* corui.

## EX ANTEPRÆDICAMENTIS.

*Definitiones Antepradicamentales.*

Æquiuoca dicuntur ea, quorum nomen ſolum commune eſt, ratio verò ſubſtantię nomini accommodata diuerſa, vt, *canis domeſticus, & ſidus caleſte*, reſpectu nominis, *canis.*

2. Vniuoca dicuntur, quorum & nomen commune eſt, & ratio ſubſtantiæ nomini accommodata eadem eſt, vt, *homo & brutum*, reſpectu nominis *animal.*

3. Denominatiua ea dicuntur quæ ab aliquo nominis appellationem habẽt, ſolo differentia caſu, vt *fortis*: reſpectu huius abſtracti, *fortitudo.*

*Diuiſiones Antepradicamentales.*

1. Eorum quæ dicuntur, alia cum complexione, alia ſine complexione dicuntur. Prioris membri exemplum, vt, *homo currit*, poſterioris, vt *homo.*

2. Eorum quæ ſunt, alia de ſubiecto quidem dicuntur, in nullo vero ſunt

prorſus ſubiecto. Alia in ſubiecto quidem ſunt, de nullo vero ſubiecto dicuntur. Alia de ſubiecto dicuntur & in ſubiecto etiam ſunt. Alia neque in ſubiecto ſunt, neque de ſubiecto vllo dicuntur. Exemplum primi membri vt, *homo*. 2. vt, *hæc albedo*. 3. vt, *Ioanes*.

*Definitio entis in ſubiecto.*

Id in ſubiecto eſſe dico, quod in aliquo quidem eſt, & non vti pars: vt ſit autem ſeorſim ab eo in quo ineſt fieri nequit. vt, *albedo in pariete*.

*Regula Antepradicamentalis.*

1. Cum quidpiam prædicatur, vt de ſubiecto, ea quæ de prędicato dicuntur, dicentur etiam de ſubiecto. vt. *Ioannes eſt homo, homo eſt animal ergo Ioannes eſt animal*.

2. Eorũ quæſũt diuerſa genera, & non ita ſe habent, vt alterũ ſub altero collocetur, diuerſę ſunt ſpecies & differentiæ Eorũ tamen generum quorum alterum ſub altero collocatur; eaſdem eſſe differentias nihil obſtat. Prioris membri exemplum. vt, *Animal & ſcientia*: Poſterioris, *Animal & corpus*.

## EX PRÆDICAMENTIS.

SVbſtantia eſt ens per ſe exiſtens. vt, *Ioan. homo, brutum*.

Subſtantia diuiditur in primam & ſecundam.

Prima ſubſtantia eſt, quæ neque de ſubiecto vllo dicitur, neque in vllo prorſus eſt ſubiecto vt, *Ioannes*, *Petrus*, &c.

Secundæ ſubſtantiæ dicuntur, & eæ ſpecies, in quibus eæ quæ primò dicuntur ſubſtantiæ inſunt, & harum ſpecierum etiam genera. vt, *homo, animal, corpus*.

*Proprietates Subſtantiæ.*

1. Commune eſt omni ſubſtantiæ in ſubiecto non eſſe.

2. Ineſt autem ſubſtantiis, differentiiſque, omnes vniuocè vt prædicentur.

3. Omnis ſubſtantia hoc aliquid ſignificare videtur.

4 Competit præterea ſubſtantiis, & nihil ipſis contrarium eſſe.

5. Subſtantia non ſuſcipere gradus videtur, vt ſit magis minúſue talis.

6. Maximè ſubſtantiæ proprium hoc eſſe videtur, idem inquam vnúmque numero permanens contrariorum eſſe ſuſceptiuum.

*Definitio ac diuiſiones Quantitatis.*

Quantitas eſt ſecundum quam aliquid dicitur quantum, vel aliqua dicuntur aliquot, vt, *linea bipedalis*, *ternarius*.

Diuiditur primò quantitas in continuam & diſcretam.

Quantitas continua eſt cuius partes aliquo termino communi copulantur: vt, *linea*.

Diuiditur quantitas continua in permanentem, ſiue magnitudinem, & ſucceſſiuam, ſiue tempus.

Quantitas permanens ſiue magnitudo eſt cui non repugnat habere omnes partes ſimul exiſtentes vt, *linea*.

Diuiditur in lineam, ſuperficiem, & corpus.

Linea eſt longitudo longa, non lata, cuius partes, puncto copulantur.

Superficies eſt magnitudo longa & lata, non profunda, cuius Partes lineâ copulantur

Corpus eſt magnitudo longa, lata, & profunda, cuius partes ſuperficie copulantur.

Quantitas ſucceſſiua ſiue tempus eſt, cui repugnat habere omnes partes ſimul exiſtentes, vt, *hora, dies, annus*.

Quantitas diſcreta eſt, cuius partes nullo termino communi copulantur, vt, *binarius, ternarius* &c.

Diuiditur in numerum & orationem.

Numerus eſt quantitas diſcreta permanens, vt, *ternarius*.

Oratio eſt quantitas diſcreta ſucceſſiua, vt hæ voces probatæ, *Ioannes ambulat*.



Digitized by Google

Sophroniſcus vnicum filium habeat, ſcilicet Socratem.

*Acceptiones Differentiæ.*

Differre dicitur aliquid tripliciter; communiter, propriè, & propriiſſimè.

1. Differre quidpiam communiter dicitur, cum diuerſitate quouis modo, aut à ſeipſo, aut ab alio differt, vt, *paries albus differt à nigro per albedinem.*

2. Propriè aliqua differre dicuntur cum inſeparabili differunt accidente, vt, *cygnus differt à coruo per albedinem.*

3 Propriiſſimè quidpiam à quopiam differre dicitur, cùm ſpecificâ differentiâ differt, vt, *homo differt à bruto per rationale.*

*Definitiones Differentiæ Logicæ.*

1. Differentia eſt, quâ ſpecies genus excedit, vt, *rationale* reſpectu hominis, *ſenſitiuum* reſpectu animalis.

2. Differentia eſt id, quod de pluribus, & differentibus ſpecie, hoc ipſo quale quid eſt prædicatur, vt, *rationale*, *ſenſitiuum.*

3. Differentia eſt quod ſuaptè naturâ ea quæ ſunt eodem genere ſeparat, vt, *rationale, &c.*

4. Differentia eſt id quo ſingula differunt, vt, *rationale*, *&c.*

*Acceptiones proprii.*

1. Proprium primo modo eſt, id quod ſoli cuipiam accidit ſpeciei, etſi non omni, vt, *mederi* reſpectu hominis.

2. Proprium ſecundo modo eſt id quod omni accidit ſpeciei, etſi non ſoli, vt, *bipedem*, eſſe reſpectu hominis.

3. Proprium tertio modo eſt id, quod ſoli accidit, & omni, atque quandóque, vt, *caneſcere* reſpectu hominis.

4. Proprium quarto modo eſt id, in quo omnia conueniunt vt ſoli & omni ſempérque accidat, vt, *riſibile* reſpectu hominis.

*Definitiones accidentis.*

1. Accidens eſt, quod adeſt atque abeſt ſine ſubiecti corruptione, vt, *album* reſpectu parietis, *nigrum* reſpectu corui.

2. Accidens eſt, quod ineſſe ac non ineſſe eidem poteſt. vt, *album, &c.*

3. Accidens eſt, quod neque genus, neque ſpecies, neque differentia, neque proprium eſt, ſemper autem eſt in ſubiecto, vt, *album, &c.*

*Diuiſio accidentis.*

Accidentium aliud ſeparabile; aliud inſeparabile

Accidens ſeparabile eſt, quod reipſa & facilè à ſubiecto abeſſe poteſt ſine ipſius corruptione: vt, *album*, reſpectu parietis *dormire*, reſpectu hominis.

Accidens inſeparabile eſt, quod reipſa nullo modo, vel ægrè admodum abeſſe poteſt à ſubiecto ſine ipſius corruptione, vt, *calidum*, reſpectu ignis, *nigrū* corui.

## EX ANTEPRÆDICAMENTIS.

*Definitiones Antepradicamentales.*

ÆQuiuoca dicuntur ea, quorum nomen ſolum commune eſt, ratio verò ſubſtantię nomini accommodata diuerſa, vt, *canis domeſticus*, *& ſidus celeſte*, reſpectu nominis, *canis.*

2. Vniuoca dicuntur, quorum & nomen commune eſt, & ratio ſubſtantiæ nomini accommodata eadem eſt, vt, *homo & brutum*, reſpectu nominis *animal.*

3. Denominatiua ea dicuntur quæ ab aliquo nominis appellationem habẽt, ſolo differentia caſu, vt *fortis*: reſpectu huius abſtracti, *fortitudo.*

*Diuiſiones Antepredicamentales.*

1. Eorum quæ dicuntur, alia cum complexione, alia ſine complexione dicuntur. Prioris membri exemplum, vt, *homo currit*, poſterioris, vt *homo.*

2. Eorum quæ ſunt, alia de ſubiecto quidem dicuntur, in nullo vero ſunt

prorſus ſubiecto. Alia in ſubiecto quidem ſunt, de nullo vero ſubiecto dicuntur. Alia de ſubiecto dicuntur & in ſubiecto etiam ſunt. Alia neque in ſubiecto ſunt neque de ſubiecto vllo dicuntur. Exemplum primi membri vt, *homo*. 2. vt, *hæc albedo*. 3. vt, *Ioanes*.

*Definitio entis in ſubiecto.*

Id in ſubiecto eſſe dico, quod in aliquo quidem eſt, & non vti pars: vt ſit autem ſeorſim ab eo in quo ineſt fieri nequit. vt, *albedo in pariete*.

*Regulæ Anteprædicamentales.*

1. Cum quidpiam prædicatur, vt de ſubiecto, ea quæ de prędicato dicuntur, dicentur etiam de ſubiecto. vt. *Ioannes eſt homo, homo eſt animal ergo Ioannes eſt animal.*

2. Eorũ quæ ſũt diuerſa genera, & non ita ſe habent, vt alterũ ſub altero collocetur, diuerſę ſunt ſpecies & differentiæ Eorũ tamen generum quorum alterum ſub altero collocatur; eaſdem eſſe differentias nihil obſtat. Prioris membri exemplum. vt, *Animal & ſcientia*: Poſterioris, *Animal & corpus*.

## EX PRÆDICAMENTIS.

Svbſtantia eſt ens per ſe exiſtens. vt, *Ioan homo, brutum.*

Subſtantia diuiditur in primam & ſecundam.

Prima ſubſtantia eſt, quæ neque de ſubiecto vllo dicitur, neque in vllo prorſus eſt ſubiecto vt, *Ioannes*, *Petrus*, &c.

Secundæ ſubſtantiæ dicuntur, & eæ ſpecies, in quibus eæ quæ primò dicuntur ſubſtantiæ inſunt, & harum ſpecierum etiam genera. vt, *homo, animal, corpus,*

*Proprietates Subſtantiæ.*

1. Commune eſt omni ſubſtantiæ in ſubiecto non eſſe.
2. Ineſt autem ſubſtantiis, differentiiſque, omnes vniuocè vt prædicentur.
3. Omnis ſubſtantia hoc aliquid ſignificare videtur.
4. Competit præterea ſubſtantiis, & nihil ipſis contrarium eſſe.
5. Subſtantia non ſuſcipere gradus videtur, vt ſit magis minúſue talis.
6. Maximè ſubſtantiæ proprium hoc eſſe videtur, idem inquam vnúmque numero permanens contrariorum eſſe ſuſceptiuum.

*Definitio ac diuiſiones Quantitatis.*

Quantitas eſt ſecundum quam aliquid dicitur quantum, vel aliqua dicuntur aliquot, vt, *linea bicubitalis*, *ternarius*.

Diuiditur primò quantitas in continuam & diſcretam.

Quantitas continua eſt cuius partes aliquo termino communi copulantur: vt, *linea*.

Diuiditur quantitas continua in permanentem, ſiue magnitudinem, & ſucceſſiuam, ſiue tempus.

Quantitas permanens ſiue magnitudo eſt cui non repugnat habere omnes partes ſimul exiſtentes vt, *linea*.

Diuiditur in lineam, ſuperficiem, & corpus.

Linea eſt longitudo longa, non lata, cuius partes, puncto copulantur.

Superficies eſt magnitudo longa & lata, non profunda, cuius Partes lineâ copulantur

Corpus eſt magnitudo longa, lata, & profunda, cuius partes ſuperficie copulantur.

Quantitas ſucceſſiua ſiue tempus eſt, cui repugnat habere omnes partes ſimul exiſtentes, vt, *hora, dies, annus*.

Quantitas diſcreta eſt, cuius partes nullo termino communi copulantur, vt, *binarius, ternarius*. &c.

Diuiditur in numerum & orationem.

Numerus eſt quantitas diſcreta permanens, vt, *ternarius*.

Oratio eſt quantitas diſcreta ſucceſſiua, vt hæ voces probatæ, *Ioannes ambulat*.



Digitized by Google

Diuiditur ſecundo quantitas hoc modo. Quantum partim ex habentibus poſitionem partibus, partim ex non habentibus conſtat. Exemplum prioris membri vt, *linea*, Poſterioris, vt, *numerus*.

*Proprietates Quantitatis.*

1. Quantitati nihil eſt contrarium.

2. Quanto magis ac minus eſſe non competit.

3. Proprium quantitatis eſt maximè æqualitas, & inæqualitas.

*Definitiones Ad-aliquid.*

1. Ea dicuntur ad-aliquid, quæ id quod ſunt aliorum eſſe, aut ad aliud aliquo alio modo dicuntur.

*Vt, pater & filius: maius & minus.*

2. Ea ſunt Ad aliquid, quorum eſſe idem eſt ei, quod eſt ad aliquid aliquo modo ſe habere, vt, *pater & filius*, &c.

*Proprietates Ad-aliquid.*

1. Eſt contrarietas in hiſce quæ Ad-aliquid ſunt. *Vt, ſcientia* (quæ eſt Ad-aliquid ſecundum dici) *eſt contraria ignorantiæ*

2. Videntur etiam ea quæ ſunt ad-aliquid, & gradus ſuſcipere, vt magis minuſvè talia ſint. vt *ſimile, diſſim*, &c.

3 Vniuerſa quæ ſunt ad-aliquid, ea dicuntur quæ conuertuntur, vt, *pater eſt filij pater*, &c.

4. Ea quæ ſunt ad aliquid ſimul natura eſſe videntur.

*Definitio ac diuiſio Qualitatis.*

Qualitas eſt, quâ quales quidam dicuntur, vt, *albedo, ſcientia*, &c.

Qualitatis quatuor ſunt ſpecies. Habitus vel diſpoſitio. vis naturalis vel imbecillitas. Patibilis qualitas vel paſſio, Figura vel forma.

Habitus vel diſpoſitio eſt qualitas acquiſita vel infuſa, quâ ſubiectum redditur promptum ad operandum, difficulter vel facile mobilis. vt, *habitus cytheriſandi, ſcientia, virtus.*

Vis naturalis vel imbecillitas eſt qualitas à naturâ inſita, quâ ſubiectum redditur potens vel impotens ad aliquid faciendum, aut reſiſtendum, aut ſuſcipiendum ſuam perfectionem, vt, *vis audiendi in iuuene, imbecillitas in ſene.* Item, *durities in ferro, mollities in cera* Denique *vis naturalis per quam aliquis dicitur facilè ſanabilis, & imbecillitas per quam aliquis dicitur inſanabilis.*

Patibilis qualitas vel paſſio eſt qualitas vnico ſenſu exteriori perceptibilis, vel appetitus affectio, difficulter aut facilè mobilis, vt, *albedo, nigredo, ira, odium*, &c.

Figura vel forma eſt qualitas quantitatem terminatam conſequens, vt, *triangulum, quadratum*, &c.

*Definitio Qualium.*

Qualia ſunt ea, quæ denominatiuè ab ipſis, aut alio aliquo modo dicuntur, vt, *album, nigrum*, &c.

*Proprietates Qualitatis.*

1 Contrarietas in qualitate eſſe videtur, vt, *albedo, contraria eſt nigredini.*

2. Qualia ipſa gradus ſuſcipiunt ac magis talia minuſvè dicuntur. vt, *vnum album dicitur magis album quam alterum.*

3 Similia diſſimiliáque per qualitates ſolas dicuntur, vt *duo parietes albi ſunt ſimiles ratione ſuarum albedinum*, &c.

*Definitiones Actionis & Paſſionis.*

Actio eſt forma à qua quidpiam dicitur agere, vt, *calefactio* per quam ignis dicitur calefacere lignum.

Paſſio eſt forma à qua quidpiam dicitur pati, vt, *calefactio* per quam lignum dicitur calefieri ab igne.

*Proprietates Actionis & Paſſionis.*

1. Suſcipit ipſum agere patiuè contrarietatem, vt contraria ſunt, *calefacere & frigefacere, calefieri & frigefieri.*

2. Gradus quoque ſuſcipiunt, vt magis atque minus dicantur. vt, *vnus ignis dicitur magis calefacere quam alius.*

*Definitione Vbi, Quando, Situs, Habitus.*

Digitized by Google

Vbi eſt præſentia rei in loco, vt, *eſſe in ſcholis, foro*, &c.

Quando eſt exiſtentia rei in tempore, vt, *fuiſſe heri, eſſe, hodie*, &c.

Situs eſt diſpoſitio partium in toto ordine ad locum, vt, *ſtare, ſedere, cubare.*

Habitus eſt indumenti vel ornamenti ad corpus applicatio, vt, *eſſe calceatum, coronatum.*

## EX POSTPRÆDICAMENTIS.

*Definitio ac diuiſio Repugnantium.*

Repugnantia ſunt, quæ de eodem ſingulari ſimul verè affirmari non poſſunt, vt, *album & nigrum*

Repugnantium alia ſunt diſparata, alia oppoſita.

Oppoſita ſunt quæ precisè repugnant, vt, *album, & nigrum.*

Diſparata ſunt, quæ non præcisè repugnant, vt, *homo & equus, album & rubrum.*

*Diuiſio oppoſitorum.*

Oppoſita ſunt quadruplicia, Relatiuè oppoſita, Contraria, Priuantia, & Contradictoria

Relatiuè oppoſita ſunt, quæ id quod ſunt oppoſitorum aut alio aliquo modo ad illa dicuntur, vt, *pater & filius, maius & minus.*

Contraria ſunt quæ poſita ſub eodem genere maxime à ſe inuicem diſtant, eidẽ ſubiecto ſuſceptiuo viciſſim inſunt, à quo ſe mutuo expellunt, niſi alterum inſit à natura, vt, *album & nigrum.*

Contrariorum alia ſunt immediata, alia mediata.

Contraria immediata dicuntur, quæ talia ſunt, vt ipſorum alterum neceſſariò rebus iis inſit, in quibus aptum eſt fieri, aut de quibus prædicatur. vt, *ægrum & ſanum, par & impar.*

Contraria mediata ſunt quorum alterum ineſſe neceſſe non eſt. vt, *album & nigrum.*

Priuantia ſunt habitus & priuatio illi oppoſita. vt, *viſus & cæcitas.*

Contradictoria ſunt quæ nullum habent medium, vt, *homo & non homo, album & non album.*

*Proprietates Contrariorum.*

1. Malum bono neceſſario contrarium eſt. at malo interdum bonum interdũ malum contrarium eſt. vt, *temperantia contraria eſt intemperantia, auaritiæ liberalitas & prodigalitas.*

2. Non neceſſarium eſt, ſi contrariorum alterum ſit, & reliquum eſſe. vt, *ſi omnia ſint alba, albedo quidem erit, non autem nigredo.*

3. Fieri non poteſt, vt ambo ſimul eidem inſint. vt, *ſanitas & ægritudo non poſſunt eidem conuenire.*

4 Patet etiam, & circa idem, aut ſpecie aut genere contraria fieri ſolere. Prioris partis exemplum eſt, *iuſtitia & iniuſtitia*, poſterioris, *albedo & nigredo.*

5. Contraria in ſuper omnia aut eodem in genere, aut contrariis in generibus eſſe, aut ipſa genera eſſe neceſſe eſt. Primæ partis exemplum eſt, *albedo & nigredo* ſecundæ, *iuſtitia & iniuſtitia*: tertiæ, *bonum & malum*: non ex ſententia Ariſtotelis, ſed quorundam veterum.

*Modi Prioris quinque.*

Tempore, naturâ, prius ordine, dic & honore.

Et cauſa effectis dicitur eſſe, prior 1. modo, *Plato eſt prior Ariſtotele*: ſecundo *vnum eſt prius duobus*, tertio, *exordium narratione*, quarto, *aurum argento*: quinto, *ortus Solis die.*

*Modi ſimul tres.*

Tempore dico ſimul, quorum generatio nunc eſt.

Quæ conuertuntur dicimus eſſe ſimul.

Suntque ſimul ſpecies genus vnum diſtribuentes.

Primo modo ſimul ſunt *duo eodem tempore nati*: ſecundo, *dominus & ſeruus*

Digitized by Google

tertio, *homo & brutum.*

*Modi habendi octo.*

Affectum, quantum, veſtitum, dic velut aurum.

Membrum, contentum, poſſeſſio, ſponſa, maritum.

## EX LIB. DE INTERPRETATIONE

*Hypotheſes.*

EA quæ in voce verſantur, ſigna ſunt affectuum qui in anima ſunt: & ea quæ ſcribuntur, notæ ſunt eorum quę in voce verſantur.

2. Vt non eædem ſunt apud omnes homines literæ, ſic neque voces eædem ſunt: affectus autem, quorum hæc ſigna ſunt primò, apud omnes homines iidem ſunt: res quoque quarum hi ſimilitudines ſunt, eaſdem itidem eſſe conſtat.

3. Quemadmodum in anima conceptus interdum ſine veritate falſitatéve eſt, interdum verò talis vt alterum horum ei competat neceſſariò, ſic & in voce eſſe videtur.

*Definitio Nominis & verbi.*

Nomen eſt vox ſignificatiua ex inſtituto, ſine tempore, cuius nulla pars ſignificat ſeparata, vt, *homo.*

Verbum eſt quod inſuper tempus ſignificat, & cuius nulla pars ſeorſim ſignificat, atque ſemper eorum, quæ de altero dicuntur, eſt ſignum. vt, *amo.*

*Definitio ac diuiſio Orationis.*

Oratio eſt vox ſignificatiua, cuius partium aliqua ſeparata ſignificat, vt dictio ſed non vt affirmatio vel negatio. vt, *homo albus, homo eſt animal.*

Orationum alia imperfecta, alia perfecta.

Imperfecta eſt, quæ non gignit ſenſum perfectum in animo audientis. vt *homo albus.*

Perfecta eſt, quæ gignit perfectum ſenſum in animo audientis, vt *homo eſt animal.*

Perfecta diuiditur in enuntiatiuam & non enuntiatiuam. Perfecta non enuntiatiua eſt, in qua nec eſt verum, nec falſum vt *ſis fœlix.*

Enuntiatio eſt oratio, quæ vera eſt, vel falſa. vt, *homo eſt rationalis.*

*Diuiſiones enuntiationis.*

1. Diuiditur in vnam & plures.

Enuntiatio vna dicitur aut ea quæ vnum ſignificat, aut ea quæ coniunctione eſt vna. Prioris partis exemplum eſt, *Homo eſt animal:* poſterioris *ſi homo eſt, animal eſt.*

Enuntiationes plures ſunt eæ quæ plura & non vnum ſignificant, aut eæ quæ carent coniunctione

Prioris partis exemplum eſt, *vidi canem:* poſterioris *Dies eſt, lux eſt.*

2. Diuiditur enuntiatio vna in ſimplicem & compoſitam, ſiue in categoricam & hypotheticam.

Enuntiatio ſimplex, eſt aliquid dicens de aliquo, aut aliquid ab aliquo remouens. vt, *homo eſt animal, homo non eſt brutum.*

Enuntiatio compoſita eſt quæ conſtat pluribus enuntiationibus ſimplicibus tanquam pręcipuis partibus. vt, *ſi dies eſt lux eſt.*

Diuiditur enuntiatio ſimplex in affirmationem & negationem.

Affirmatio eſt, alicuius de aliquo enuntiatio. vt, *Ariſtoteles eſt philoſophus.*

Negatio eſt enuntiatio, quâ aliquid ab aliquo dimouetur. vt, *vitium non eſt amandum.*

*Definitio & diuiſio Oppoſitarum.*

Oppoſitæ ſunt affirmatio & negatio eiuſdem de eodem non equiuocè. vt. *Omnis homo eſt doctus, nullus homo eſt doctus.*

Oppoſitę ſunt triplices: contrariæ, ſubcontrariæ, contradictoriæ.

Contrariæ ſunt quarum vna de vniuer-

ſali

Digitized by Google

a li enuntiat competere, altera non competere, vt, *Omnis homo eſt doctus*, *nullus homo eſt doctus.*

Subcontrariæ ſunt in quibus de vniuerſali non vniuerſaliter enuntiatur, vt, *Aliquis homo eſt doctus. Aliquis homo non eſt doctus.*

Contradictoriæ ſunt quarum altera vniuerſaliter ſignificat de eodem, altera verò non, vt, *Omnis homo eſt doctus*, *Aliquis homo non eſt doctus.*

Subalternæ ſunt duæ propoſitiones conſtantes eorum prędicato & ſubiecto eiuſdem qualitatis, ſed diuerſę quantitatis, vt, *Omnis homo eſt animal*, *Aliquis homo eſt animal.*

*Leges Subalternarum & Oppoſitarum.*

Ex veritate ſubalternantis ſequitur veritas ſubalternatæ; non tamen ex falſitate ſubalternantis ſequitur falſitas ſubalternatæ. E contra ex falſitate ſubalternatæ ſequitur falſitas ſubalternantis, non tamen ex veritate ſubalternatæ ſequitur veritas ſubalternantis.

Contrariæ non poſſunt eſſe ſimul veræ, poſſunt tamen eſſe ſimul falſæ.

Subcontrariæ poſſunt eſſe ſimul falſæ.

Contradictorię nec ſimul veræ, nec ſimul falſæ eſſe poſſunt.

*Regulæ ęquipollentiarum.*

Præ contradic. poſt contra præ poſtque ſubalter.

*Regula de prædicatis diuiſis non coniungendis.*

1. Quęcumque cum vel prædicari de aliis, vel aliis ſubiici apta ſunt, per accidens de eodem, aut alterum de altero prædicantur, ea vnum non erunt. Vnde inepta eſt argumentatio. *Homo eſt albus*, *Homo eſt muſicus*; *ergo eſt albus muſicus.*

2. Præterea nec vnum ea dicentur, quorum alterum alteri ineſt. Inepta ergo eſt hæc collectio, *Ioannes eſt homo*, *Ioannes eſt animal*, *ergo Ioan. eſt homo animal.*

*Regula de prædicatis coniunctis non diuidendis.*

1. Cum in eo quod adiunctum eſt, repugnans quidpiam ſic ineſt, vt ad id contradictio ſequatur, ibi non verum, ſed falſum dicetur. Vnde non ſequitur. *Cadauer eſt homo mortuus*, *ergo cadauer eſt homo.*

2. Quando alterum prædicatorum ſecundum accidens enuntiatur, tunc non recte dicuntur de eodem ſubiecto. Vnde non ſequitur, *Homerus eſt Poeta*, *ergo Homerus eſt.*

## EX LIBRIS PRIORVM.

*Definitio & diuiſio Propoſitionis.*

PRopoſitio eſt alicuius de aliquo affirmatiua negatiuáve oratio vt, *Homo eſt animal.*

Diuiditur in vniuerſalem, particularem & indefinitam.

Vniuerſalis eſt cùm aliquid aut omni, aut nulli ineſſe ſignificat, vt *Omnis homo eſt animal.*

Particularis eſt cùm alicui, aut non alicui, aut non omni ineſſe ſignificat, vt *Aliquod animal eſt rationale.*

Indefinita eſt cum quid ineſſe, vel non ineſſe ſine vniuerſali, particularíve notâ ſignificat, vt, *homo eſt animal.*

*Definitio & diuiſio termini.*

Terminus eſt in quem reſoluitur propoſitio vt prædicatum, & de quo id prædicatur. Vt in hac propoſitione, *homo eſt animal*, termini ſunt *homo & animal.*

In omni ſyllogiſmo ſunt tres termini, maius extremum, minus extremum, & medium.

Medium eſt terminus qui bis in antecedente ſyllogiſmi ponitur.

Extremum in genere eſt quod ſemel tantum in antecedente ſyllogiſmi ponitur.

Maius extremum eſt quod in antecedente ſyllogiſmi præſtantiorem locum obtinet.

Minus extremum eſt quod in antecedente ſyllogiſmi minus præſtantem locum obtinet.

*Numerus enuntiationum in ſyllogiſmo.*

In omni ſyllogiſmo ſunt tres enuntiationes, maior propoſitio, minor propoſitio, concluſio.

Maior propoſitio eſt illa pars antecedentis in qua ponitur maius extremum.

Minor propoſitio eſt illa pars antecedentis in qua ponitur minus extremum.

Concluſio eſt enuntiatio quæ ex aliis infertur.

*Definitio & diuiſio Syllogiſmi.*

Syllogiſmus eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis, aliud quiddam ab his quæ poſita ſunt, neceſſariò accidit, eò quòd hæc ſunt, vt *Omne animal eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſubſtantia.*

Diuiditur in perfectum & imperfectum.

Syllogiſmus perfectus eſt, qui nullius alius indiget, præter ea quæ ſumpta ſunt, neceſſarium vt appareat, Vt exemplum iam illatum.

Syllogiſmus imperfectus, qui vnius pluriúmve eget, vt, *Omne animal eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal, ergo aliqua ſubſtantia eſt homo.*

*Definitio & diuiſio conuerſionis in terminis non variatis.*

Conuerſio eſt ſubiecti in prædicatum, & prædicati in ſubiectum, manente eadem qualitate enuntiationis mutatio, vt, *Omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt homo.*

Conuerſio duplex, ſimplex & per accidens.

Conuerſio ſimplex eſt in quâ ſeruatur eadem quantitas propoſitionum, vt, *nullus homo eſt brutum, ergo nullum brutum eſt homo.*

Conuerſio per accidens eſt in qua mutatur quantitas propoſitionum, vt, *Omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt homo.*

*Regulæ conuerſionum.*

1. Vniuerſalis negatiua conuertitur ſimpliciter & per accidens.

2. Vniuerſalis affirmatiua conuertitur per accidens non ſimpliciter.

3. Particularis affirmatiua conuertitur tantùm ſimpliciter.

4. Particularis negatiua non conuertitur.

*Definitio dicti de omni, & de nullo.*

Prædicari de omni eſt, cum nihil ſumere ſubiecti eſt, de quo alterum non dicatur, vt prædicatum huius propoſitionis, *omnis homo eſt animal.*

De nullo prædicari eſt, cum nihil ſumere ſubiecti eſt, à quo alterum non remoueatur. Vt prædicatum huius propoſitionis, *nullus homo eſt brutum.*

*Principia dirigentia deſumpta ex dictis de omni, & de nullo.*

1. Quidquid dicitur de ſubiecto vniuersè ſumpto, dicitur & de quouis, quod ſubſumitur ſub illo.

2. Quidquid negatur de ſubiecto vniuersè ſumpto, negatur & de quouis, quod ſubſumitur ſub illo.

*Definitio & diuiſio figuræ.*

Figura ſyllogiſtica eſt diſpoſitio medij cum extremis ſecundum ſubiectionem & prædicationem.

Figura eſt triplex, prima, ſecunda, tertia.

Prima eſt in quâ medium ſemel ſubiicitur & ſemel prædicatur, vt, *omne animal eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſubſtantia.*

Secunda eſt in qua medium bis prædicatur, vt, *nullum brutum eſt rationale, omnis homo eſt rationalis, ergo nullus homo*

Digitized by Google

*eſt brutum.*

Tertia eſt in qua medium bis ſubiici-tur, vt, *omnis homo eſt rationalis, omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt rationale.*

*Definitio & diuiſio modi.*

Modus ſyllogiſticus eſt trium enuntiationum ſyllogiſmi diſpoſitio, ſecundū quantitatem & qualitatem.

Modorum alius directus, alius indirectus.

Directus eſt, in quo maius extremum concluditur de minori.

Indirectus eſt in quo minus extremum concluditur de maiori.

*Modi primæ figuræ.*

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton,

Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum.

*Modi ſecundæ figuræ.*

Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco.

*Modi tertiæ figuræ.*

------Darapti Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

*Regulæ generales ſyllogiſmorum.*

1. In ſyllogiſmo tres tantum termini eſſe poſſunt.

2. Medium ſyllogiſticum non poteſt ingredi concluſionem.

3. In altera præmiſſarum medium debet diſtribui.

4. Ex puris particularibus nihil ſequitur.

5. Ex puris negatiuis nihil ſequitur.

6. Quando altera præmiſſarum eſt negatiua, concluſio etiam debet eſſe particularis.

7. Quando altera præmiſſarum eſt negatiua, concluſio etiam debet eſſe negatiua.

*Regulæ ſpeciales primę figuræ.*

Sit minor affirmans, nec maior ſit ſpecialis.

*Regulæ ſpeciales ſecundæ figuræ.*

Vna negans præeat, nec maior ſit ſpecialis.

*Regulæ ſpeciales tertiæ figuræ.*

Sit minor affirmans, concluſio ſit ſpecialis.

*Definitio & diuiſio Reductionis.*

Reducere ſyllogiſmum eſt ex ſyllogiſmo imperfecto perfectum facere, vt oſtendatur imperfectus fuiſſe legitimus.

Triplex eſt reductio, oſtenſiua, per expoſitionem, & poſſibile.

Reductio oſtenſiua eſt cum in ſyllogiſmo perfecto, ad quem fit reductio infertur eadem concluſio, quæ inferebatur in imperfectō, vel certè eius conuerſa, retento eodem medio.

Reductio per expoſitionem eſt cum medio ſingulari ſubſtituto in locum medij communis, infertur eadem concluſio, quæ inferebatur in ſyllogiſmo de medio communi.

Syllogiſmus expoſitionis (*per quem fit hæc reductio*) eſt qui conſtat medio ſingulari, vt, *Ioannes eſt probus, Ioannes eſt homo, ergo aliquis homo eſt probus.*

Reductio per impoſſibile eſt, cum ex contradictoria concluſionis & vna præmiſſarum infertur contradictoria alterius præmiſſæ.

*Definitiones contingentis.*

Contingens eſt quod cum non exiſtat neceſſariò, eſſe verò ponatur, nihil inde impoſſibile ſequitur, vt, *hominem ambulare.*

*Regulę conſequentiarum.*

1. Ex oppoſito conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis, vt, *ſi eſt homo, eſt animal, ergo ſi non eſt animal, non eſt homo.*

2. Ex oppoſito antecedentis non neceſſariò ſequitur oppoſitum conſequentis. Vt non ſequitur, *ſi eſt homo eſt animal, ergo ſi non eſt homo, non eſt animal.*

3. Conſequens & oppoſitum antecedentis eidem conuenire poſſunt, vt, *animal &*

*non homo conueniunt equo.*

4. Antecedens & oppoſitum conſequentis eidem conuenire non poſſunt, vt, *non poſſunt ſimul eidem ineſſe homo & non ma'.*

*De Poteſtatibus ſyllogiſmorum.*

Poteſtates ſyllogiſmorũ ſunt ſex: poteſtas concludendi plura, concludendi ex falſis verum, in orbem probandi, per conuerſionem concludendi, per impoſſibile concludendi, & ex oppoſitis concludendi.

Concluduntur plura 4. modis. 1. per illationem particularis ex vniuerſali. 2. per conuerſionem concluſionis. 3. per ſubſumptionem ſub medio. 4. per ſubſumptionem ſub ſubiecto concluſionis.

Ex veris falſum effici non poteſt, ex falſis autem verum nonnumquam concluditur, non tamen propter quid, ſed quia.

Probare in orbem eſt ex concluſione & conuertente vnius ex antecedentis enuntiationibus, alteram eiuſdem antecedentis enuntiationem concludere.

Concludere per conuerſionem eſt ex contradictoria vel contraria concluſionis & altera præmiſſarum, concludere contradictoriam vel contrariam alterius pręmiſſæ.

Concludere per impoſſibile eſt ex contradictoria propoſitionis veræ ab aduerſario negatæ, & altera manifeſtè vera, inferre concluſionem manifeſtè falſam, ex cuius falſitate apparet veram fuiſſe propoſitionem negatam.

Concludere ex oppoſitis eſt ex duabus contrariis vel contradictoriis ab aduerſario conceſſis inferre negationem eiuſdem de ipſo.

*De defectibus ſyllogiſmorum.*

Defectus ſyllogiſmorum ſunt tres petitio principij, non propter hoc accidere falſum, & fallacia opinionis.

Petere principium, eſt idem per idem, aut per aliud æquè ignotum vel ignotius probare.

Non propter hoc accidere falſum eſt, cum falſitas concluſionis attribuitur alicui præmiſſæ vt cauſæ, quæ tamen non eſt cauſa.

Fallacia opinionis eſt aſſenſus duarum contrariarum vel contradictoriarum, vtriuſque in vniuerſali, vel vnius in particulari & alterius in vniuerſali.

*Definitio inductionis.*

Inductio eſt à ſingularibus ad vniuerſalia acceſſio, vt, *Petrus eſt riſibilis, & ſic de cæteris, ergo omnis homo eſt riſibilis.*

*Definitio exempli.*

Exemplum propriè dictum eſt ab vno ſingulari ad aliud propter aliquam ſimilitudinem progreſſio, vt, *David pœnitens miſericordiam impetrauit, ergo & nos impetrabimus, ſi pœnitentiam egerimus.*

Exemplum impropriè dictum eſt ab vno ſingulari ad vniuerſale progreſſio, vt, *David pœnitens miſericordiam impetrauit, ergo omnis pœnitens miſericordiam impetrabit.*

*Definitio Enthymematis.*

Enthymema eſt Syllogiſmus imperfectus ex veriſimilibus & ſignis, vt, *omne animal eſt ſubſtantia, ergo omnis homo eſt ſubſtantia.*

Veriſimile eſt propoſitio probabilis, vt, *omnis mater diligit filium.*

Signum eſt propoſitio demonſtratiua, vel neceſſaria, vel probabilis, vt, *omne animal rationale eſt riſibile, omnis mater diligit filium.*

## EX LIBRIS POSTERIORUM.

*Hypotheſes.*

Omnis doctrina, omniſque diſciplina intellectiua præexiſtente è cognitione fit.

2. Dupliciter prænoſſe neceſſe eſt: quædam enim eſſe, quædam quid ſignifi-

cent, quædam vtroque modo antè percipiamus oportet.

3. Fit autem, vt quæ cognoſcimus, eorum quædam prius etiam cognouerimus, quorundam verò cognitionem ſimul accipiamus.

4 Antequam facta inductio vel ratiocinatio ſit, partim fortaſſe nos ſcire, partim neſcire dicendum eſt.

*Definitio ſcientiæ.*

Scire arbitramur cum cauſam ob quam res eſt, & illius cauſam eſſe, & fieri non poſſe vt res aliter ſeſe habeat, cognoſcere arbitramur.

*Definitiones demonſtrationis*

1. Demonſtratio eſt ratiocinatio quæ ſcientiam efficit, vt, *omne animal rationale eſt riſibile, omnis homo eſt animal rationale, ergo omnis homo eſt riſibilis.*

2. Demonſtratio eſt ſyllogiſmus ex primis & immediatis, & ex notioribus & prioribus ipſa concluſione, cauſiſque eiuſdem, *vt ſuprà.*

*Definitio & diuiſio propoſitionis.*

Propoſitio eſt altera enuntiationis pars, vnum de vno complectens, vt, *omne animal rationale eſt riſibile.*

Diuiditur in dialecticam & demonſtratiuam.

Propoſitio dialectica eſt quæ ſimiliter vtramuis partem accipit, vt *Eſtne ens vniuocum, an non.*

Propoſitio demonſtratiua eſt quæ definitè alterum, quod eſt verum, accipit, vt, *omne animal rationale eſt riſibile.*

*Definitio contradictionis*

Contradictio eſt oppoſitio, cuius per ſe medium nullum eſt, vt, *omne animal rationale eſt riſibile, & aliquod animal rationale non eſt riſibile.*

*Definitio & diuiſio propoſitionis immediatæ.*

Propoſitio immediata eſt, quâ nulla eſt alia prior, vt, *omne animal rationale eſt riſibile.*

Diuiditur in propoſitionem & dignitatem, ſiue in theſim & axioma.

Propoſitio eſt principium immediatum, quod fieri nequit vt demonſtretur, quodque non neceſſe eſt eum qui diſcit, habere. vt. *omne compoſitum ex materia & forma eſt mobile.*

Dignitas eſt principium immediatum quod neceſſe eſt habere omnem eum, qui diſcere aliquid parat, vt, *Quodlibet eſt vel non eſt.*

*Diuiſio propoſitionis.*

Propoſitio diuiditur in ſuppoſitionem & definitionem.

Suppoſitio (*aliàs hypotheſis*) eſt quæ vtramuis enuntiationis accipit partem, vt, *omne compoſitum ex materia & forma eſt mobile.*

Definitio eſt in qua neutrum accipitur, vt, *compoſitum ex materia & forma, Animal rationale, &c.*

*Definitio dicti de omni.*

Dictum de omni eſt quod non cuidam non ineſt: neque quod interdum competit: vt, *prædicatum huius propoſitionis, homo eſt animal.*

*Definitiones modorum per ſe.*

1. Primo modo per ſe ſunt, ſunt, quæ in ratione quid eſt dicente ſunt, vt, *animal per ſe prædicatur de homine.*

2. Secundo modo ea per ſe inſunt, quorum in ratione, quid eſt patefacit ſubiecta, quibus inſunt collocantur, *Ita riſibile conuenit homini.*

3. Tertio modo id per ſe dicimus quod non de ſubiecto alio dicitur vllo, vt, *homo exiſtit per ſe.*

4. Quarto modo id per ſe dicimus, quod vnicuique per ſe competit, vt, *attributum huius propoſitionis, triangulatus interyt.*

*Definitio vniuerſalis.*

Vniuerſaliter id competere dico, quod de omni dicitur, & per ſe, atque hoc plane quo ipſũ eſt, vt, *riſibile reſpectu hominis.*

*Definitio & diuiſio principiorum.*

Principia ſunt, quæ fieri nequit vt demonſtrentur, vt, *Quodlibet eſt vel non eſt, &c. omne totum eſt maius ſua parte.*

Diuiduntur in communia & propria.

Principia communia ſunt, quæ conueniunt omnibus vel ſaltem multis ſcientiis, vt, *quodlibet eſt vel non eſt: Omne totum eſt maius ſua parte.*

Principia propria ſunt quæ tantùm cõueniunt vni ſcientiæ, vt, *Omne compoſitum ex materiâ & formâ eſt mobile.*

*Diuiſio demonſtrationis.*

Demonſtratio diuiditur in demonſtrationem propter quid, & demonſtrationem quia eſt.

Demonſtratio propter quid eſt quæ procedit ex cauſa adæquata, vt, *omne animal rationale eſt riſibile, omnis homo eſt animal rationale, ergo omnis homo eſt riſibilis.*

Demonſtratio quia eſt, dicitur, quæ procedit ab effectu, vel ſigno, vel cauſâ remota. Exemplum primi membri, vt, *Quæ non ſcintillant prope ſunt, planetæ non ſcintillant, ergo planetæ prope ſunt* 2. vt, *Quidquid circulariter illuminatur eſt rotundum, luna circulariter illuminatur, ergo luna eſt rotunda.* 3. vt, *Omne reſpirans eſt animal, lapis non eſt animal, ergo lapis non reſpirat.*

*Definitio ſcientiæ vnius & diuerſarum.*

Scientia vna eſt, quæ vnius eſt generis: quæ conficitur ex primis, & ſunt partes, aut effectus horum perſe, vt, *phyſica.*

Diuerſæ ſcientiæ ſunt, quarum principia ex eiſdem non ſunt, nec ex vnius principiis principia alterius proficiſcuntur, vt, *phyſica & mathematica.*

*Definitio ſolertiæ.*

Solertia eſt coniectatio medij in tempore admodum breui, vt, *ſi quis aduertens lunam ea parte, qua ſolem aſpicit, ſemper lucidam eſſe, ſtatim cognoſcat lunam illuminari à ſole.*

## EX LIBRIS TOPICORVM.

*Diuiſio ſyllogiſmi.*

DEfinitionem Syllogiſmi vide in libr. Priorum. Diuiditur ſyllogiſmus in demonſtrationem, ſyllogiſmum dialecticum, litigioſum, & pſeudographum. Demonſtratio eſt, quando ex veris & primis ſyllogiſmus erit, aut ex talibus, quæ per aliqua prima & vera, ſuæ cognitionis principium ſumpſerunt. Exemplum prioris membri, vt, *Omne animal rationale eſt riſibile, omnis homo eſt animal rationale, ergo omnis homo eſt riſibilis.* Poſterioris, vt, *omne riſibile eſt rationale, omnis homo eſt riſibilis, ergo omnis homo eſt rationalis.*

Primo vera ſunt, quę non per alia, ſed per ſeipſa fidem habent, vt, *omne animal rationale eſt riſibile.*

Dialecticus ſyllogiſmus eſt, qui ex probabilibus eſt collectus, vt, *omnis mater diligit filium. Hæc eſt mater, ergo, Hæc diligit filium.*

Probabilia ſunt quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut ſapientibus: & his vel omnibus, vel plurimis, vel maximè familiaribus & probatis. Exemplum 1. membri, *Omnis mater diligit filium.* 2. *Honores ſunt expetendi* 3. *Præferenda eſt opibus eruditio.* 4. *Virtus maximè eſt expetenda.* 5. *Viſio fit recipiendo*

Litigioſus eſt ſyllogiſmus ex iis quæ videntur probabilia, non ſunt autem, vel qui ex probabilibus, aut ex iis quæ videntur probabilia, eſt apparens. Exemplum 1. membri. *Quidquid non caret oculis habet oculos, lapis non caret oculis, ergo habet oculos.* 2. *Omnis mater diligit filium, omnis pater diligit filium, ergo omnis pater eſt mater.*

Digitized by Google

3. *Quid quid non perdidiſti, habes, aurum habes, ergo aurum non perdidiſti.*

Syllogiſmus pſeudographus eſt qui fit ex propriis diſciplinæ ſumptionibus non veris, vt, *Omnes ſemicirculi ſunt æquales, ſed ſemicirculus maioris circuli, & ſemicirculus minoris ſunt ſemicirculi, ergo ſunt æquales.*

*Diuiſio & definitio prædicatorum.*

Prædicata topica ſunt quatuor, Terminus, Proprium Genus, & Accidens.

Terminus eſt oratio quid erat eſſe ſignificans, vt, *animal rationale, reſpectu hominis.*

Proprium eſt quod non indicat quid eſt eſſe, ſibi autem ineſt, & conuerſim prędicatur de re, vt, *riſibile reſpectu hominis.*

Genus eſt quod de pluribus & differentibus ſpecie in eo quod quid eſt prædicatur, vt, *animal reſpectu hominis & bruti.*

Accidens eſt quod nihil horum eſt, neque definitio, neque proprium, neque genus; ineſt autem rei, vt, *album, reſpectu parietis.*

2. Accidens eſt quod contingit ineſſe cuiuis vni & eidem, & non ineſſe, vt, *album, &c.*

*Diuiſio eiuſdem & definitiones.*

Idem tripliciter dicitur, numero, ſpecie, genere.

Eadem numero ſunt, quorum nomina plura, res autem vna, vt, *indumentum & veſtis.*

Eadem ſpecie ſunt, quę cum ſint plura, indifferentia ſunt ſecundum ſpeciem, vt, *Ioannes, & Petrus.*

Eadem genere dicuntur, quæcumque ſub eodem genere ſunt, vt, *homo & equus.*

*Definitio propoſitionis dialecticæ.*

Propoſitio dialectica eſt interrogatio probabilis aut omnibus, aut plurimis, aut ſapientibus, & his vel omnibus, vel plurimis, vel maximè familiaribus non inopinabilis, vt, *An omnis mater diligat filium, &c.*

*Definitio problematis dialectici.*

Problema dialecticum eſt ſpeculatio intendens vel ad electionem & fugam, vel ad veritatem & ſcientiam, aut per ſe, aut vt adminiculans ad aliquid aliud talium: de quo aut neutro modo opinantur aut contrariè plerique ſapientibus, aut ſapientes plerisque, aut vtrique iidem iiſdem, vt, *Suntne decem categoriæ, an non.*

*Poſitionis definitio.*

Poſitio eſt opinio admirabilis alicuius familiarium ſecundum Philoſophiam, vt, *Sol eſt in centro vniuerſi.*

## EX LIBRIS ELENCHORVM.

*Definitio Elenchi ſiue Redargutionis.*

Redargutio eſt ſyllogiſmus cum contradictione concluſionis. Vt ſi quis defendat Medeam non amare prolem, hęc erit redargutio; *Omnis mater diligit prolem, Medea eſt mater, ergo Medea diligit prolem.*

*Definitio Sophiſtices & Sophiſtæ.*

Sophiſtice eſt apparens ſapientia, non exiſtens autem.

Sophiſta eſt pecuniarum aucupator, ab apparente ſapientia & non exiſtente.

*Diuiſio diſputationum & definitiones.*

Diſputationes ſunt quadruplices, doctrinales, dialecticę, tentatiuæ, contentioſę.

Diſputationes doctrinales ſunt, quę ex propriis principiis cuiuſque diſciplinę, & non ex iis quæ videntur reſpondenti, colligunt, vt, *ſi quis ſic diſputet, omne animal rationale eſt riſibile, omnis homo eſt animal rationale, ergo omnis homo eſt riſibilis.*

Diſputationes dialecticæ ſunt, quæ ex probabilibus collectiuæ ſunt contradictionum, vt, *ſi quis ita diſputet, omnis mater diligit filium, Medea eſt mater,*

Digitized by Google

*ergo Medea diligit filium.*

Diſputationes tentatiuæ ſunt, quæ ex iis colligunt, quę videntur reſpondenti, & quæ neceſſarium eſt eum ſcire, qui ſimulat ſe habere ſcientiam, vt, *ſi quis tentandi cauſa ſic diſputet, omnis pars eſt minor ſuo toto, caput eſt pars, ergo caput eſt minus ſuo toto.*

Diſputationes contentioſæ dicuntur, quæ ſunt ex iis quæ apparent probabilia, vt, *ſi quis ſic diſputet, Quidquid non amiſiſti, habes, cornua non amiſiſti ergo cornua habes.*

*Meta ſophiſtica.*

Metę ſophiſticæ ſunt quinque, Redargutio, falſum, inopinabile, ſolæciſmus, nugatio.

*Diuiſio fallaciæ.*

Fallacia eſt duplex, in dictione, & extra dictionem.

Fallacia in dictione eſt quæ cauſam apparentiæ habet in dictione, ſeu voce, vt, *fallacia accentus.*

Fallacia extra dictionem eſt quæ cauſam apparentiæ habet in rebus per voces ſignificatis, vt, *fallacia conſequentis.*

*Diuiſio fallacia in dictione, & definitiones.*

Fallaciæ in dictione, ſunt quinque, Æquiuocationis, Amphiboliæ, Compoſitionis & Diuiſionis, Accentus, Figurę dictionis.

Fallacia æquiuocationis eſt quę prouenit ex voce æquiuoca æquiuocè ſumptâ, vt, *Qui arat littus ſcindit terram, ſed operam perdens arat littus, ergo operam perdens ſcindit terram.*

Fallacia accentus eſt quę prouenit ex accentu vnius vocis mutato, vt, *Qui lepores venatur, canibus indiget, Poeta lepores venatur, ergo Poeta canibus indiget.*

Fallacia compoſitionis eſt, cum propoſitio vera in ſenſu diuiſo, falſa eſt in ſenſu compoſito, vt, *Poſſibile eſt omnem parietem eſſe album, ſed aliquis paries eſt niger, ergo poſſibile eſt aliquod nigrum eſſe album.*

Fallacia diuiſionis eſt cum propoſitio vera in ſenſu compoſito, falſa eſt in diuiſo; vt, *Impoſſibile eſt album eſſe nigrum. Hic paries eſt albus, ergo impoſſibile eſt hunc parietem eſſe nigrum.*

Fallacia figuræ dictionis eſt quæ prouenit ex vocum diuerſarum ſimilitudine, vt, *Fons eſt maſculini generis, ergo & frons.*

*Diuiſio fallacia extra dictionem & definitiones.*

Fallaciæ extra dictionem ſunt ſeptem. Fallacia accidentis, dicti ſecundum quid, & dicti ſimpliciter, ignorationis elenchi, conſequentis, poſitionis principij, non cauſæ vt cauſæ, plurium interrogationum vt vnius.

Fallacia accidentis eſt in qua male infertur aliquid conuenire rei, ex eo quòd conueniat eius accidenti, vt, *Animal eſt quadrupes, ergo homo eſt quadrupes.*

Fallacia dicti ſecundum quid & dicti ſimpliciter eſt, in qua proceditur á dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, vel contra, vt, *Æthiops eſt albus ſecundum dentes, ergo eſt albus.*

Redargutio (*alias elenchus*) eſt contradictio vnius eiuſdem, non nominis ſed rei & nominis: non ſynonymi, ſed eiuſdem, non; ex iis quæ data ſunt ex neceſſitate, non connumerato eo quod erat inprincipio, ſecundum idem, & ad idem, & ſimiliter, & in eodem tempore. Vide exemplum ſupra.

Fallacia ignorationis elenchi eſt in quâ colligitur id quod apparet eſſe contradictorium eius quod aſſertum eſt, reuera tamen non eſt contradictorium, vt, *ſi quis defendat Platonem fuiſſe doctiorem Ariſtotele, intelligendo, in rebus diuinis, alius verò inferat Platonem non fuiſſe doctiorem Ariſtotele, intelligendo in rebus humanis.*

Fallacia petitionis principij eſt in qua idem probatur per idem, vel per aliud aut æque obſcurum, vt, *ſi quis probe. aliquem hominem eſſe iuſtum, quia aliquis*

Digitized by Google

*homo eſt iuſtus.*

Fallacia conſequentis eſt in qua ex conſequente infertur antecedens, vel ex oppoſito antecedentis oppoſitum conſequentis, vt, *ſi homo eſt, animal eſt, ergo homo eſt.* Item, *ſi homo eſt, animal eſt, ſed homo non eſt, ergo animal non eſt.*

Fallacia non cauſæ vt cauſæ eſt cum falſitas concluſionis proueniens ex vna præmiſſa falſa, attribuitur alteri præmiſſæ veræ, quæ cauſa non eſt, vt, *ſi quis ita diſcurrat, omnis virtus eſt laudanda, ſed omnis prodigalitas eſt virtus, ergo omnis prodigalitas eſt laudanda; atqui cōſequens illud eſt falſum, ergo falſa eſt maior, ſcilicet, omnis virtus eſt laudanda.*

Fallacia plurium interrogationum vt vnius eſt, cum ad plures interrogationes petitur reſponſio vna, tanquam ſi eſſet vna interrogatio, vt, *ſi ſic petat ſophiſta, Homo & lapis ſuntne animal? ſi affirmes, inferet lapidem eſſe animal, ſi neges, inferet hominem non eſſe animal.*

# EX PHYSICA ARISTOTELIS,

## AC PRIMO EX LIBRIS PHYSICORVM.

*Propoſitiones cap. 1. lib. 1.*

IN Phyſica incipiendum eſt à principiis.

2. In principiorum inueſtigatione procedendum eſt à confuſis.

3 In principiorum explicatione procedendum eſt ab vniuerſalibus ad ſingularia.

*Definitio & numerus principiorum.*

Principia ſunt, quæ nec alia ab aliis viciſſim gignuntur, nec ab aliis oriuntur, & tamen ex eis oriuntur omnia, vt, *materia.*

Principia generationis ſunt tria, materia, forma, & priuatio.

Principia rei genitæ ſunt duo, materia & forma.

*Definitio materiæ primæ.*

Materia eſt id quod cuique rei primò ſubeſt, ex quo inſito aliquid per ſe, non alienâ vi, nec per aliud efficitur, vt, *materia prima ligni.*

*Proprietas materiæ primæ.*

1. Materia eſt pura potentia.
2. Materia eſt purè paſſiua.
3. Materia appetit omnem formam.
4. Materia eſt ingenerabilis & incorruptibilis.

*Definitio formæ ſubſtantialis.*

Forma ſubſtantialis eſt actus ſimplex, ſubſtantialis, vnum per ſe cum materia componens, vt, *anima rationalis.*

*Diuiſio corporum.*

Eorum quæ ſunt in naturâ rerum, alia naturâ ſunt & conſtant; alia ab aliis cauſis originem ducunt. Prioris membri exemplum, vt, *terra*, poſterioris, vt, *ſedes.*

*Diſcrimen naturalium ab artificialibus.*

Corpora naturalia intra ſemetipſa motus & ſtatus principia habere videntur, artificialia vt talia non habent.

*Definitio naturæ & diuiſio.*

Natura eſt principium quoddam & cauſa motus & ſtatus eius, in quo eſt primò, per ſe, non per aliud, alienáque vi, vt, *materia ligni, forma terræ.*

Naturæ in vniuerſum ſunt duæ, materia, & forma.

*Definitio naturam habentium.*

Naturam habent ea omnia in quibus hoc tale principium ineſt, vt, *lignum terra, &c.*

*Definitio eorum quæ ſunt è natura.*

E natura eſſe dicuntur & hæc ipſa, & quę his per ſe inſunt & conueniunt, vt, *terræ motus deorſum reſpectu terræ.*

*Definitiones cauſæ.*

1. Cauſa eſt quæ dat eſſe rei.

2. Cauſa eſt id ad cuius eſſe ſequitur aliud, vt, *ignis eſt cauſa caloris.*

*Genera cauſarum.*

Genera cauſarum ſunt quatuor, materia, forma, efficiens, finis.

Materia eſt id ex quo aliquid ita conficitur vt in re ipſa inſit ac permaneat, vt, *æs reſpectu ſtatuæ.*

Forma eſt ratio & definitio naturæ cuiuſque, vt, *anima rationalis reſpectu hominis.*

Efficiens eſt id vnde primum mutationis, aut quietis principium ducitur, vt, *ignis reſpectu caloris.*

Finis eſt id cuius causâ aliquid fit, vt, *ſanitas reſpectu deambulationis.*

*Proprietates cauſarum.*

1. Multæ ſunt eiuſdem non aduentitiæ cauſæ, vt, *ſtatuæ ſtatuaria ius & æs.*

2. Quædam ſunt quæ mutuò ſibi cauſam dant & afferunt, vt, *ſanitas eſt cauſa deambulationis, & deambulatio ſanitatis.*

3. Idem cauſa eſt contrariorum effectuum, vt, *ſol indurat lutum, & emollit ceram.*

*Diuiſiones cauſarum.*

1. Cauſarum alia eſt prior, alia poſterior, vt, *medicus, & artifex.*

2. Cauſarum aliæ ſunt cauſæ per ſe, aliæ per accidens, vt, *ſtatuarius & muſicus reſpectu ſtatuæ.*

3. Cauſarum aliæ ſunt cauſæ actu, aliæ potentia, vt, *ædificans, & ædificator.*

4. Cauſarum aliæ dicuntur vt coniunctæ, aliæ vt ſimplices. Coniunctæ, vt, *Polycletus ſtatuarius*, ſimplices, vt, *ſtatuarius*: item, *Polycletus.*

*Diuiſiones ex c. 5. lib. 2.*

1. Eorum quę fiunt, alia ſemper eodem modo fiunt, alia plerumque, alia præter hæc. Exemplum primi membri, vt, *quod nocti dies ſuccedat.* 2. vt. *quod homo naſcatur cum duobus oculis.* 3. vt, *quod fodiens ſepulchrum inueniat theſaurum.*

2. Eorum, quæ fiunt, partim aliò referuntur, partim non referuntur. Exemplum prioris membri, vt, *deambulatio ob ſanitatem ſuſcepta.* Poſterioris, vt, *inconſideratus motus digitorum.*

3. Eorum quæ aliò referuntur alia ratione fiunt, alia naturâ. Exemplum prioris membri, vt, *deambulatio ob ſanitatem ſuſcepta.* Poſterioris, vt, *motus terræ deorſum.*

*Definitio fortunæ.*

Fortuna eſt cauſa per accidens in iis rebus, quæ ab animi iudicio proficiſcuntur, & rarò fiunt, vt, *fodiens reſpectu inuentionis theſauri.*

*Definitio eius quod eſt fruſtra.*

Fruſtra dicitur fieri, cum id quod alterius gratia fieri ſolet, non illius fit gratia, vt, *ſi deambules ad conſequendam ſanitatem, nec eam conſequaris.*

*Definitio monſtri.*

Monſtrum eſt indiuiduum animatum habens à naturâ notabilem deformitatem toti ſpeciei extraneam, vt, *homo biceps.*

*Hypotheſes ex c. 1. lib. 3.*

1. Eſt aliquid quod reuera eſt tantum, aliud quo eſſe poteſt, ſimulque reipſa eſt. Exemplum prioris membri, vt, *calidum vt quatuor.* Poſterioris, vt, *calidum vt octo.*

2. In iis quæ cum aliquo conferuntur partim ex elatione & ſubmiſſione dicuntur, partim ex efficientia & perpeſſione, vnóque nomine ex eo quod mouet, & ex eo quod mouetur. Exemplum primi membri, vt, *duplum & dimidium*, ſecundi, vt, *calefacere & calefieri*: tertij, vt, *proijcere & proijci.*

Digitized by Google

3. Motus ſine rebus extare nullo modo poteſt.

4. Vnumquodque eorum in quibus eſt motus, duobus modis dicitur, vt, *in ſubſtantia, forma & priuatio: in qualitate, album & nigrum, &c.*

*Definitio motus.*

Motus eſt actus eius quod eſſe poteſt, qua ex parte eam vim habet, vt, *ambulatio, calefactio, &c.*

*Acceptiones infiniti.*

1. Id dicitur infinitum quod defectu quantitatis pertranſiri non poteſt, vt, *punctum.*

2. Quod ob nimiam quantitatem pertranſiri non poteſt, vt, *aer infinitus ſi eſſet.*

3. Quod etſi poſſit abſolutè, vix tamen ratione magnitudinis poteſt pertranſiri, vt, *ambitus terræ.*

4. Quod natura ſua habere poteſt, non tamen habet exitum aut terminum, vt, *circulus.*

5. Quod infinitum eſt potentia, vt, *continuum.*

*Diuiſio infiniti potentia.*

Infinitum potentia eſt triplex, infinitum additione, vt, *numerus*: infinitum detractione, vt, *linea*: infinitum vtroque modo, vt, *tempus.*

*Definitio infiniti.*

Infinitum eſt, cuius ſemper aliquid extra, ij qui ratione quantitatis ſumpſerint, accipere poſſunt, vt, *linea infinita, ſi daretur.*

*Diuiſio loci.*

Locus, alius eſt communis, alius proprius.

Locus communis eſt qui omnia corpora ambit, vt, *ſuperficies concaua cæli.*

Locus proprius eſt qui primus ambit, vt, *Superficies concaua vaſis reſpectu vini in eo contenti.*

*Proprietates loci.*

1. Locus ambit id cuius eſt locus, nec aliquid eſt rei.

2. Locus proprius nec maior eſt, nec minor locato.

3. Locus non à quaque re deſeritur, tamen ſeiungi poteſt.

4. In omni loco eſt ſupra & infra.

5. Omne corpus naturâ ad locum ſuæ naturæ accommodatum fertur, eoque quieſcit.

6. Locus eſt immobilis.

*Definitio loci.*

Locus eſt prima eius quod circumfuſum eſt extremitas, quę moueri poteſt, vt, *ſuperficies concaua vaſis reſpectu vini.*

*Definitio vacui.*

Vacuum eſt locus carens corpore, vt, *ſuperficies concaua vaſis, ſi nullum corpus in eo eſſet.*

*Definitio temporis.*

Tempus eſt numerus motus ſuperioris & conſequentis, vt *hora, dies, &c.*

*Proprietates temporis.*

1. Tempus minimum numero eſt, magnitudine non eſt.

2. Tempus velox & tardium non dicitur, multum verò & paucum, longum, & breue dicitur.

3. Tempus vbique ſimul idem eſt, quod autem potius & poſterius fit, non item.

4. Vt iterum atque tertiò motus vnus & idem eſſe poteſt, ſic etiam tempus

5. Non ſolum motum tempore metimur, ſed etiam tempus motu.

*Diuiſiones ex c. 1. lib. 5.*

1. Omne quod mouetur, partim mouetur per aliud, aduenititiáque vi, partim quod illius aliquid mouetur, partim quia idem primum mouetur. Exemplum primi membri, vt, *muſicus ambulat*, ſecundi, vt, *homo ſanatur, quando ſanatur oculus*, tertij, vt, *homo ambulat.*

2. Eorum quæ mouent, aliud per aliud alienáque vi mouet, aliud parte, aliud primum motum affert. Exemplum



Digitized by Google

diuidi poteſt.

Superficies eſt magnitudo quæ in duo diuidi poteſt.

1 Corpus eſt magnitudo quę in tria diuidi poteſt.

2. Corpus eſt id quod omni ex parte ſecari poteſt.

*Hypotheſes ex c. 2. lib. 1.*

1. Omnia corpora & magnitudines, quæ natura conſtant, per ſe loco moueri poſſe dicimus.

2 Omnis locus quo per locum quid mouetur, aut rectus eſt, aut in orbem circúmque fertur, aut ex his mixtus & concretus eſt.

3 Vnicuique ſimplicium corporum nanatura vnum motum attribuit.

*Diuiſio motus ſimplicis.*

Motus ſimplex diuiditur in circularem & rectum.

Motus circularis eſt qui circum medium voluitur, vt, *motus cœli.*

Motus rectus eſt qui in ſublime deorſúmque fertur, vt, *motus terræ ad centrum.*

*Diuiſio motus recti.*

Motus rectus duplex eſt, motus ſurſum, & motus deorſum.

Motus ſurſum eſt, qui à medio fertur, vt *motus naturalis ignis.*

Motus deorſum eſt, qui in medium fertur, vt, *motus naturalis terræ.*

*Definitio corporis ſimplicis.*

Corpus ſimplex eſt quod principium motus habet natura, vt, *ignis.*

*Definitiones grauis & leuis, grauiſſimi & leuiſſimi.*

Graue eſt quod naturæ vi ad medium mouetur, vt *terra.*

Leue eſt quod naturæ vi à medio mouetur, vt *ignis.*

Grauiſſimum eſt, quod omnibus, quæ deorſum feruntur, ſubſternitur, vt *terra.*

Leuiſſimum eſt, quod omnibus, quæ ſupra capere poſſunt, extat & eminet, vt, *ignis.*

*Hypotheſes ex c. 8 lib. 1.*

1. Omnia quieſcunt & mouentur, tum vi, tum naturâ ſuâ.

2 In quo loco non vi quieſcunt in eum naturâ feruntur: & in quem feruntur, in eo etiam manent: in quo autem vi manent, in eum etiam vi feruntur: & in quem vi feruntur, in eo quoque manent.

3 Si quis motus violentus ſit, naturalis erit contrarius.

*Definitio defatigationis*

Defatigatio eſt diminutio potentiæ actiuæ & cognitiuæ per diuturnam actionem, reparabilis tamen per quietem.

*Differentia poſitionum, earúmque definitio.*

Differentiæ poſitionum ſunt ſex, ſuperum & inferum, dextrum & ſiniſtrum, ante & retro.

1. Superum eſt pars quâ ſumitur alimentum, vt, *os.*

2. Superum eſt vnde motus proficiſcitur, vt, *caput.*

Inferum eſt pars ſupero oppoſita.

1. Dextrum eſt pars in qua plus virium eſt ad mouendum.

2 Dextrum eſt à quo motus proficiſcitur.

Siniſtrum eſt pars dextro oppoſita.

1. Ante eſt pars in qua ſenſus inſunt, vt, *facies.*

2. Ante eſt id quò motus fertur, vt, *facies.*

Retro eſt pars anteriori oppoſita.

*Quomodo illæ differentiæ cœlo accommodentur.*

Dextrum cœli oriens, vbi dormis, Phœbe, ſiniſtrum.

Ante dies medius, gelidus ſeptentrio retro.

Arcticus eſt infra, ſupráque antarcticus extat.

Hæc cadit in primum; reliquis contraria cœlis

Eſt facies, ſeruante locum, poſt, ante, priorem.



Digitized by Google

## EX LIBRIS METEOROLOGICORVM.

*Definitio exhalationis & vaporis.*

Exhalatio eſt ſpiritus calidus & ſiccus, qui è terra, vel terreo corpore educitur.

Vapor eſt ſpiritus calidus & humidus, qui ex aqua, vel aqueo corpore educitur.

*Definitiones meteororum ignotorum.*

1. Flamma (*ſiue fax*) eſt meteorum ignitum æqualiter longum & latum, ſpeciem flammæ ſiue facis referens.

2. Torris (*ſiue tæda*) eſt meteorum ignitum magis longum quàm latum, quod ſucceſſiuè inflammatur, ſpeciem torris ſiue tædæ referens.

3. Candela, (*ſiue lampas*) eſt meteorum ignitum, ſuâ figurâ & luce, candelæ, ſiue lampadis ſpeciem referens.

4. Lancea (*ſiue trabs ardens, iaculum ignitum, faſcis*) eſt meteorum ignitum, ſuâ figurâ ſpeciem lanceæ referens.

5. Capra ſaltans eſt meteorum ignitum magis longum quàm latum, ſpeciem capræ ſaltantis referens.

6. Stella cadens, aſcendens, diſcurrens, eſt meteorum ignitum ſpeciem ſtellę cadentis, aſcendentis, diſcurrentis referens.

7. Ignis perpendicularis, eſt meteorum ignitum, perpendiculi, vel pyramidis ſpeciem referens.

8. Ignis fatuus eſt meteorum ignitum, in infima aëris regione incenſum, motum habens inconſtantem.

9. Ignis lambēs eſt meteorum ignitum, quod per aërem diſperſum ſolet interdum iubis equorum adhærere.

10. Draco volans eſt meteorum ignitum draconis volantis ſpeciem referens.

11. Caſtor, pollux, Helena, ſunt meteora ignita, in infima aëris regione incenſa, quæ in mari apparentia ſubinde malis & antennis nauium adhærent.

12. Cometa eſt meteorum ignitum, in ſuprema aëris regione incenſum, magnæ ſtellæ ſpeciem referens.

13. Fulgur eſt exhalatio in nube accenſa.

14. Fulmen eſt exhalatio accenſa è nube magno impetu erumpens.

15. Tonitru eſt ſonus vehemens, proueniens ex colliſione exhalationis nube incluſæ cum lateribus nubis vel ex nubis effractione.

16. Circulus lacteus eſt lucidus & albus cirulus qui ſerenis noctibus apparet ſpeciem circuli lactei referens.

*Definitiones meteororum aqueorum.*

1. Nubes eſt vapor condenſatus in media aëris regione.

2. Pluuia eſt nubes in aquam ſoluta

3. Nebula eſt nubis in aquam reſolutæ ſuperfluitas.

4. Nix eſt nubes congelata priuſquam in aquam vertatur, per floccos deſcendens.

5. Grando eſt pluuia in aëre congelata.

6 Glacies eſt aqua congelata.

7. Ros eſt vapor ſubtilis & tenuis, & in infima aëris regione in aquam cōuerſus.

8. Pruina eſt vapor ſubtilis & tenuis, in infima aëris regione priuſquam in aquam reſoluatur congelatus.

*Definitiones meteororum terreſtrium:*

1. Terræ motus eſt concuſſio terræ, proueniens ab exhalatione incluſa & exitum quærente.

2. Ventus eſt multitudo quædam ſicci halitus, qui ex terra excitatur, & circum eam impellitur.

*Diuiſio ventorum.*

Diuiduntur primò venti in cardinales & laterales.

Venti cardinales ſunt qui ab aliquo ex quatuor mundi cardinibus ſpirant.

Digitized by Google

Venti cardinales ſunt quatuor, Boreas, Auſter, Eurus, Zephyrus.

Venti laterales ſunt venti cardinalibus interiecti.

Diuiduntur ſecundò, venti in generales & prouinciales.

Venti generales ſunt qui vbique ſpirant.

Venti prouinciales ſunt qui in certis tantùm prouinciis ſpirant.

Diuiduntur tertiò in ordinarios,& turbulentos ſiue tempeſtates.

Tempeſtas triplex, Ecnephias, Typhon, Preſter.

Ecnephias eſt copioſa & craſſa exhalatio nube incluſa, quæ ipſam diſrumpens, ſumma vi ad terram fertur, ſine inflammatione.

Typhon eſt tenuior& ſubtilior exhalatio, quæ per anguſtum nubis foramen erumpens, deorſum in gyrum rotata fertur.

Preſter eſt typhon incenſus.

*Definitio eorum terrorum aereorum, ſiue phantaſmatum in aere apparentium.*

Phantaſma eſt color in aëre apparens, non verus.

1 Vorago eſt exhalatio ſurſum rapta, ibique lumine perfuſa, ſpeciem, voraginis referens. Eodem modo definiendus eſt hiatus & dolium.

2. Halo (*Siue corona*) eſt circulus albus ſub aſtro aliquo in nube ſeu vapore apparens.

3. Virgæ (*ſiue bacilli*) ſunt phantaſma ſpeciem virgarum referens.

4 Parelius eſt ſolis imago in denſa nube.

3. Iris eſt arcus multicolor ſoli oppoſitus, in rorida nube, ex radiorum ſolarium reflexione proueniens.

## EX LIBRIS DE ANIMA.

*Definitiones animæ.*

1. Anima eſt actus primus corporis organici potentia vitam habentis.

2. Anima eſt id quo primùm & viuimus, & ſentimus, & ratiocinamur.

*Definitio generationis propria viuentibus.*

Generatio eſt proceſſio viuentis à principio vitæ coniuncto, ſecundum rationem ſimilitudinis, ſaltem ſpecie infima, vt, *generatio equi.*

*Definitio perlucidi, ſiue perſpicui.*

Perlucidum eſt quod ſenſum oculorum illud quidem mouet, non tamen per ſe ac vi ſua eum mouet, ſed vi alieni coloris.

*Definitio luminis.*

Lumen eſt actus & perfectio rei perlucidæ, qua ex parte perlucida eſt.

*Definitio coloris.*

1. Color eſt id quod vim habet id mouendi, quod reipſa perlucidum eſt.

2 Color eſt extremitas rei perlucidæ in corpore certo & terminato.

*Definitio ſoni.*

Sonus eſt cum alicuius ex alio atque in alio ictus elicitur.

*Definitio Echus.*

Echo eſt, cum ab aëre, qui vnus idemque manet, per vas quod extremis partibus diſſipari ſonùm prohibeat, rurſus aër quaſi pila repellitur.

*Definitio vocis.*

Vox eſt pulſus reſpirati aëris, qui ab ea anima, quæ in his partibus ineſt, ad arteriam efficitur.

*Definitio odoris.*

Odor eſt qualitas ex primarum commixtione reſultans dominante ſicco & calido, atque olfactum mouens.

*Definitio ſaporis.*

Sapor eſt affectio in humido aqueo, facta à ſicco terreſtri,& calore decoquente guſtatum, qui in potentia eſt ad actum per alterationem deducens.

*Diuiſio ſenſibilium.*

Senſibilium

Senſibilium aliud proprium, aliud commune.

Senſibile proprium eſt quod vnico ſenſu exteriori percipitur, vt, *color*.

Senſibile commune eſt quod pluribus ſenſibus exterioribus percipitur, vt, *motus*.

Senſibilia communia ab Ariſtotele quinque numerantur, motus, quies, numerus, figura, magnitudo.

FINIS.

SEQVITVR

# BREVISSIMVS METAPHYSICÆ ET MORALIS TRACTATVS.

*Ac primo breuiter de Elementis primæ Philoſophiæ.*

## DE MENTE, ET PHILOSOPHIA.

### *Quid Mens.*

MEns facultas intelligendi ſine recordatione, aut cum recordatione.

Partes eius ſunt phantaſma, rationalis, iudicium memoria.

Species duę, *theoretica*, ſiue contemplatiua, quæ intelligit, vt intelligat, vt quãdo philoſophamur de cœlo.

*Practica*, ſiue actiua, quæ intelligit, vt regat.

Regit autem primò mentem per Logicam.

Secundo, Appetitum per morales diſciplinas.

Tertiò, Vim motricem, exempli gratia manus per alias artes.

Officia ſunt intelligere, & intelligendo regere, &c.

Virtutes mentis, ſunt *intellectus* ſine probatione, *ſcientia & opinio*.

Practicæ mentis ſunt *ars* pro vniuerſis, *peritia* pro ſingulis.

*De Philoſophia.*

Virtus mentis quæ adiuta probitate procurat naturalem hominis felicitatem.

*Quid felicitas humana?*

Eſt diù & benè viuere vitam humanam, vti mente & virtute.

*Quotuplex Philoſophia?*

Duplex. *Theoretica*, quæ conſiderat diuina, id eſt, Deum & opera eius.

*Practica*, quæ conſiderat humana, id eſt, hominem, & quæ ipſum agere decet.

*Quotuplex Theoretica.*

Duplex, *Phyſica*, quę contemplatur res naturales, & corporeas.

*Metaphyſica*, quæ partim communia rebus corporeis, & incorporeis, partim ſpiritalia & incorporea.

*Quotuplex Practica.*

Duplex. Vna regit mentem nimirum Logica altera virtutem, nempe Ethica, ſiue Moralis.

*Quot ſunt Philoſophiæ moralis partes?*

Quatuor. Prima, eſt propriè *Moralis*, quæ exponit generatim honeſtam actionem.

Secunda, *Monaſtica*, quæ moderatur actiones virtutis, quatenus referuntur ad vtilitatem, & bonum eius ſolius, qui honeſtè agit.



Digitized by Google

Tertia, *Oeconomica*, quę contemplatur honeſtas actiones, quatenus referuntur ad familiæ bonum..

Quarta, & Princeps *Politica*, quæ eaſdem, quatenus referuntur ad rempublicam & ciuitatem.

*Quid contemplatur Metaphyſica.*

ENs ita explicabile, vt non deſcendat ad naturę concretionem, niſi fortè definiendo.

*Quid maximè conſiderat in ente.*

Principia, proprietates, diuiſiones, mutationes.

*Quid Principia?*

Eſt aliquid primum, vnde aliud.

*Quot genera principiorum entis?*

Duo, quædam cognitionem principiant, & inchoant, vt axiomata definitiones.

Quædam rem ipſam, & dicuntur principia rei.

*Quid axioma?*

Axioma eſt ſententia quædam vera,
Omne totum eſt maius ſua parte.
Res eſt, vel non eſt.
Non ſimul eſt, & non eſt.
Deo obediendum, eſt &c.

*Quot ſunt principia rei?*

Sunt *externa*, vt finis, exemplar, opifex.

Vel *interna*, vt genus & differentia, eſſentia & exiſtentia.

*Eſſentia*, reſpondetur ad quæſtionem *quid eſt*.

*Exiſtentia*, reſpondetur ad quæſtionem *an eſt*.

*Quot ſunt proprietatum genera?*

Duo, quædam ſunt *certa rei*, non cuiuſuis, vt mons, color.

Quędam *cuiuſuis*, vt vnitas, veritas, bonitas, intelligibilitas, perfectio, *ens, res, aliquid, vnum, verum, & bonum*, reciprocantur.

Quiduis bonum &c. licet non quouis modo.

Falſum aurum, non eſt aurum.

Falſus adamas, non eſt adamas; & ſic de cæteris.

*Quomodo ens diſtinguitur ab ente?*

Vel *ratione* tantùm, & conſideratione; vt mens practica à mente theoretica vel *realiter*, vt Petrus à Paulo.

*Quæ principes entis differentia, & diuiſione.?*

I. D*iuiſio.*

Ens *momentaneum*, vt hominis generatio.
*Succeſſiuum*, vt deambulatio.
*Permanens*, vt calor, domus, &c.

II.

*Diſcretum*, vt numerus exercitus.
*Continuũ*, aut non *diſcretum*, vt color homo.

III.

*Totale*, vt homo.
*Partiale*, vt caput.

IV.

*Abſolutum*, vt candor, candidus.
*Reſpectiuum & relatiuum*, vt pater cãdidior.

V.

Eſt *ſubſtantiale*, vt homo, lapis.
Vel *accidentarium*, vt quantitas, qualitas,

VI.

Eſt *finitum*, vel *infinitum*.

VII.

*Creatum*, vel *increatum*.

VIII.

Eſt *ens reale*, vt eloquentia Ciceronis.
Vel *ens rationale*, vt conſulatus Ciceronis, ſeruitus agri, &c.

*Quotuplex ſubſtantia?*

Eſt *corporea*, vt cœlum, terra, arbor.

Vel *incorporea* & ſpiritalis, vt Deus, Angelus, anima noſtra.

*Quid mutatio?*

Eſt progreſſio ab eſſe ad non eſſe, aut contra, vt igneſcere, extingui.

*Quotuplex mutatio?*

Vna eſt per quam res incipit, nempe generatio, geneſis.

Altera per quam deſinit, nempe corruptio.

Digitized by Google

*Quotuplex generatio, & productio?*

Vna eſt, per quam fit aliquid ex nihilo, & dicitur creatio.

Altera, per quam aliquid ex aliquo, vt ignis ex ligno, figura ex marmore.

*Quid docet Philoſophia Moralis?*

HOneſtam actionem, quæ fini commenſuratur, circumſtantiis, ſeu rationem benè & honeſtè viuendi.

Vnde *maximè hæc ratio intelligitur.*

*Ex fine, facultate, obiecto eius, functionibus, & habitibus.*

*Finis moralis.*

*Finis*, beatitas illa quæ continetur perfecto vſu appetitus liberi, ſeu honeſta actione.

Ea partim à prudentia, partim à probitate.

Perficit hæc finem, illa medium quod ad finem tendit.

*Facultates.*

*Facultates humanæ*, ſeu morales.

*Mente*, & morali, eſt opus, vt ſcias benè viuere.

*Voluntate*, vt velis.

*Vi executrice*, vt poſſis benè & honeſtè viuere.

Exequitur autem appetitus, quatenus capax libertatis cum vi motrice, &c.

Appetitus vnus rationalis, qui dicitur voluntas.

Alter irrationalis, qui dicitur ſenſitiuus & belluinus.

Hic vero duplex, *concupiſcens, iraſcens.*

*Obiectum.*

Proponitur nobis quidquid homini vtenti libertate bonum aut malum.

Bona vel animi, vel corporis, vel externa, honeſta, vel iucunda, vel vtilius.

*Functiones humanæ.*

*Mentis* eſt deliberare, quærere, concludere.

*Voluntatis*, frui, velle intendere, eligere, vti, cônſentire, nolle, dolere, ideóque & imperare.

*Appetitus concupiſcentis*, eſt, amor, cupiditas, voluntas, cum auerſatione, odio, dolore.

*Iraſcentis* ira, ſpes, & deſperatio, timor & audacia.

*Vis motricis*, pugnare, largiri, &c.

*Habitus Morales.*

*Habitus* (aſſuetudines) morales, aut ſunt vitioſi & vituperabiles, vt imprudentia, & iniuſtitia, ignauia. Aut honeſtis & laudabiles.

*Suntque.*

Vel *corporis*, vt aſſuetudo honeſtè ſalutandi.

Vel *mentis*, vt prudentia, conſcientia.

Vel *appetitus*, & ſunt propriè moralis virtus, & probitas, vt iuſtitia, fortitudo, temperantia.

# FINIS.

Digitized by Google

TERTIA PARS

# PHILOSOPHIÆ,

SEV

# PHYSICA.

Auctore C. F. D'ABRA DE RACONIS, ſacræ Theologicæ Pariſienſis Doctore Nauarrico, Concionatore, & Eleemoſynario Regio.

*EDITIO SEXTA CORRECTA, & emendata.*

AVENIONE,
Ex Typographia I. PIOT, S. Officij Typographi.

M. DC. XXXXI.

*Cum Superiorum permiſſu, & Approbatione.*

Digitized by Google

Digitized by Google

# INDEX PER ORDINEM EORVM, QVÆ in hoc Phyſicæ libro continentur: vbi numerus paginam indicat.


Prælu. I. & II. De nomine, & exiſtentia Phyſicæ 1.
Prælu. III. De eſſentia ibid.
Pr. poſt. De affectionibus Phyſicæ.

Sec. I. An Phyſica ſit ſpeculatiua, vel practica. 3
Sec. II. De obiecto Phyſicæ. ibid.

*Tractatus primus, de Principijs.*

*Diſputatio prima, de illis in communi.*

Sec. I. De nomine & varia acceptione principij. 5
Sec. II. De exiſtentia principiorum, & quot dentur. 6
Sec. III. De eſſentia principiorum. 10
Sec. poſt. *De affectionibus principiorum.*
Qu. I. De eorum inter ſe conuenientia. 11
Qu. II. De contrarietate principiorum, ſi quęſit. 12

*Diſputatio ſecunda, de internis rerum naturalium principijs in particulari.*

Sec. I. De materia. ibid.
Art. I. De nominibus & varia acceptione materiæ. ibid.
Art. II. De exiſtentia materię primæ. 13
Art. III. *De eſſentia materiæ.*
Memb. I De eius definitionibus. 14
Memb. II. Vtrùm potentia materiæ ad eius eſſentiam ſpectet. 15
Memb. III. Ad quas formas ſe extendat materiæ potentia. 16
Memb. IV. Vtrùm illa materię potentia prius reſpiciat formas ſubſtantiales, quàm accidentales. 17
Memb. V. Vtrùm materia ſit pura potentia Metaphyſica. 20
Memb. VI. An materia ſit pura potentia Phyſica. 2.
Ar. IX. & poſt. De affectionibus materię 23
Sec. II. De Priuatione. 25

*Digreſſio moralis contra peccatum, & pro conuerſione ad Deum.* 26

Sec. III. & poſt. *De forma ſubſtantiali.*
Qu. I. De variis nominibus & varia acceptione formæ. 27
Qu. II. *De exiſtentia formæ ſubſtantialis.*
Art. I. An de facto detur forma ſubſtantialis. 28
Art. II. Vnde ortum habeant formę ſubſtantiales. 29
Art. III. Per quid producatur forma ſubſtantialis. 30
Art. IV. An forma quæ produitur ab agente naturali ſit verus generationis terminus. 32
Qu. III. De eſſentia formæ ſubſtantialis 33
Qu. IV. *De affectionibus formę ſubſtantialis.*
Ar. II. Vtrum vnica forma poſſit plures numero materias informare. 34




Digitized by Google

Art. II. An plures formæ poſſint eandem numero materiam informare. ibid.

Sec. I. De nomine & varia acceptione naturæ, entiſque naturalis. 38

Sec. II. & III. De exiſtentia & eſſentia naturæ. ibid.

Qu. I. De naturæ definitione. 39

*Digreſſio moralis pro contemptu vitæ & deſiderio beatitudinis.* 40

Qu. II. Quid competat allata naturę definitio. 41

Qu. III. Vtrùm natura dicatur eſſe principium cuiuſlibet motus, & cuius. 42

Sec. IV. *De affectibus naturæ.*

Qu. I. De diſtinctione totalis naturæ à partialibus, ſeu quo modo totum diſtinguatur à ſuis partibus. 44

Qu. II. *De comparatione naturæ cum arte.*

Art. I. De conuenientia naturæ & artis, vbi an artis chimicæ beneficio verum aurum poſſit efformari, operáque naturæ ab arte fiant. 46

*Digreſſio moralis pro Incarnationis myſterio, & Euchariſtiæ Sacramento.* 47

Art. II. De diſcrimine naturæ & artis. 50

Sec. I. *Diſputatio ſecunda, de cauſis rerum naturalium.*

*De illis in communi.*

Qu. I. De nomine & varia acceptione cauſæ. 51

Qu. II. *De exiſtentia cauſæ.*

Ar. I. An, & quot generatim dentur cauſæ. ibid.

Ar. II De cauſa exemplari. 52

Memb. I. De nomine & varia acceptione, cauſæ exemplaris. 53

Memb. II. De exiſtentia cauſæ exemplaris. ibid.

Ar. III. & IV. De eſſentia & affectionibus cauſæ exemplaris. 55

Qu III. De eſſentia cauſæ. 57

Qu. IV. *De affectionibus cauſæ.*

Ar. I. De conuenientia cauſæ in communi reſpectu omnium cauſarum propriè dictarum. 59

Ar. II. De diſtinctione cauſarum inter ſe. 60

Ar. III. *De comparatione cauſarum inter ſe.*

Memb. I. quænam cauſæ ſint nobiliores. 61

Prima digreſſio moralis pro dignitate hominis. 62

II. digreſſio moralis contra peccatum. 63

Digreſſio moralis contra peccatum per modũ admonitionis. ib.

Memb. II. An cauſæ ſibi mutuò poſſint eſſe cauſæ. 64

Ar. IV. *De cauſis cum ſuis effectibus comparatis.*

Memb. I. Vtrum omnis cauſa ſit prior effectu. ibid.

Memb. II De comparatione cauſę cum effectu in dignitate. 65

Digreſſio moralis pro eleemoſyna. ibid.

Sec. II. *De cauſis ſpeciatim*

Qu. I. De cauſa materiali. 67

Qu. II. De cauſa formali. ibid.

Qu. III. *De cauſa efficiente.*

Ar. I. De nomine & varia acceptione cauſæ efficientis. 68

Ar. II. De exiſtentia cauſæ efficientis. ib.

Ar. III. *De eſſentia cauſæ efficientis.*

Memb. I. De eius definitione. 70

Memb. II. De cauſalitate cauſæ efficientis. ibid.

Ar. IV. *De affectionibus cauſæ efficientis.*

Memb. I. Vtrum poſſit dari effectus à pluribus cauſis totalibus. 71

Memb. II. An effectus ille, qui ab vna cauſa efficiente totali productus eſt, potuerit idem numero ab alia produci. 73

Appendix ad hanc ſectionem de actionibus cauſæ primæ. 74

Digitized by Google

Sec. I. *De creatione.*
Qu. I. An creationem cognouerint Philoſophi. ibid.
Qu. II. An creatura aliqua poſſit eſſe cauſa creationis. 75
Qu. III. quomodo ſe habeat creatio tam reſpectu Dei quam reſpectu ipſius rei quæ creatur. 79
Digreſſio moralis pro iuſtificatione peccatoris. 80
Sec. II. *De conſeruatione.*
Qu. I, An neceſſaria conſeruatio, vt res productæ à Deo in ſuo eſſe permaneant. 81
Qu. II. Quomodo conſeruatio à creatione diſtinguatur, ibid.
Sec. III. *De concurſu Dei cũ cauſis ſecundis.*
Qu. I. An concurſus Dei ſit neceſſarius ad omnes actiones creaturarum. 82
Qu. III. Vtrum cauſa prima determinet cauſas ſecundas ad agendum, an veró ab illis determinetur. 85
qu. 4. & poſt. De cauſa finali. 92
*Appendix generalis de cauſis per accidens.*
Sec. I. De fortuna & caſu. 93
Sec. II. De effectibus fortuitæ & caſus, potiſſimum de monſtris. 94
Qu. I. quid ſit monſtrum. 95
qu. II. de cauſis monſtrorum. ibid.
Sec. III de fato. 97
*Tractatus primus de quantitate, vnica diſputatione contentus.*
Sec. I & 2. de nomine & exiſtentia quantitatis. 99
Sec. III. *De eſſentia quantitatis.*
Qu. I. An omnis extenſio ſit de eſſentia quantitatis. ibid.
Qu. II. An termini quantitatis illam componant. 100
Qu. III. An indiuiſibilia ſint in continuo actu, necne, 63
Qu. IV. An partes continui ſint in illo actu, & an ipſum continuum ſit in infinitum diuiſibile 105
Sec. IV. de affectionibus quantitatis. 106
qu. I. de diſtinctione partium continui tam inter ſe, quàm ab indiuiſibilibus & continuo. ibid.
Qu. II. *De infinitate continui, ſi quæ ſit.*
Art. I. de nomine infiniti, & varia acceptione. 107
Ar. II. *De exiſtentia infiniti.*
Memb. I. Vtrum naturæ facultate poſſit dari infinitum actu, ibid.
Memb. II. An ſaltem diuina virtute dari poſſit infinitum actu. 108
Memb. III. An producta quacumque ſpecie poſſit Deus perfectiorem & perfectiorem in infinitum condere. 111
Art III. de eſſentia infiniti. 112
Art. IV. De affectionibus infiniti. ibid.
*Tractatus ſecundus, de loco, ad quartum librum Phyſicorum: Diſputatio vnica.*
Sec. I. & II. De nomine & exiſtentia loci. 114
Sec. III. De eſſentia loci. 115
Sec. IV. De affectionibus loci. ibid.
Qu. IV. an plura loca idem numero corpus capere poſſint, ſeu an idem numero corpus poſſit eſſe in pluribus locis. ibid.
qu. II. An duo vel plura corpora poſſint eſſe in eodem loco per penetrationem. 120
*Appendix de vacuo.*
Sec. I De nomine & exiſtentia Vacui, 121
Sec. II. De exiſtentia vacui. 122
Sec. III. & IV. De eſſentia & affectionibus vacui. 123
*Tractatus tertius, de tempore ad quintum librum Phyſicorum, vnica diſputatione contentus.*
Sec. I. De nomine & varia acceptione temporis. 125
*Anteloquium de duratione in communi.*

Pars I. Quid ſit duratio. 126
Pars II. De variis ſpeciebus durationis. ibid.
Pars III. De diſtinctione durationis ab exiſtentia creaturarum. 129
Sec. III. De exiſtentia temporis continui. ibid.
Sec. III. De eſſentia temporis. 130
Sec. IV. De affectionibus temporis. 131
*Tractatus poſtremus, de motu, ad reliquos Phyſicorum libros, vnica diſputatione contentus.*
Sec. I. De nomine & varia motus acceptione. 133
Sec. II. *De motus exiſtentia.*
Qu. I. An de facto detur motus. 134
Qu. II. Quotuplex ſit motus, ſeu de diuiſionibus motus. 136
Ar. I. *De motu naturali & violento, aliiſque eò pertinentibus*
Memb. I. De motu naturali. 137
Memb. II. De motu violento. 138
Ar. II. De motu veloci & tardo. 140
Ar. III. De motu directo & reflexo. 141
Ar. IV. De motu regulari & irregulari. 142
Qu. III. De ortu & interitu motus, ſeu quomodo incipiat & deſinat: vbi ex occaſione, de inceptione & deſitione cuiúſque rei diſputatur. ibid.
Qu. IV. *De cauſa efficiente motus ſcilicet mouente.*
Ar. I. An in omni motu mouens requiratur. 145
Ar. II. Vtrùm mouens debeat neceſſariò cum mobili coniungi vt motum efficiat. 146
Ar. III. De primo mouente, ſeu motore. 148
Qu. V. De mobili. ibid.
Sec. III. *De eſſentia motus.*
Qu. I. De eius definitione. 149
Qu. II. Vtrùm ſucceſſio & continuitas ad eſſentiam motus propriè dicti pertineant. 151
Sec. poſt. *De affectionibus motus.*
Qu. I. De terminis motus. 152
Ar. I. An & quot dentur in omni motu termini. ibid.
Ar. 2. De diuiſibilitate & oppoſitione terminorum motus. 153
Ar. III. An abiectio termini à quo, & acquiſitio termini ad quem, ſint vnus idémque motus. ibid.
Qu. II. *De vnitate motus.*
Ar. I. De vnitate numerica. 154
Ar. II. De vnitate ſpecifica & generica motus. 155
Qu. III. & poſt. De diſtinctione motus 157
*Diſputatio vnica, de Mundo.*
Sect. I. De nomine mundi, & varia acceptione. 150
Sec. II. De mundi exiſtentia. ibid.
Qu. I. An mundus fuerit productus ab æterno. ibid.
Qu. II. Vtrum mundus potuerit eſſe ab æterno. 163
Qu. III. An mundus ſex dierum ſpatio, an verò in inſtanti conditus ſit. 166
Qu. IV. Qua anni tempeſtate mundus conditus ſit. 167
Sec. III. De eſſentia mundi. 168
Sec. IV. De affectionibus mundi. ibid.
*Diſputatio vnica de Cœlo & Sphæra.* 169
Sec. I. & II. De nomine & exiſtentia Cœli. 170
Sec. III. *De eſſentia Cœli.*
Qu. I. De materia Cœli. ibid.
Qu. II. *De forma Cœli.*
Ar. I. Quænam ſit forma Cœli. ibid.
Ar. II. An ſit tantùm vna in omnibus Cœlis ſubſtantialis forma. 172
Ar. II. Vtrum aſtra à ſuis orbibus eſſentialiter diſtinguantur, formámque ſubſtantialem diſtinctam habeant. 173
*Breuis appendix ad ſupradicta, de di-*

Digitized by Google

*uiſione cæli & ſphæræ in ſuos circulos, aliiſque eò pertinentibus.*
Sec. I. De diuiſione cœleſtis ſphæræ in ſuos circulos generatim. 175
Sec. II. *De circulis ſphæræ in particulari.* ibid.
Qu. I. De circulis maioribus. 176
Ar. I. De circulo æquinoctiali, ſeu æquatore. ibid.
Ar. II. De Zodiaco circulo. ibid.
Ar. III. De duobus coluris. 179
Ar. IV. De meridionali circulo. ibid.
Art. V. De Horizonte. 180
Qu. II. De quatuor minoribus circulis. ibid.
Qu. III. De quinque Zonis. 181
Qu. I. De Stellis, earúmque numero & magnitudine. ibid.
Sec. IV. De affectionibus cœlorum. 182
Qu. I. De eorum figura. ibid.
Qu. II. De raritate, denſitate, aliiſque cœli accidentibus. 183
Qu. III. de perfectione cœlorum. 184
Qu. IV. *De motu cæli.*
Ar. I. qualis ſit cœli motus, & an ſit ei naturalis, ſeu à propria forma, an verò ab intelligentiis aſſiſtentibus. 185
Ar. II. An cœli motus ſit cauſa caloris. 187
Ar. III. An motus cœlorum ſint vniformes & æquabiles, 188
Ar. IV. An cœli motus ſit neceſſarius ad omnes actiones agentium inferiorum. ibid.
Art. V. An cœli motus concentum efficiat. 189
Qu. V. *De lumine cæli.*
Art. I. An lux omnis à ſole deriuetur: vbi ex occaſione, de via lactea, ibid.
Art. II. An lux omnis ſit eiuſdem ſpeciei, 190
Art. III. An lux ſit cauſa caloris, 192
Qu. VI. *De influxu & virtute cauſandi cæli.*
Art. I. Vtrum generatim cœlum influat in hęc inferiora, & quomodo. ibid.
Art. II Speciatim an cœlum empyreum influat in hæc inferiora, 194
Art. III. Quid præſtet cœli influxus in his inferioribus, ibid.
Qu. 3. & poſt. An dentur in cœlo differentiæ poſitionum, ibid.
*Diſputatio prima de Elementis in communi.*
Sec. I. de nomine & varia acceptione Elementi. 195
Sec. II. de exiſtentia elementorum. ibid.
Sec. III. de eſſentia Elementorum. 197
Sec. IV. de affectionibus Elementorum. 197
Qu. I. Vtrum Elementa ſuſcipiant magis & minus. ibid.
Qu. II. quænam qualitates Elementis inſint, & quomodo ad illas ſe habeant. 198
Qu. III. de primis qualitatibus motricibus ſpeciatim. ibid.
Ar. I. & II. de nomine primæ qualitatis alternatiuæ ciuſque exiſtentia. ibid.
Art. Poſt. de eſſentia primarum qualitatum, 199
Qu. IV. de affectionibus primarum qualitatum, 200
De motricibus qualitatibus Elementorum, 204
Art. I. quotnam illæ ſint, ibid.
Art. II. quomodo diſtinguantur inter ſe illæ motrices elementorum qualitates. ibid.

Ar. III. An leuitas & grauitas conueniant elementis in ſuis locis exiſtentibus. 205
Qu. V. De figura elementorum. ibid.
Qu. VI. De exceſſu elementorum. 206
Qu. VII. *De tranſmutatione elementorum.*
Ar. I. Vtrùm quodlibet elementum poſſit in quodlibet immediatè tranſmutari. 207
Ar. II. Quorum elementorum ſit facilior tranſmutatio. 208
Ar. III. Vtrùm ex pugna duorum elementorum tertium generari poſſit. 209
*Diſputatio ſecunda, de Elementis in particulari.*
Sec. I. De Igne. 210
Sec. II. De Aëre 211
Sec. III. *De Aqua.*
Qu. I. Quędam continens problemata ad aquam in vniuerſum pertinentia, ibid.
Qu. II. *De Mari.*
Ar. I. De eius natura & diuiſione. 212
Ar. II. De motibus Maris. ibid.
Ar. III. De Maris falſedine. 214
Qu. II. *De fontibus & fluuiis.*
Ar. I. De ortu fontium & fluuiorum. 215
Ar. II. De Nili ortu & incrementis. 216
Ar. III. De admirabili quorundam fontium & fluminum natura. 217
Sec. poſt. De Terra. ibid.
*Diſputatio prima vnico libro comprehenſa, de Actione & Paſſione.*
Sec. I. & II. De nomine & exiſtentia Actionis & Paſſionis. 219
Sec. III. De eſſentia actionis & paſſionis. 221
Sec. IV. De affectionibus actionis & paſſionis. ibid.
Qu. I. Vtrùm detur actio inter ſimilia. 212
Qu. II. An actio ſit eiuſdém in ſeipſum. 223
Qu. III. De actione per antiperiſtaſim. 224
Qu. IV. De reactione & repaſſione. 226
*Diſputatio ſecunda, vnico etiam libro contenta, de Alteratione.*
Sec. I. De nomine & varia acceptione alterationis. 227
Sec. II. De exiſtentia Alterationis, an ſit, & ad quas detur qualitates. ibid.
Sec. III. De eſſentia alterationis. 228
Sec. poſt. De affectionibus alterationis. 230
*Diſputatio tertia, de Generatione & eius oppoſito, nempe corruptione.*
Sec. I. De nomine & varia acceptione generationis. 233
Sec. II. De exiſtentia generationis ſubſtantialis. ibid.
Sec. III. *De eſſentia generationis.*
Qu. I. De eius definitionibus. 234
Qu. II. Vtrùm generatio ſit actio momentanea vel ſucceſſiua 234 235
Qu. III. In qua actione eſſentialiter cóſiſtat generatio. ibid.
Qu. IV. An generatio ſit conuerſio. 236
Sec. IV. De affectionibus generationis & corruptionis. ibid.
*Diſputatio quarta, de Mixtione & Temperamento.*
Sec. I. De nomine mixtionis & temperamenti variáque acceptione. 238
Sec. II. *De exiſtentia mixtionis & temperamenti.*
Qu. I. De exiſtentia mixtionis. ibid.
Qu. II. De exiſtentia temperamenti. 239
Sec. III. & IV. De eſſentia mixtionis & temperamenti, eorúmque affectionibus. 241
*Diſputatio prima, de Mixtis imperfectis, ſeu Meteoris in communi.*



Digitized by Google

SECT. I. De nomine mixti imperfecti, ſeu meteori. 242
SECT. II. De exiſtẽtia meteororũ. 243
SEC. III. De eſſentia meteororũ ib.
SECT. POST. De meteororum affectionibus. 244

*Poſterior diſputatio de Meteoris in ſpecie.*

SEC. I. De meteoris ignitis. 245
QV. I. De cometis. ibid
QV. II. De fulgure & tonitruo. 246
QV. III. De fulmine. 247
QV. IV. De reliquis impreſſionibus ignitis. 249
SECT. II. *De meteoris ſeu impreſſionibus lucidis.*
QV. I. De Iride. 250
QV. II. De quibuſdam aliis lucidis & coloratis meteoris. 251
SEC. III. De impreſſionibus quæ ex ſolo terræ halitu fiũt. 252
QV. I. De ventis. ibid
QV. II. De tempeſtatibus. 254
QV. III. De terræ motu. 255
SECT. IV. De meteoris aqueis, ſeu quæ oriũtur ex vaporibus. 257
QV. I. De nube & nebula. ibid
QV. II. De pluuia. ibid
QV. III. De rore & pruina. 258
QV. IV. De melle, manna, & ſaccharo. ibid
QV. V. De niue. 259
QV. VI. De grandine. 260
QV. VII. De glacie. ibid.
SECT. POST. *Diſputatio de mixto perfecto inanimato.*
SECT. I. De metallis. 261
SECT. II. De lapidibus, & quibuſdam aliis mixtis perfectis inanimitatis. 258

*Tractatus exquiſitiſſimus de corpore animato, ſeu de Anima.*

*Diputatio prima de Anima in communi.*

SEC. I. De nomine & varia acceptione Animæ. 265
SEC. II. De exiſtentia Animæ, an ſit, & quotuplex: vbi ex occaſione, de numero animarum & facultatum ib.

*De eſſentia Animæ.*

SECT. III. De priori Animæ definitione. 267
QV. I. De poſteriori Animæ definitione. 271
QV. II. *De affectionibus Animæ*
SEC. IV. Vtrùm plures Animæ ſibi mutuò ſuccedant in eodem viuente, néc ne. 272
QV. II. Vtrùm anima ſit diuiſibilis 273
QV. III. De facultatibus animæ generatim. 275
ART. I. De nomine facultatis, & varia eius acceptione, ib.
ART. II. *De exiſtentia facultatum animæ.*
MEMB. I. An, & quot dentur animæ facultates. ibid
MEMB. II. De cauſa efficiente facultatum animæ. 276
MEMB. III. Vtrùm facultates animæ ſimul producantur vel vna prius alia. 277
MEMB. IV. De ſubiecto facultatum animæ. 278
ART. III. De eſſentia facultatum animæ. 259
ART. IV. De affectionibus facultatum animæ. 282

*Appendix ad hanc diſputationem de forma cadaueris* 283.

*Secunda diſputatio de Animab⁹ in particulari, & primò de anima vegetante.* 284

SEC. I. *De facultatibus animæ vegetantis in communi.*
QV. I. De multiplici facultate animæ

ē

Digitized by Google

vegetantis. ibid.

Qv. II. Quis ſit ordo inter tres aſſignatas animę vegetantis facultates. 285

Qv. III. De diſtinctione facultatum animæ vegetãtis ib.

Qv. IV. De potiſſimo animæ vegetantis inſtrumẽto, nempe calore naturali 287

Sec. II. *De facultatibus animæ vegetantis in particulari*

Qv. I. *De nutritiua facultate, & ad illam pertinentibus.* 287

Art. I. De ipſa nutritiua. 288

Art. II. De facultatib. adminiſtris nutritiuæ. ibid.

Art. III. *De nutritione.*

Memb. I. Quid ſit nutritio. 289

Memb. II. Quomodo peragatur nutritio. ibid.

Memb. III. An viuenti nutritio ſit neceſſaria. 291

Memb. IV. An nutritio ſemper fiat. ib.

Art. IV. De alimento. 292

Art. V. De quibuſdã affectionibus facultatis nutritiuę 293

Qv I. *De facultate accreſcendi, & ad eam pertinentibus.*

Art. I. De nomine, & varia acceptione facultatis accreſcẽdi & accretionis. 295

Art. II. De exiſtentia facultatis accreſcẽdi & accretionis. ib.

Art. III. De eſſentia facultatis accreſcẽdi & accretionis 296

Art. IV. *De affectionibus facultatis accreſcendi, & accretionis.*

Memb. I Quomodo idem numero viuẽs toto nutritionis, & accretionis tempore maneat. 297

Memb. II. An quod ſemel corruptum eſt poſſit reparari. 298

Memb. III. An per rarefactionem acquiratur quantitas, & per condenſationem deperdatur. 300

Memb. IV. De terminis magnitudinis & paruitatis. 301

Qv. III. De facultate generatiua, & ad illã pertinentibus. 303

Art. I. De ipſa generatione ibid.

Art. II. De ſemine. 306

Art. III. De ſimilitudine, vel diſſimilitudine quæ inter parentes intercedit. ibid.

*Diſputatio tertia de Anima ſenſitiua.*

Sect. I. *De ſenſu in communi.*

Q. I. & II. De nomine, & exiſtentia ſenſus. 307

Qv. III. De eſſentia ſenſus. ib.

Qv. IV. De affectionibus sẽſus 308

Art. I. *De eius obiecto, ſcilicet ſẽſibili.*

Memb. I. Quod ſit obiectum ſenſus, & quas conditiones exigat. ibid

Memb. II. Quotuplex ſit ſenſus obiectum. 309

Memb. III. Vtrùm ſenſibilia cõmunia immitiant in ſenſus diſtinctas ſpecies à ſpecieb⁹ propriorũ ſenſibiliũ 300

Art. II. Vtrùm ſenſus errare poſſit circa ſenſibile commune, & proprium. 311

Art. III. Vtrùm ſenſus circa plura ſimul verſari poſſit. 312

Art. IV. Vtrùm vehemens ſenſibile lædat ſenſum. ibid

*Appẽdix de ipſa actione sẽſus*

Sect. I. Quid ſit illa. 313

Sect II. Quomodo fiat ſenſatio, an per ſpecies intentionales 314

Qv. I. De nominibus, & varia acceptione ſpeciei intentionalis. ibid.

Qv. II. *De exiſtentia ſpecierum intentionalium ſenſibilium.*

| | | |
|---|---|---|
| Art. I. | An ſint neceſſariò admittendæ ſpecies intentionales ſenſibiles. | ibid |
| Art. II. | De cauſa efficiente ſpecierum intentionalium ſenſibilium. | 315 |
| Art. III. | De ſubiecto ſpecierum intenſionaliũ ſenſibiliũ | ibid |
| Qv. III. | De eſſentia ſpecierum intẽtionaliũ ſenſibiliũ. | 316 |
| Qv. IV. & P. | *De affectionibus ſpecierum intenſionalium ſenſibilium.* | |
| Art. I. | Vtrùm ſpecies intentionales ſenſibiles ſint diuiſibiles, vel non. | ibid |
| Art. II. | Vtrùm ſpecies intenſionales ſenſibiles ſuſcipiant magis, & minus. | 317 |
| Art. post. | An ſpecies intentionales ſenſibiles etiam ſenſibus percipiantur. | ibid |
| Sec. II. | *De ſenſibus externis.* | |
| Qv. I. | *De illis generatim.* | |
| Ar. I. & II. | De nomine ſenſus externi, & exiſtentia, | 318 |
| Art. III. | De eſsẽtia sẽſus externi. | ib. |
| Art. IV. | *De affectionibus ſenſuum externorum.* | |
| Memb. I. | An ſenſus externi ſint eiuſdem ſpeciei in ſingulis animalibus. | 319 |
| Memb. II. | Vtrùm ſenſus externi ſua obiecta ſine vllo medio percipere queant. | ibid |
| Memb. III. | Quis ſit ordo inter ſenſus externos. | 320 |
| Memb. IV. | Vtrùm ſenſus externi percipiant ſuorum obiectorum priuationes. | ib. |
| Memb. V. | Vtrùm ſenſus externi ſuas ipſas actiones percipiãt. | ib |
| Qv. II. | *De ſenſibus externis in particulari.* | |
| Art. I. | De viſu. | 321 |
| Memb. I. | De nomine, & varia acceptione viſus. | ibid |
| Memb. II. | De exiſtentia viſus. | ibid |
| M. III. & IV. | De eſſentia, & affectionibus viſus. | 322 |
| Dubium I. | Quid ſit adęquatum viſus obiectum. | ibid |
| Dub. II. | De lumine. | 323 |
| Dub. III. | De colore. | 325 |
| Dub. Post. | De fine viſiuæ facultatis, ſcilicet viſione, & quomodo illa fiat. | 326 |
| Art. II. | *De auditu.* | |
| M. I. & II. | De nomine, & exiſtentia auditus. | 327 |
| M. III. & IV. | De eſſentia, & affectionibus auditus. | 328 |
| Dub. I. | quid ſit ſonus? | ibid |
| Dub. II. | De ſubiecto ſoni. | 329 |
| Dub. III. | De medio ſoni. | ibid |
| Dub. IV. | Quomodo propagetur, & diffundantur ſonus per medium. | ibid |
| Dub. V. | De voce. | 330 |
| Dub. Post. | De voce reflexa, ſeu echo. | ibid. |
| Art. III. | *De Olfatu.* | |
| M. I. & II. | De eius nomine, & exiſtentia. | 331 |
| M. III. & IV. | De eſſentia, & affectionibus odoratus. | 332 |
| Art. IV. | *De Guſtu.* | |
| M. I. & II. | De nomine, & exiſtentia guſtus. | 333 |
| Memb. III. | De eſſentia guſtus. | 334 |
| Memb. IV. | De affectionib' guſtus. | ibid |
| Ar. V. & P. | *De Tactu.* | |
| M. I. & II. | De nomine tactus, & exiſtentia. | ibid |
| M. III. & IV. | De eſſentia, & affectionibus tactus. | ibid. |
| Dub. I. | De vnitate tactus. | ibid |
| Dub. II. | De obiecto tactus | 335 |
| Sec. III. | *De ſenſibus internis* | |
| Q. I. & II. | De nomine, & exiſtentia ſenſus interni. | ibid |
| Art. I. | An detur sẽſ' intern'. | 336 |

ART. II. Quot dentur ſenſus interni. ibid.

ART. III. De ſubiecto ſenſuum internorum. 338.

ART. IV. An omnes ſenſus interni in ſingulis animalibus exiſtant. ibid.

Q. III.&IV. De eſſentia, & affectionibus ſenſuum internorum. 339

ART. I. De affectionibus ſenſus communis, ſomno & vigilia. ibid.

ART. II. De affectionibus phantaſiæ, & æſtimatiuæ, ſcilicet de ſomniis. 342

ART. III. An compoſitio, diuiſio, diſcurſus in ſenſibus internis reperiantur. 344

SEC. IV. De appetitu ſenſitiuo. 345

QV. I. De nomine & varia acceptione appetitus. ibid.

QV. II. De exiſtentia appetitus ſenſitiui. ibid.

QV. III. De eſſentia & affectionibus appetitus ſentientis. 346.

SEC, Pos. De virtute motrice animalium. ibid.

*Diſputatio vltima de anima rationali.*

SEC. I. De nomine animę rationalis. 347

SEC. II. *De exiſtentia animæ rationalis.*

QV. I. An detur, & quomodo procreetur. ibid.

QV. II. Vtrum anima rationalis ſit immortalis. 348

QV. III. De numero, & multitudine animarum. 350

SEC. III, De eſſentia animæ rationalis. 351.

SEC. IV. *De affectionibus animæ rationalis.*

QV. I. An omnes animæ rationales ſint æqualis perfectionis; 351.

QV. II. *De intellectu.*

ART. I. De ipſa facultate intelligendi. 352

ART. II. De ſpeciebus intelligibilibus. ibid.

ART. III. De conuerſione intellectus ad phantaſmata. 354

ART. IV. De termino intellectionis, ſeu verbo mentis. ibi.

ART. V. *De obiecto intellectus.*

MEMB. I. Vtrum ſolum ens reale ſit proprium & adęquatum intellectus obiectum 355

MEMB. II. An corporeæ ſubſtantiæ per ſe ſint de obiecto intellectus, & ab ipſo cognoſcantur. ibid.

MEMB. III. Vtrum tam vniuerſalia quàm ſingularia ſint de obiecto intellectus, ab illóque percipiantur. 356

MEMB. IV. Vtrum intelligentiæ ab intellectu cognoſcãtur. 357

M. V. & Pos. De obiecto prius ab intellectu cognito. ibid.

QV. III. De memoria intellectiua. 358.

QV. IV. De voluntate, 359

ART. I. De libero hominis arbitrio. ibid.

ART. II. Vtrum voluntas præſtet intellectui, vel è contra. 360.

ART. III. De diſtinctione voluntatis ab intellectu. ibid.

QV. V. & P. De facultate motrice animæ rationalis. ibid. & ſeq.

*Breuis Appendix ad hanc ſectionem.*

SEC. I. Quænam in anima remaneant poſt eius ſeparationem à corpore. 361


Digitized by Google

SEC. II. Vtrum actus intellectus, voluntatis, & memoriæ in anima ſeparata remaneant. 362

SECT. III. De obiecto intellectus animæ ſeparatæ,& modo cognoſcendi. ibid

*Appendix generalis ad hunc Tractatum, de partibus humani corporis ſeu Anatome*

SECT. I. *De partibus humani corporis in communi.* 363

Q. I.& II. De nomine & exiſtentia partis. ibid

Q.III.&IV.De eſſentia& affectionibus partis. 364

SECT. II. *De partibus humani corporis in particulari.*

QV. I. De partibus ſimilaribus. ibid.

ART. I. De oſſibus. ibid.

ART. II. De cartilagine & ligamento. 365

ART. III. De reliquis partibus ſimilaribus animatis, tendine, fibris, mēbranis,cute, carne & pinguedine. ib.

ART. IV. De partibus ſimilaribus inanimitatis. 366

MEM. I. De quatuor humoribus. ibid

MEMB. II. De ſpiritibus, 367

MEMB. III.De ſemine & lacte. ibid.

QV. II. *De partibus diſſimilaribus*

ART.I. De muſculo. 368

ART. II. De venis. ibid.

ART. III. De arteriis. 705

ART.IV. De neruis. 706

SECT. III. *De diſpoſitione partium corporis.*

QV. I. De diſputatione partium capitis. 707

QV. II. De partibus thoracis.709

QV. III. De partibus ventris inferioris. 711

Digitized by Google

# ARBOR PHYSICÆ

## PRÆFATIVNCVLA.

MIRARIS, Phyſiologia priùs arbuſcula, nunc tanquam arbor contemplanda proponitur. Mirari deſine, non eadem ætas, nec rerum ſtatus idem: prius quia adhuc tenera, parum firma, ideo arbuſcula: hodie, quia cœleſti quodam rore adoleuit, arbor nuncupatur. Huius arboris anatomia, nobis in toto hoc opere proponitur, in qua quidem arbore, radices primum ſcilicet principia, & cauſas corporis naturalis; corticem, accidentia corporis naturalis; truncũ mundum: & ramos, cœlos nempe, elementa, mixta: ſpectabimus, ſed priùs de more noſtro, pauca præfari iuuat.

### PRÆLVDIA IN PHYSICAM.

### PRÆLVDIVM PRIMVM, & ſecundum.

*De nomine & exiſtentia Phyſicæ.*

EX vocabuli notatione *Phiſiologia* idem eſt ac *naturæ ſermo ſeu ſcientia*, duplici vocabulo Græco φύσις, quod Latinè eſt natura, & λόγος, quod eſt ſermo.

Phyſicæ exiſtentiam, ſeu aliquam dari Phyſicam, confirmat imprimis communis Philoſophorum conſenſus, qui eam ſummo ſemper ſtudio excoluerunt: teſtantur etiam magnorum Philoſophorum monimenta quæ de iſta præclariſſima diſciplina adhuc noſtro ſæculo exſtant: arguit denique trita illa, & ab omnibus recepta totius Philoſophiæ diuiſio in Phyſicam, Metaphyſicam, & Mathematicas.

### PRÆLVDIVM TERTIVM.

*De eſſentia Phyſicæ.*

CViuſlibet rei eſſentia ſolet per definitionem explicari: quia verò definitio, ſaltem accuratiſſima, genere conſtat, & differentia, de genere Phyſicæ priùs agendum eſt, & inueniendum, an ſit ſcientia, an verò aliquis alius habitus intellectus: poſteà verò explicato eiuſdem Phyſicæ obiecto facilè innoteſcet differentia. Senſus itaque huius difficultatis eſt, an ſcientia ſit genus Phyſicæ, ſiue (quod idem eſt) an Phyſica ſit ſcientia.

Prætermiſsâ illorum opinione, qui ſe in ſcientiis inquirendis oleum perdere aſſerebant (& quos Philoſophus in libris Poſteriorum Analyticorum acriter redarguit) alia fuit ſententia non minus à veritate alie-

na, Phyſicam à ſcientiarum cœtu eſſe remouendam.

Verùm communis, omniúmque conſenſu firmata ſententia contrariũ ſtatuit, nimirum Phyſicam propriè dictæ ſcientiæ albo debere inſigniri.

Præcipuus author eſt Ariſtoteles qui libro 3. Phyſicorum c. 4. præclaro illo ſcientiæ titulo Phyſicam inſigniuit, contrariæ ſententiæ aſſertores, inſcitiæ erroríſque coarguens.

Fauet etiam ſuperius allata diuiſio Philoſophiæ ſpeculatiuæ, necnon etiam illa totius Philoſophiæ à Platone commendata, & ab aliis communiter recepta in Logicam, Moralem, & Phyſicam, vbi nomine Phyſicæ non ſola naturæ ſcientia, ſed & Metaphyſica, & Methematicæ intelligi ſolent.

Denique accedit ratio: illa eſt vera, ac propriè dicta ſcientia, in qua veræ habentur demonſtrationes, quia demonſtratio ſcientiam parit, ex omnibus Philoſophis in libris poſter. Analytic. atqui in Phyſica multæ ſũt veræ ac legitimæ demõſtrationes: ergo, &c. Minor probatur exemplis quarumdam Phyſicæ demonſtrationum, quæ ab omnibus tanquam legitimæ admittuntur.

Prima eſt:

*Omne corpus compactum ex quatuor elementis eſt corruptibile;*

*Corpus humanum eſt compactum ex quatuor elementis:*

*Ergo corpus humanum eſt corruptibile.*

Item:

*Omne animal rationale eſt diſciplinarum capax:*

*Omnis homo eſt animal rationale:*

*Ergo omnis homo eſt diſciplinarum capax.*

Aliæ ſunt propè innumerabiles (quæ patebunt ex progreſſu Phyſicæ demonſtrationis) quæ, ne faſtidium potiùs pariant, quàm ſtudium, à nobis prætermittuntur libenter. Itáque concludendum eſt Phyſicam inter ſcientias propriè dictas locum habere.

Ad hanc rationem omnes aliæ reuocantur, vt quod Phyſica ſit cognitio rei neceſſariæ per cauſam, & obiecti ſui, nimirum corporis naturalis principia, partes, & proprietates explicet: hæc enim omnia phyſicæ cõpetere ex eo intelligimus, quòd veras contineat demonſtrationes, quibus de obiecto ſuo proprietates, & affectiones oſtendat.

Cæterum ſicut omnes noſtræ ſententiæ rationes, ad vnam omni ex parte confirmatam reuocatæ ſunt, ſic obiectiones omnes quæ eandem labefactare videntur, in hac generali comprehendi poſſunt: *Omnis ſcientia debet eſſe cognitio certa, & neceſſaria, de rebus certis & immutabilib.* atqui Phyſ. non eſt eiuſmodi: ergo non eſt ſcientia. Maior certa eſt. Minor verò probatur, quia corpus naturale de quo agit Phyſica, non cógnoſcitur, niſi per ſenſus, qui cùm identidem decipiantur, falſa intellectui plerúmque denuntiant: vnde fit vt intellectus aberret. Deinde Phyſ. agit per ſe de Solis Lunæque defectibus, generatione, & corruptione, quæ omnia variis mutationibus ſubiacent: conſpicuum igitur eſt Phyſicam non eſſe certam de rebus certis, & immutabilibus cognitioné, proindéque à ſcientiarum numero eſſe arcendam?

Reſpondeo conceſſâ maiori, negando minorem. Ad priorem probationem dico rerum naturalium cognitionem non proinde incertam, aut variam debere iudicari, quòd initiũ accipiat à ſenſibus, qui ſæpiùs falſa rerum imagine deluſi certi veritatis

Digitized by Google

innuntij eſſe non poſſunttum quia ſi à Veritate aberrarint, poteſt intellectus eos corrigere: tum quia non ſemper decipiuntur, ſed certò aliquando apprehendunt, maximè cùm obiectũ eſt proprium: vt cum color, reſpectu viſus, ponitur in debita diſtantia, medium eſt idoneum. & facultas aptè diſpoſita, vt tradunt Philoſophi agendo de ſcientia: vnde ſaltem de illis poſſet intellectus certam ſcientiam comparare.

Ad poſteriorem confirmationem reſpondeo, defectus Solis, & Lunæ, generationes, & corruptiones, omnes denique motus, eſſe quidem inconſtantes ac mutabiles, ſi ſpectentur in particulari. & (vt alij loquuntur) in actu exercito, quo pacto de illis non agit Phyſica: ſecus tamen ſi conſiderentur in vniuerſum, ſeu vt dicunt alij, in actu ſignato, ſecundũ ſuas éſſentias ac definitiones eſſentiales, quo modo neceſſitatem obtinẽt, & phyſicæ ſunt conſiderationis.

## PRÆLVDIVM POSTREMVM.

### *De affectionibus Phyſicæ.*

### SECTIO PRIMA.

*An Phyſica ſit ſpeculatiua, vel practica?*

Reſpondeo eſſe ſpeculatiuam. Author eſt Ariſtoteles 6. Metaphyſ. c. 1. ſcientiam ſpeculatiuam (vt diximus) in Phyſicam, Metaphyſicam, & Mathematicas diſtribuens.

Probatur ratione, quæ ſcientia ſibi proponit nudam obiecti cognitionẽ, nec vlla tradit agendi præcepta, ea eſt ſpeculatiua: atqui Phyſica talis eſt, proponit enim ſibi tantùm cælũ, verbi gratia, cognoſcere; quo verò modo regi, aut adminiſtrari debeat, non curat: ergo ſpeculatiua eſt, non practica.

Obiicies, ex rerum naturalium, ſeu creaturarum cognitione, excitamur ad amorem creatoris, ergo ſic Phyſica poterit dici practica.

Probatur antecedens, ex cognitione creaturarum viſibilium cognoſcimus inuiſibilia Dei, nempe potentiã, ſapientiam, bonitatem, vt habet D. Paulus ad Rom. 1. *Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus & diuinitas.* Idemque docet D. Aug. in Solil. c. 21. Ex *his minimis tua magna: & ex his viſibilibus tua inuiſibilia comprehendimus*, ergo ex illa cognitione quam habet intellectus de perfectionibus creatoris comparata per cognitionem creaturarum poteſt reſultare in voluntate amor aliquis creatoris.

Reſpondeo negatione conſequentiæ: ſiquidem per accidens tantum eſt ad Phyſicam quòd cognitis creaturis amore creatoris incendamur, ideóque tantum praxim per accidẽs reſpicit: finiſque ille, nempe amor creatoris non eſt artis, ſeu Phyſicæ, ſed potius artificis, nimirum Phyſici.

### SECTIO SECVNDA.

*De obiecto Phyſicæ.*

Mirum eſt quòd omnes authores in aſſignando Phyſicæ obiecto, quoad rem ipſam omnino conueniãt, & ſolum quantum ad modum, & loquendi formulam diſſentiant: fatentur enim omnes obiectum illud eſſe id quod vocamus corpus naturale, ſeu conſtans materia & forma: at alij illud aliter exprimunt: quidam vocant, *Ens naturale*, alij *Ens mobile*, alij *Subſtantiam naturalem*, alij *Subſtantiam mobilẽ*, alij *Corpus mobile*, alij denique, & omniũ optimè, *Corpus naturale*. Vt



123

hac varietate certa veritas aperiatur.

Notandum primò corpus eſſe triplex, Mathematicum, quod trina dimenſione, longitudine, latitudine,& profunditate conſtat: ſecundum Metaphyſicum, quod ex genere, & differentia componitur, ex ſubſtantia, tanquam genere, & gradu corporis tanquam differentia:tertium Phyſicũ, quod ex materia & forma vnitis coaleſcit.

Notandum ſecundò, quamuis interdũ ens naturale, & ens ſecundùm naturam promiſcuè vſurpentur, nihilominus apud Ariſt. 2. Phyſ. cap. 1. textu 4. ipſa aliquo inter ſe diſcrimine ſeparari, quòd ens naturale ſit neceſſariò ſubſtantia cõſtans materia & forma:ens verò ſecundũ naturã latiùs pateat, comprehendátque non modò corpus conflatum ex materia & forma, ſed eas etiam affectiones,& proprietates quæ tali corpori inſunt, illíque per ſe, ac naturaliter competunt, vt igni ſurſum aſcendere,& terræ in centro exiſtere.

Notandum denique corpus mobile bifariam ſumi poſſe, primò pro ſubſtantiali motus principio, quo ſenſu idem planè eſt, ac corpus naturale: ſecundò pro ipſo principio accidentali motus, túncque à corpore naturali diſtinguitur, vt Proprietas à ſubiecto. His notatis, fit.

*Prima propoſitio.*

NON benè ponitur pro obiecto materiali Phyſicæ, *ens naturale*, Vel *mobile:ſubſtantia naturalis*, vel *mobilis*.

Probatur, illud malè ſtatuitur obiectum materiale phyſicæ, cui per ſe, & vt tale eſt, non conuenit ratio formalis ſecundum quam in ea conſiderari debet; cuique non competunt proprietates quæ phyſicæ obiecto tribuuntur: atqui enti naturali, enti mobili, ſubſtantiæ naturali, ſubſtantiæ mobili, per ſe non conuenit ratio formalis, ſecundum quam tractari debet obiectum phyſicæ, nimirum *eſſe naturale* ſeu materia &forma conſtans,quia in tantum ens, & ſubſtantia dicuntur conſtare materia, & forma, in quantum ad corpus naturale reſtringuntur: nec illis etiã per ſe conueniunt proprietates quæ obiecti ſunt Phyſicæ,*quantitas* videlicet, *locus tempus*; ſed eatenus tantum, quatenus pro corpore naturali vſurpantur:ergo nec *ens naturale*, nec *mobile*,nec *ſubſtantia naturalis*, nec *mobilis* rectè ponuntur pro materiali Phyſicæ obiecto.

Probatur ſecundò: obiectum materiale in aliqua ſcientia habet ſe inſtar materiæ,& generis,formale verò inſtar differentiæ,& formæ, quia materiale determinat ad certã ſcientiã, ſicut differentia genus ad certã ſpeciem, & forma materiam ad certum naturale compoſitũ reſtringit: ergo, quemadmodum in contractione generis per differentiam, materiæ per formam, genus proximum per differentiam cõtrahitur, verbi gratia,animal per rationale, & materia propinqua,per formam,ita etiam per obiectum formale, illud materiale obiectum contrahi debet, quod ei propiùs iungitur: atqui in Phyſica illud non eſt, aut *ens*, aut *ſubſtantia*, ſed ſolum corpus naturale, vt patet ex prædictis ergo nec *ens*. nec *ſubſtantia*,dici poſſunt obiectum materiale Phyſicæ.

Confirmatur, nemo vnquam dixit ens ſanabile, aut ſubſtantiam ſanabilem eſſe obiectum medicinæ, ergo à pari ineptè quis diceret ens naturale,

Digitized by Google

aut ſubiectum naturale, eſſe obiectum Phyſicæ.

Secunda propoſitio, verũ obiectum materiale phyſicæ eſt *corpus naturale.*

Probatur: de corpore naturali in Phyſica explicantur principia, materia ſcilicet & forma: proprietates, nempe locus, tempus, quantitas, motus: ſpecies item, corpus cœleſte, elementare, mixtáque omnia: imò nihil penitus in Phyſica conſiderandũ venit, niſi quatenus ad ipſũ corpus naturale aliqua ratione refertur: ergo corpus naturale eſt legitimum Phyſicæ obiectum.

Contra verò hanc propoſitionẽ & rationem obiicies, plurima tractantur in phyſica, quæ non ſpectant ad corpus naturale, vt *fortuna, caſus, fatũ, vacuũ, Deus & intelligentiæ:* ergo ad corpus naturale non reducuntur omnia quæ ſunt phyſicæ conſiderationis, proindéque non eſt verum phyſicæ obiectum.

Reſ. ad anteced, quædam per ſe tractari in Phyſicâ, vt ſunt principia, cauſæ, proprietas, & ſpecies corporis naturalis: alia tantùm per accidẽs, vt omnia quæ in obiectione adducta ſunt, fortuna quidem, caſus, & fatũ, quatenus ſunt cauſæ per accidens, cauſis per ſe oppoſitæ: vacuum quatenus loco opponitur: Deus tandem, & Angeli, quatenus ſunt cauſæ efficientes motus, quæ eſt præcipua affectio corporis naturalis.

Confirmatur præterea noſtra propoſitio, illud eſt obiectum alicuius ſcientiæ, cui per ſe cõpetunt proprietates, quæ de ipſo in ſcientia demõſtrantur: atqui corpus naturale eſt eiuſmodi, illi enim per ſe conueniunt quantitas, locus, tempus & motus, & de illo in Phyſicâ demonſtrantur, ergo corpus naturale eſt legitimum Phyſicæ obiectum.

Tertia propoſitio. Obiectum formale Phiſicæ, conuenientiùs per *naturale*, quàm per mobile deſignatur, ſeu Phyſicæ obiectum, putà *corpus naturale,* aptius ſub hac ratione formali conſideratur.

Probatur ſub hac ratione formali conuenientiùs conſideratur corpus naturale, quia diſtinctiùs cognoſcitur tanquam radix, & origo omnium proprietatum quæ de illo in Phyſica demonſtrantur: atqui, vt tale magis cognoſcitur, quatenus *naturale*, quia præcisè à corpore naturali, vt naturale eſt, omnes illæ proprietates, locus, tempus, quantitas manant: non autem quatenus *mobile*, niſi mobile in ſtrictiſſima acceptione ſumatur, vt idem eſt ac naturale, & eſt origo aptitudinis ad motum, ſicut notauimus: igitur conuenientius corpus naturale conſideratur in Phyſica, quatenus *naturale*, quàm quatenus *mobile*: ergo obiectum formale Phyſicæ meliùs exprimitur per eſſe naturale, quàm per eſſe mobile.

Ex his omnibus facilè colligimus differentiam phyſicæ, cùm definiatur, ab ordine ad obiectum, totámque eius definitionem aſſignamus, vt ſit *Scientia contemplatiua corporis naturalis quatenus naturale eſt.* Hæc de præludiis.

## RADICES PHYSICÆ.

*Arboris, ſeu principia, & cauſa corporis naturalis.*

## TRACTATVS PRIMVS.

*De Principiis.*

## DISPVTATIO PRIMA.

*De illis in communi.*

### SECTIO PRIMA.

*De nomine, & acceptione Principij.*

Ex vi nominis principium id ſignificat, quod rei cuiúſque initium eſt, vt vnitas comparatione numeri,



Digitized by Google

punctum lineæ, & fundamentum ædificij.

Generatim duobus modis accipitur, priori ſtricta ſignificatione, quatenus reciprocatur cum cauſa: ſecundò latius, & magis quidem propriè: quatenus à cauſa his modis diſtinguitur.

Primò quod cauſa ſolis entibus realibus conueniat: principium verò etiam priuationi, quippe quæ vnum eſt ex principiis generationis, vt infra patebit.

Secundum diſcrimen eſt, quod cauſæ, & cauſati eſſentia debeat eſſe diſtincta, ſeu quod idem eſt, cauſa debeat communicare effectui aliud eſſe numero ab eo quod habet, vt clarè oſtendemus inter explicandum cauſæ definitionem, quod non requiritur ad principium. Hinc fit, vt pater diuinus non dicatur cauſa filij, ſed principium tantùm: pater & filius principium quidem Spiritus ſancti, ſed non cauſa; quia nec filius à patre, nec Spiritus ſanctus à patre & filio eſſentiam accipit numero diſtinctam, ſed eandem penitus.

Tertium diſcrimen eſt, quod effectus à cauſa dependeat, vt intelligitur ex illa definitione cauſæ communiter in philoſophorum ſcholis recepta. Cauſa eſt id à quo aliquid, id eſt effectus, per ſe pendet: principiatum verò à principio non neceſſariò depēdeat, vt apparet in diuinis, pater enim filij principium eſt, ab eo tamen ipſe filius non dependet.

Quartum & poſtremum diſcrimen eſt, quod cauſa omnis debeat neceſſariò eſſe prior ſuo effectu, vt infra magis patebit, non item principium ſuo principiato, vt g. pater diuinus ſuo filio.

Ex quibus omnibus perſpicuè intelligimus principium hoc poſteriori modo ſumptum latius patere cauſa, omnemque cauſam eſſe principiū, ſed non è conuerſo omne principium eſſe cauſam.

## SECTIO SECVNDA.

*De exiſtentia principiorum; an & quot dentur.*

CVm ſublatis principiis cætera ruant, ipſa neceſſariò admittenda ſunt.

Quæſtio igitur tantū eſſe poteſt de numero principiorum, non quidem omnium, nam de complexis, ſeu propoſitionibus vniuerſalibus communiter approbatis, *vt totum maius eſt ſua parte*, nulla hîc difficultas mouetur: non item de incomplexis metaphyſicis, genere ſcilicet & differentia ſermo eſt, ſed tantùm de principiis phyſicis: ſeu quæ ad generationem & cōpoſitionem corporis naturalis requiruntur, diſputatio inſtituitur, quo nimirum numero cōprehendi debeāt.

De hac re tanta eſt philoſophorum diſſenſio, vt facilitatis cauſa cogatur Ariſtoteles in generales claſſes eorū ſententias diſtribuere, qui de numero principiorum aliquid tradiderūt: Aut enim, inquit, vnicum poſuerunt principium, aut plura: ſi vnicum, aut dixerunt illud eſſe immobile; & eſt ſententia Parmenidis & Meliſſi: Parmenidis, ſi illud vnum principium ponatur finitum: Meliſſi, ſi ſtatuatur infinitum: aut mobile quod alij ignem, vt Heraclitus, alij aërem vt Anaximenes, alij aquam, vt Thales Mileſius, eſſe aſſeruerunt: qui verò plura poſuerunt principia, aut dixerunt eſſe finita, aut infinita: qui finita alij duo, alij tria, alij decem coniugationes fecēre; ita vt decē eſſent bona principia, totidem verò mala: bona hæc *finitum, impar, vnum, dextrum, mas, quieſcens, re-*

Digitized by Google

625

*[illegible]m, lumen, bonum, quadratum*: mala vero ex oppoſito iſta, *infinitum, par multitudo, ſiniſtrum, fœmina, quod mouetur, obliquum, tenebræ, malum, & quod eſt altera parte longius*: Qui denique poſuerunt infinita principia, Leucippus & Democritus.

Verum nimis importunũ eſſet hæc omnia figmenta. & rudiorum Philoſophorum ſomnia, iampridem extincta in noſtram memoriam reuocare: ſatiùs multò fuerit his propoſitionibus quis ſit principiorum Phyſicorũ numerus, cùm ex mente Ariſtotelis, tũ ex rei veritate ſtatuere.

*Prima propoſitio.*

RErum naturalium principia non ſunt infinita: ita Ariſtoteles 1. Phyſicorum c. 4.

Probatur primò, quia ſecundùm cõmunem opinionem, nullum datur, dariue poteſt infinitum actu in rerum natura, vt inferius patebit.

Probatur ſecundò, quia ſi darentur infinita rerum naturalium principia, res quælibet naturalis, infinitis conſtaret, quia conſtat ſuis principiis, quod manifeſtè falſũ eſt, aliàs in minimo ſinapis grano Angeli, homines, equi, elephantes, montes ipſi, & cæli reperirentur, ſingulæque res eſſent quælibet res.

Sed obiicit Anaxagoras apud Ariſtotelem citato loco, quod ſit, ex ente ſit aut ex non ente: hoc poſterius dici nequit, quia tritum eſt in naturali Philoſophia, ex nihilo nihil fieri: ſi itaque dicatur prius omnia ex ente fieri, ergo nihil denuò gignitur, ergo in re qualibet res infinitæ exiſtũt quæ poſſunt per generationem excitari, cum illæ prius confuſæ iacuiſſent.

Hoc Anaxagoræ argumentum expreſsè non ſoluit Ariſtoteles. ſed ſolùm ab incómodo contra ipſum Anaxag. diſputat citato, c. 4. & 6. oſtenditque multa abſurda ex eius ſententia conſequi, vt quod res quælibet infinitis conſtaret. & ſic ſub ſcientiam cadere non poſſet, cùm infinitũ mentis aciem fugiat deinde quod pauciora principia ſufficiant, vt probabit infra: fruſtra autẽ per plura fiat. quod æquè bene per pauciora fieri poteſt, ex communi Philoſophorũ dogmate.

Ad argum, verò propoſitum breuiter reſpondeo, omnia quidem fieri nõ ex omni ente præexiſtente, aut ſimpliciter ex nihilo, ſed ex nihilo formæ quæ producitur, & ex præiacẽte materia: v. g. equum generari quidem ex nihilo ſuæ formæ, ſed ex præſuppoſita materia, & ſemine equi generantis: proindéque non omnia in omnibus actu exiſtere, ſed ſolũ poteſtate omnium rerum formas in materia eſſe: ſicque numquam dari actu infinitam principiorum rei naturalis multitudinem.

*Secunda propoſitio.*

NOn datur tantùm vnum rerum naturalium principium, vt docet Ariſtoteles 1. Phyſicorum, c. 3. contra Parmenidem & Meliſſum.

Probátque hoc pacto refellẽdo Meliſſi ratiocinationem: ad vnum non poſſunt omnia reuocari, cùm plurima ſpecie diſtinguantur, vt homo, equus; ergo vnum tantum non poteſt dari principium. Confirmatur, ſi vnum eſſet rerum omnium principiũ, & nullum aliud quo res eſſentialiter componeretur, vna ſanè eſſet rerum omniũ eſſentia, idem enim principium eſſentiale res omnes ſortirentur: cuius cõſequentiæ falſitas tam nota eſt, quàm notũ hominis eſſentiã ab eſſentia bouis vel lapidis, alteriúſve rei diſtingui.

Probatur rurſus propoſitio alia ratione quam habet Ariſtoteles, c. 6.

Digitized by Google

huius primi libri phyſicorum: principia generationis debent eſſe contraria, ergo multa, & non vnum. Anteced. ſupponit probatum ſuperiori c. illúdque nos ipſi inferiùs explicabimus. Conſequentiam facilè demõſtrat ab incommodo; quia contraria vnum eſſent, vnum ſibi ipſi aduerſaretur. quod perſuaderi non poteſt.

Proferamus modò diluamúſque importunam illam & contentioſam quam vocat Ariſtoteles, Meliſſi rationem, qua nititur oſtendere vnum principium, infinitum, immobile, ſic ille argumentatur apud Ariſtotelem. 1. Phyſicorum c. 5. Id quod eſt genitum non eſt: ergo id quod eſt, non habet principium: anteced. probatur: ſi id quod eſt gigneretur, vel ex ente, vel ex nihilo: ſi ex ente, iam eſſet, & non gigneretur; ſi ex nihilo, falſum eſſet illud commune Philoſophorum effatum, ex nihilo nihil fit, conſeq. verò oſtendit à contrario: id quod genitum eſt principiũ habet: ergo à contrario, id quod genitum non eſt, non habet principium: ſi principio careat, fine quoque careat neceſſe eſt, ergo erit infinitum: ſi infinitum, ergo vnum, quia multa dari infinita repugnat: ſi denique infinitum, immobile quoque erit; quia cum omnẽ locum occupet, nihil eſt per quod moueri poſſit.

Vt hanc captioſam & fallaciis refertam argumentationem omni ex parte diſſoluam, imprimis nego anteced. ad illius probationem, vt ſupra, reſpondeo ea quæ ſunt, ex nihilo ſuæ formæ, & præexiſtente materia gigni, ſicque non eſſe ſimpliciter, antequam gignantur, nec ſimpliciter ex nihilo fieri.

Deinde nego conſeq. iſtam, id quod eſt, non eſt genitum, ergo principiũ non habet: ad eius confirmationem reſp. illud eſſe ſophiſma apertiſſimũ, quod dicitur à Dialecticis, falſitas conſequentis, quia negatione antecedentis concludit negationem conſequentis, etiam in terminis non reciprocis: explico, genitum eſſe eſt anteced. ad id quod habet principiũ: nam habere principium deducitur ex hoc, nimirum eſſe *genitum*; nec tamen cum illo reciprocatur, quia aliud poteſt habere principium, nimirum per creationem, vt cælum; nec tamẽ eſſe genitum, ſeu per generationem naturalem productum: cùm ergo ex negatione geniti, ſeu ex ingenito infertur negatio habentis principium: ſanè ex negatione antecedentis manifeſtè concluditur negatio conſequentis, & in terminis non reciprocis: eodem modo ac ſi quis ex negatione hominis, qui eſt antecedens ad animal, inferret negationem animalis quod ex homine conſequitur, ſic ratiocinando, *quicquid eſt homo, eſt animal: ergo à contrario, quidquid non eſt homo, non eſt animal*, quod ſophiſma philoſopho indignum eſt.

Præterea, in eo etiam peccat ratiocinatio Meliſſi, quod inferat ex eo quod principium ſuum eſt infinitum, ſeu principio & fine carens, eſſe infinitum ſecundum molem & magnitudinem. Atque adeo vnum & immobile, cùm hinc ſolùm ſequatur infinitas temporis, & durationis, quæ cum naturæ finitate poteſt conſiſtere, maximè ex ſententia Ariſtotelis, mundum ab æterno conſtituentis.

Præterea contra noſtram propoſitionem ſurgit Parmenides hoc argumento: quidquid eſt præter ens, eſt non ens, & conſequenter nihil; ergo quicquid eſt neceſſariò, ens eſt: at quidquid eſt ens, eſt vnũ; ergo quicquid

Digitized by Google

426

quid eſt, eſt vnum, proindéque rerum omnium vnum eſt principium.

Reſpondeo conceſſo toto enthymemate, ad aſſumptionem, omnia quidẽ eſſe vnum, vnitate tranſcendentali, & entis, propterea tamen in ſe ipſis non deſinere eſſe multa, quemadmodum omnes homines non deſinunt haberi multi, licet tamen in vna humanitate, ſpecie conueniant.

*Tertia propoſitio.*

TRia ſunt principia per ſe & interna generationis, materia, forma, & priuatio; non plura, nec pauciora, docet Ariſteles 1. phyſicorum, c. 6. & cõmuniter defenditur, probatúrque clarè. Ea ſunt principia generationis interna, ſine quibus explicari, & definiri nequit generatio: atqui ſine tribus illis allatis principiis, materia, forma, & priuatione, non poteſt intelligi, ac definitione explicari generatio: illis verò retentis optimè concipitur atque definitur: ergo iſta tantum tria ſunt generationis principia, mat. for. & priuat. Maior eſt certa, nihil enim magis videtur eſſe internum rei alicui, quàm id ſine quo concipi, ac definitione eſſentiali explicari non poteſt. Minor autem ſuadetur: cùm generatio ſit mutatio, ex Ariſt. 5. phyſic. tex. 7. debet eſſẽtialiter cõcipi, & definiri, *tranſitus de non eſſe ad eſſe*, de non eſſe quidem ſubſtantiali, ad eſſe ſubſtantiale, vt generatio hominis eſt tranſitus de non eſſe hominis, ad eſſe hominis atqui tranſitus ille non poteſt intelligi ſine tribus allatis principiis, materia, forma, & priu. cum illis tamen optimè intelligitur, ergo abſque his tribus principiis non poteſt cõcipi & eſſentiali definitione explicari ipſa generatio, cum illis tamen facilè explicatur.

Rurſus huius argumenti probatur minor: tranſitus *de non eſſe ad eſſe*, non poteſt intelligi ſine eo quod tranſit, (& illud eſt materia) nec item ſine eo à quo tranſit (& eſt priuatio formæ quã nondum habet materia, ſed habere apta eſt) & demum ſine eo ad quod tranſit, & eſt forma, quam recenter in ſe recipit, ergo tranſitus de non eſſe ad eſſe, quem generatio dicit, abſque his principiis materia forma & priuatione nequit intelligi, ac definitione explicari.

Confirmatur exemplo generationis ignis ex ligno: v. g. primò enim requiritur vt materia quæ erat ſub forma ligni, eâ expulſâ, tranſeat ad acquiſitionem formæ ignis, quam prius non habebat, ſed habere apta erat: ergo ad iſtam ignis generationem admittenda ſunt tria illa principia, materia, forma, & priuatio: & cùm nulla alia præterea videantur eſſe requiſita, manet firmũ tria eſſe interna, & per ſe generationis principia, non plura, nec pauciora.

Dixi in propoſitione *principia interna*, quia reuera ſi in generatione omnia principia tam interna, quàm externa quæreremus, illa maiori numero comprehenderemus, tria ſtatuentes: interna, materiam, formam & priuationem totidem verò externa, nimirum cauſam finalem, efficientem, & exemplarem.

Occurres, cauſam efficientem æquè videri internam ipſi generationi, quàm ſit priuatio: hoc negamus, ſed facilè probabis: ſicut enim non poteſt intelligi generatio ſine priuatione, & ideo priuatio habetur internum ipſius principium: ſic etiam eadem generatio, cùm ſit actio abſque cauſa efficiente, perfectè cõcipi non poteſt: atque adeo ipſa cauſa efficiens, eodem iure ac priuatio debebit numerari inter interna generationis principia, & conſequenter quatuor erunt.


Digitized by Google

Ad hoc reſpondeo: generationem poſſe conſiderari tribus modis: primò quatenus eſt actio à generante proficiſcens, & ſic ſine ipſo agente, ſeu cauſa efficiente non poteſt intelligi: ſecũdò, vt eſt paſſio, & ſic abſque patiente nunquam concipitur tertiò quatenus eſt; mutatio & tranſitus à non eſſe ad eſſe & ita neque indiget agentis, neque patientis conceptione, vt intelligatur, ſed tantùm conceptione materiæ, formæ, & priuationis, quo modo hîc à nobis accipitur, cùm illius tria tantùm interna ſtatuimus principia, materiam, formam & priuationem.

Prætereà obiicies, priuatio non eſt ens reale, ergo nequit eſſe principium generationis, quæ eſt ens reale.

Diſtinguo conſeq. priuatio nequit eſſe principium generationis conſtitutiuum, concedo: terminatiuum, nego: hoc eſt, generatio quidem non poteſt ex priuatione conſtitui, ſeu componi, quia priuatio non eſt ens reale, poteſt tamen ad illam terminari quatenus ab ipſa ad formam in materia inducendam progreditur.

Denique obiic. priuatio ex Ariſt. 1. Phyſicorum, c. 6. eſt tantùm principiũ ex accidẽte: ergo nõ eſt principiũ per ſe.

Diſtinguo antec. priuatio eſt principium tantùm per accidens: compoſiti verum eſt, quia materiæ accedit ex qua coaleſcit; generationis verò, falsũ.

*Poſtrema propoſitio.*

DVo sũt tantùm cõpoſitionis ſeu rei genitæ principia, nempe materia & forma.

Hæc propoſitio eſt Ariſtotelis 1. Phyſicorum c. 6. & perſpicuè.

Probatur, accedente forma tollitur eius priuatio à materia, quia ſimul ſtare non poſſunt priuatio formæ, & forma ipſa: ergo in compoſitione rei remanent tantùm duo iſta principia, materia & forma.

## SECTIO TERTIA,

### *De eſſentia principiorum.*

HIc notandum eſt nos tantùm agere de principiis internis, ſiue compoſitionis, ſiue generationis: Si de principiis tantùm compoſitionis agamus eorum definitionem repetemus ex 1. Phyſicorum, *Principia ſunt ea, quibus primò, per ſe, & non per accidens res naturales componuntur*

Si verò vniuerſim de principiis internis generationis verba faciamus, eorũ definitionem deſumemus ex c. 5. eiuſdem 1. lib. phyſ. *Principia ſunt quæ nec ex ſeſe, nec ex alijs, ſed ex ipſis omnia fiunt.*

Non fieri ex ſeipſis patet, quia ſecundum Ariſt ſunt contraria, ideſt priuatiuè oppoſita, quæ proinde ex ſeipſis fieri non poſſunt.

Dicuntur prętereà non fieri *ex alijs*, quia alioquin eſſent participata, & non prima principia, qualia hîc quęrimus.

Ex ipſis denique omnia fieri dicuntur: per particulam (omnia) corpora naturalia intelligenda ſunt, ſeu ea quæ ex materia & forma conſtant.

Difficultatem parit particula illa *ex*, ter allata in definitione poſita, an eodem modo ſumi debeat?

Reſp. negatiuè: nam primo loco particula, *ex*, negat totum, ſcil. principia fieri ex aliis, vel tanquã partib. cõponentib. vel tanquam terminis: in ſecundo loco partem negat. ſcil. principia ex ſeipſis fieri, tanquàm ex partibus componentib. non tamen tanquã ex terminis; quia forma fit ex priuatione, tanquam ex termino *à quo*: in poſtremo denique loco particula *ex* nihil negat, quia res fiunt ex principiis & tanquam ex partib. componentib. quod dicitur ratione materię & formæ & tamquam ex termino à quo, quod dicitur ratione priuationis.

Digitized by Google

Porrò hanc principiorum definitionem legitimam eſſe ex eo patet, quòd per illam principia ab omnibus aliis rebus optimè diſtinguantur: ab elemétis quidem, quòd licet ex iis omnia corporea naturalia mixta cõſtent, ipſa tamen ex prioribus principiis componuntur, nimirum ex materia & forma, è cauſis verò externis, putà *efficiente, fine, & exemplari*, quod ex illis propriè res non dicantur fieri, ſed ab efficiente propter finem, & ad exemplar, at verò ex principiis omnia fieri debeant.

Obiic. primò formam fieri ex materia non tanquam ex termino aliquo, quia terminus à quo, generationis eſt priuatio, non materia, ergo tanquam ex parte componente, & ſic vnum principium ex alio tanquam ex parte componente fieri.

Neganda eſt conſeq. forma enim, nec fit ex materia tanquam ex *termino à quo*, neque tanquam ex parte componente, ſed ex eius potentia, & ſinu educitur, & in ea ſuſcipitur modo inferius explicando.

Rurſus obiic. materia, & forma, quę ſunt vera principia, fiunt, & componuntur ex eſſentia, & exiſtentia: itemque conſtant partibus integrantibus, ergo principia ex aliis tanquam ex partibus componentibus poſſunt fieri.

Reſp. conceſſo antecedenti diſtinguendo conſeq. principia fiunt ex partibus componentibus compoſitione metaphyſica, ex eſſentia, & exiſtentia, & ex partibus integrantibus concedo, ex partibus verò eſſentialibus compoſitione Phyſica, nego: quod tantum intendit Ariſtotel. cùm negat principia ex aliis fieri.

## SECTIO POSTREMA.

*De affectionibus principiorum.*

### QVÆSTIO PRIMA.

*De eorum inter ſe conuenientia.*

Dvobus modis conſiderari debent principia: primo pro rebus ipſis quę donãtur nomine principii: nimir. materia. forma & priuatione: Secundo pro ipſa formali ratione principii, quæ in eo conſiſtit, vt ſit id ex quo res naturales fiunt, ſiue tanquam ex parte cõponẽte, ſiue tanquã ex termino à quo.

Si priori modo accipiantur principia, certum eſt omnia non poſſe ſynonymè, hoc eſt, *ſecundum nomen & naturam*, inter ſe conuenire.

Ratio eſt, quia priuatio eſt vnum ex illis principiis, quæ cùm non ſit ens reale, cum aliis duobus principiis, materia ſcilicet, & forma, quæ ſunt entia realia, non poteſt ſynonymè conuenire.

Dixi non omnia poſſe ſynonymè cõuenire: ſi enim ſolam materiam, & formã accipiamus, nihil dubiũ eſt quin in ratione ſubſtantiæ incompletę ſynonymè conueniant, cùm illa nomen, nomineque ſignificatã eſſentiam omnino æqualiter participent, quod tantum ad ſynonymiam requiritur.

Si verò poſteriori modo accipiamus principia, ſcilicet formaliter pro ipſa ratione formali principii, probabilius etiam eſt principia non conuenire ſynonymè.

Probatur: ens reale & non ens reale ſynonymé cõuenire non poſſunt, vt docebimus in Metaphiſica; ſed principia etiam formaliter ſumpta, ita ſe habent, vt eorum aliqua ſint entia realia, nẽpe materia & forma; aliud verò ſit non ens reale, nẽpè priuatio: nam vt ipſa priuatio non eſt ens reale, ita formalis ratio principii in ea non poteſt eſſe realis; ergo principia etiam formaliter ſumpta non videntur inter ſe conuenire ſynonymé.

Quòd ſi ſolam materiam & formam inter ſe conferamus, ſicut materialiter ſynonymé conueniunt ex dictis, ita

quoque formaliter in ratione principij ſynonymè conuenire poſſunt, cùm in vtraque formalis ratio principij ſit realis.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*De contrarietate principiorum, ſi quæ ſit.*

EXpreſsè poſui de contrarietate principiorum ſi quæ ſit; licet enim id cùm ex veterum opinione, tum ex propria ſententia ſtatuat Ariſtoteles 1. Phyſicorum, c. 5. ſi tamen propriè accipiamus nomen contrarietatis nullo pacto videtur cadere in ipſa rerum naturalium principia; quòd non cadat in materiam & formam patet, quia contraria ſe mutuò expellunt, nec ſimul conſiſtere poſſunt, vt calor, & frigus: at verò materia & forma naturali deſiderio conſortium, & vnionem quærunt, vt demonſtrabitur inferiùs.

Quòd item nec reperiatur inter priuationem & formam, de quibus locutus eſt Ariſtoteles, cùm dixit principia eſſe contraria, perſpicuè oſtenditur, contraria propriè ſumpta debent eſſe ambo poſitiua, vt calor & frigus, albedo & nigredo, ex dictis de oppoſitis in Logica: atqui priuatio, quod eſt principium formæ oppoſitum, non eſt ens reale, & poſitiuũ, vt conſtat: ergo inter priuationem & formam non reperitur propria contrarietas.

Dicendum itaque Ariſtotelem citato loco laté vſurpaſſe nomen contrarietatis, quando dixit principia eſſe contraria: imo prima contraria, ſcil. pro oppoſitione priuatiua. nec locutum fuiſſe de omnibus principiis, materia, forma, & priuatione, ſed tantum de forma, & priuatione quæ inter ſe pugnãt, vt viſus & cæcitas, atque adeò opponuntur priuatiuè, habéntque materiam tanquam commune ſubiectũ cui viciſſim inſint.

Quod autem Ariſt. formam & priuationem prima contraria, id eſt prima oppoſita priuatiuè, dixerit, hanc ipſe rationem adfert loco citato: prima cõtraria dicuntur illa quæ nec fiunt ex aliis, nec ex ſeipſis, ſed ex ijs omnia: atqui prima principia ſunt eiuſmodi, vt patet ex eorum definitione: ergo ſũt prima contraria Optima ratio eſt ſi modo per contraria priuatiuè oppoſita intelligãtur, vt iã ſuperiꝰ expoſuimꝰ.

## DISPVTATIO SECVNDA.

*De internis rerum naturalium principijs in particulari.*

## SECTIO PRIMA.

*De materia.*

## ARTICVLVS PRIMVS.

*De nominibus & varia acceptione materiæ.*

SIngula explicaturi rerum naturaliũ principia in particulari; à materia exordium ſumitur, vt naturæ ordo ſeruetur, quamuis enim forma ſit prior ordine dignitatis ipſa materia, quod tãtum voluit Ariſt. 7, Metaph. c. 5. ortu ordine tamẽ naturę omnibus præponitur materia; cùm ſit aliorum ſubiectum, ſubiectum autem priùs eſſe debeat ijs quæ ſunt in ſubiecto, ex 1. Phyſicor c. 6.

Porrò materiæ ſignificatio valdé ambigua eſt, & ad multa extenditur, imprimis enim accipitur pro obiecto cuiuſcunque facultatis & habitus, vocatúrque *materia circa quam*: ſecundò accipitur pro ſubiecto in quo aliud recipitur, vt albedo in pariete, & dicitur *materia in qua*: poſtremo ſumitur pro eo ex quo aliquid fit, vt cathedra ex ligno, & hæc materia *ex qua* nuncupatur.

Rurſus hæc materia duplex ſtatuitur; vna dicitur prima, ſeu remota: altera ſecunda, ſeu propinqua.

Materia prima, & remota dicitur, quando nudè, & ſecundum ſuam eſſentiam ſpectatur

Digitized by Google

abſque vlla forma ſiue ſubſtantiali, ſiue accidentali.

Secunda verò, & propinqua habetur quæ iam eſt affecta certis conditionibus & diſpoſitionibus quibus ad peculiarem aliquam formam ſubſtantialem determinatur, cuiuſmodi eſt corpus organis inſtructum; quia proximè diſponitur per eiuſmodi organorũ apparatum, ad ſuſcipiendam animam, quæ eſt forma ſubſtantialis, vnde proxima dicta eſt: ſicut è contrariò materia prima dicitur remota, eo quod priuſquam vniatur certæ cuidam formæ ſubſtantiali, & aliquid ex ea fiat, certas quaſdam & peculiares diſpoſitiones requirit, quas vbi nacta fuerit, proximè redditur apta ad talem formam ſuſcipiendam, & cum illa aliquod naturale cõpoſitum conſtituendum.

Cæterum huic materiæ primæ multa imponuntur nomina. Primum enim quod varias ſubinde formas mutet, Proteo Poëtarum fabulis ſimilis habita eſt, & Luna à Philoſophis dicta; alia etiam ratione dicitur Luna, quòd quẽadmodũ Luna aliena tantùm lucenitet, ſcilicet Solis, ſic etiam materia ſplendet tantum radiis ex forma petitis.

Præterea, quia ipſa agentibus naturalibus formas inducentibus, non ſecus ac fœmina mari ſubiicitur, hinc fœmina vocitata eſt.

Rurſus & mater dicta, quòd ex eius gremio & ſinu procreentur omnia.

Quartò vocatur malum, eo quod ſit principium omnis corruptionis.

Quintò dicitur informis, eo quod ex ſe omni forma careat.

Denique vocatur ſubiectum, baſis, fũdamentum, elementum, aliequã plura id genus nomina ſortitur, quæ quòd nulla expoſitione indigeant, vltrò prætermittuntur.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*De exiſtentia materiæ primæ.*

Dari materiam primam experiẽtia quotidiana teſtatur, videmus enim quotidiè compoſita naturalia trãſmutari, ex homine cadauer, & ex cadauere vermes generari, item ex ligno ignem produci, & ſic de cæt. In quibus omnibus mutationibus materia prima perſpicuè deprehenditur: ſiquidem aut totum mutatur in totum, aut pars tantum: ſi prius, quod ita mutatur, verè annihilatur; quia annihilatio nihil eſt aliud, quam reductio alicuius ad nihilum, & quod de nouo fit reuera creatur, quia ex nihilo fit, quod propriè eſt creari, quæ tamen omnia abſurda ſunt: ſi verò poſterius dicatur, quæro quid ſit illud quod peracta corruptione remanet: ſit ne materia quam quærimus, vel forma? Si poſterius dicas, contra, quod remanet eſt ſubiectũ alterius formæ aduenientis, verbi gratia quod remanet poſt corruptionem ligni, eſt ſubiectum formæ ignis; at verò forma non poteſt eſſe formæ ſubiectum, vt ſatis conſtat: ſi dicas prius, iam materiam primam fateris.

Hinc intelligis materiam eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem; tum quia manet in genito, & corrupto, & non perit in corruptione totius, vt patet ex dictis: tùm quia ſecundum Ariſtotelem 1. Phyſicorum cap. vlt. quidquid generatur ex aliquo generatur; materia autem prima ex nullo fit, ſed eſt id quo reliqua fiunt: quod item corrumpitur, in aliquod ſubiectum reſoluitur, nequit autem materia prima in aliud ſubiectum reſolui, ſed eſt ipſummet primum ſubiectũ, in quod, ſi quidpiam perit, vltimò abit, vt reſtatur eius definitio inferiùs tradenda.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De eſſentia materiæ.*



Digitized by Google

## MEMBRVM PRIMVM.

*De eius definitionibus.*

CVm definitio dupliciter tradi poſſit, vel per negationem, vt cùm dicimus Deum neque eſſe finitum, neque corporeum, neque quidpiam eorum quæ aliquam imperfectionem inuoluunt; vel per affirmationem, vt cum dicimus eumdem Deum eſſe iuſtum, miſericordem, ſapientem, & cæt. hinc factum eſt, vt vtróque illo modo materiam definierit Ariſtoteles, priori his verbis 7. Metaph. cap. 3. *Materia non eſt quid* (id eſt ſubſtantia) *nec quantum, nec aliquid eorum quibus ens determinatur.* Quẽ definiendi modum ad indagandã materiæ naturam valdè idoneum ſignificauit apertè D. Aug. 12. Confeſſionum, cap. 3. cùm ait, *humanam cognitionem materiam ignorando noſſe, & cognoſcendo ignorare*, ad modum tenebrarum, quas qui videt, nihil videt: qui non videt, videt.

Poſteriori item modo, nempe per affirmationem Ariſt. definiuiſſe materiam conſtat, ex cap. 9. primi Phyſicorum tex. 82. *Dico enim*, inquit, *materiã quod rei cuiuſque ſubiectum eſt primum; è quo inſito aliquid oritur, & in quod, ſi quidquam interit, vltimò abit.* Cuius definitionis ſenſus in hũc modũ proponitur, *materia eſt id ex quo quidpiam fit non per accidens, ſed per ſe, tanquam ex ſubiecto primo.*

Ponitur id, loco generis: per reſiquas particulas ab aliis rebus omnibus materia diſtinguitur: & primò per illã particulam (*ex quo quidpiam fit*) à cauſis extrinſecis, efficiente, finali, & exemplari, ex quibus fiunt res, ſed ab efficiente, propter finem, & exemplari, vt ſuprà dictum eſt.

Secundò, materia differt à priuatione hac particula, *non per accidens, ſed per ſe*: quia vt docent Philoſophi, nihil per ſe fit ex privatione, ſed tantum per accidens, & tanquam ex termino à quo; vnde & priuatio dicitur tantum principium per accidens corporis naturalis.

Tertiò, à formis diſcrepat per hanc particulam, (*tanquam è ſubiecto*) licet enim res naturales ex formis coaleſcãt, formæ tamen illæ non ſe habent inſtar ſubiectorum.

Vltima particula (*primo*) deſignat internam eſſentialémque materiæ primæ rationem, quæ poſtulat, vt ſit primum rerum omnium ſubiectum.

Dices hac definitione non explicari materiam cœlorum: quia verbũ iſtud, *fit*, quo exprimitur, ſignificat generationem naturalem quæ in cælis nulla eſt.

Reſpondeo iſtam particulam, *fieri*, dupliciter ſumi poſſe, primò pro omni productione, ſecundò ſtrictè pro ſola generatione: priori modo ſumenda erit in definitione materiæ, ſi quis velit vtrámque materiam, cœleſtem nimirum, & ſublunarem per illam explicare.

Poſteriori verò tantùm ſi quis ad ſolam ſublunarem eam velit reſtringere.

Hinc intelligis contra Platonem in Timæo, materiam diſtincto conceptu poſſe intelligi: nam & vera aſſignata eſt definitio, qua diſtinctè eius eſſentia percipiatur, & de facto habet nonnulla attributa eſſentialia, ab aliis rebus eſſentialiter diſtincta, quæ proinde diſtinctè cognoſci queunt: non eſt tamen inficiendum talem conceptum materiæ diſtinctum explicari per ordinem, quem habet eſſentialiter ad formas, vt ſtatim docebimus, quod certè non obſtat quo minus diſtinctè cognoſcatur, ſicut accidens non definit ſecundum ſuam eſſentiam diſtinctè percipi, licèt natura ſua dicat ordinẽ ad ſubſtantiã.

Digitized by Google

## MEMBRVM SECVNDVM.

*Vtrum potentia materiæ ad illius eſſentiam ſpectet.*

POtentia in materia nihil aliud eſt quàm capacitas, & aptitudo ad formas recipiendas.

Illa eſt in duplici differentia, altera generalis; quia omnes omninò formas reſpicit, altera particularis, per quam ad hanc in particulari formam refertur.

Prætereà potentia illa materiæ conſideratur, vel in ordine ad actus entitatiuos, ſeu Metaphyſicos, eſſentiam ſcilicet, & exiſtentiam, vel ad actus phyſicos, nimirum formas.

Senſus autem præſentis difficultatis eſt, vtrum potentia illa, quâ materia reſpicit formas, vel omnes indifferenter, vel aliquas in particulari ſit illi eſſentialis, nam de potentia ad actus entitatiuos hîc non diſputatur, ſed de ea ſermo infrà futurus eſt an materiæ cõueniat. Huic igitur difficultati vt ſatis fiat, ſit.

*Prima propoſitio.*

POtentia particularis materiæ non eſt illi eſſentialis.

Probatur quidquid pertinet ad eſſentiam alicuius rei ab ea integra remanẽte ſeparari non poteſt: ſed à materia integra remanente facilè ſeparatur huiuſmodi particularis potentia, quæ videlicet hanc determinate formam reſpicit: talis enim determinatio non petitur ex interna ratione materiæ, quæ eſt ad varias formas indifferens, vt poſtea dicetur, ſed à quibuſdam diſpoſitionibus illi accidentariis, quæ talem determinatè, & in particulari formam ſuo iure poſtulant: ergo illa particularis materiæ potentia ei nequaquam eſt eſſentialis.

Confirmatur potentia illa quæ eſt eſſentialis materiæ, debet eſſe vnica, ſicut materia vnius eſt eſſentiæ: at potentia particularis in materia non eſt vnica, ſed multiplex, ſicut multipliciter ad multiplices formas determinatur: ergo illa ſingularis potentia ad materiæ eſſentiam non pertinet.

*Secunda propoſitio.*

GEneralis materiæ potentia illi eſt eſſentialis, Hanc propoſitionem docet inter cæteros D. Tom. primo contra gentes cap. 43. & in primum ſentent. diſt. 33. q. 4. art. 1. contra nonnullos qui eam potentiam collocant ſub genere qualitatis in ſecunda ſpecie, voluntque ideo tantum illi eſſentialem dici, quod immediatè ex eius eſſentia fluat, & per illam reſpiciat formas.

Probatur autem noſtra propoſitio, id ſine quo rei alicuius eſſentia integra permanere, & conſiderari non poteſt, ſpectat ad illius eſſentiam, & non eſt tantũ aliquid immediatè ab illa emanans, vt conſtat inter omnes: atqui ſine illa generali potentia, materiæ eſſentia integra permanere, & intelligi non poteſt: tum quia eſſentia aliter eſt formarum ſubiectum, vt patet ex eius definitione: ſubiectum autem formarum, quatenus tale, includit potentiam illas recipiendi: tum quia non aliter ſe habet ad ipſam materiam Potentia, quàm actus ad formam: at ſine actu nõ poteſt in rerum natura conſiſtere aut intelligi formæ eſſentia, quia includit actum in ſua eſſentiali definitione: ergo neque etiam integra intelligitur materiæ eſſentia abſque ipſa generali potentia, ſicque illi erit eſſentialis.

Obiicies: rei abſolute attributa eſſentialia non debent eſſe relatiua: ſed materia, quantumuis incompleta, eſt res abſoluta: ergo eius attributa eſſentialia non debent eſſe relatiua: atqui potẽtia in materia eſt attributum relatiuũ,

Digitized by Google

per illam enim refertur ad formas, vt ad ſuum correlatum: ergo talis potentia non poteſt eſſe attributum eſſentiale materiæ.

Maior eſt diſtinguenda: rei abſolutæ attributa non debent eſſe relatiua: relatione propria, & cathegorica, concedo: relatione minus propria & tranſcẽtali, nego: huius autem poſterioris generis eſt relatio materiæ, quatenus potentia ad formas, tam enim ad accidentales, quàm ſubſtantiales ſe extendit.

Inſtabis contra hanc reſponſionem, ſi materia potentiæ ſe extendat tam ad ſubſtantiales, quàm accidentales formas, vel duplex erit, vel vna, partim ſubſtantialis, partim accidentalis. Cõſequentia oſtenditur, quia cum ex Ariſtotele 9. Metaphyſ. tex. 1. actus, & potentia ſint eiuſdem generis, ſi materiæ potentia, tam ad formas ſubſtantiales, quàm accidentales, quia ſunt veri actus, referatur; harum comparatione erit accidentalis, illarum verò reſpectu ſubſtantialis: proindéque, vel duplex erit admittenda, ſubſtantialis vna, accidentalis altera: vel vnica mixta, partim ſubſtantialis, partim accidentalis, quod vtrúmque videtur abſurdum.

Neganda eſt conſequentia, & ad Ariſt. in confirmationem citatum reſpondendum eſt, vel eum loqui dumtaxat de actu, & potentia metaphyſicis, puta ad genera, & differentias, quæ eiuſdem generis eſſe ſolent: vel de actu & potentia ſubſtantialibus quibus vnum per ſe fit, non autem de actu accidentali, & potentia phyſica: quia cùm illa potentia ſit eadem cum materia, proindéque ſubſtantialis, non poteſt eſſe eiuſdem rationis & generis cum actu accidentali.

## MEMBRVM TERTIVM.

*Ad quas formas ſeſe extendat materiæ potentia.*

Formæ conſiderantur, aut tanquam præteritæ, aut tanquam poſſibiles ſiue actu ſint futuræ, ſiue non Quæſtionis itaque ſenſus eſt, vtrum ad omnes illas formas vel tantum ad quaſdam extendatur materiæ potentia.

Quòd enim ad præteritas non extendatur, fortè alicui videtur, ex eo quod illę ab aliquo agente naturali reproduci nequeant, & in ipſa materia recipi. Verùm hoc obſtare non poteſt quominus concludamus potentiam illam materiæ, etiam ad formas præteritas ſeſe extendere: tùm quia eſt illi per accidens quòd formæ illæ ab agente naturali reproduci nequeant, & ex ſe æquè eſt capax, & idonea ad illas recipiendas, ſi de facto reproducerentur, ac ſi numquã ipſas recepiſſet: tùm quia nihil eſſentiale materiæ poteſt mutationem temporis decurſu ſubire, proindéque cum ante receptionem eiuſmodi formarum præteritarum, ad eas potentiam eſſentialem obtineret, eam numquam depoſuit, licet formis illis denudata fuerit: tum demum quia ſi Deus formam præteritam reproduceret, & ipſi materiæ reuniret, ex illa vnione reſiliret compoſitũ per ſe vnũ, quod neceſſariò conſtare debet ex forma, tanquam actu, & materia, tanquam potentia ad ipſam formam: ergo etiam reſpectu formæ præteritæ remanet in materia potentia.

Alia verò ex parte iudicabit aliquis materiæ potentiam non ſeſe extendere ad formam præſentem qua actu informatur, quia aliàs ſimul foret in actu, & potentia, quod abſurdum eſt.

Sed nec iſtud adeò vrget vt idcircò timeamus concludere ipſam generalẽ materiæ potentiam dici etiam comparatione

ratione

Digitized by Google

ratione formarum præſentium. quibus actu ſubijcitur: tum quia licet abſurdũ ſit aliquid ſimul eſſe actu, & potentia reſpectu ſuæ eſſentiæ, & exiſtentiæ, nullum tamen eſt incommodum, quod res vna reſpectu eiuſdem ſit in potentia, & actu, diuerſa ratione, ſicut qui actu philoſophatur, ad eumdem: philoſophandi actum ſimul eſt in potentia, & actu: in potentia. quia adhuc eiuſdem actus eſt capax ſi poſſet iterum dari, vt antea dicebamus de formis præteritis: in actu verò, quatenus actualiter philoſophatur: tum etiam, quia vt ſupra argumentabamur, potentia generalis materiæ quæ illi eſſentialiter conuenit mutari non poteſt, ideóque manet adhuc reſpectu formæ præſentis, cum ante actualem eius receptionem ad illam ſeſe extenderet,

De formis denique futuris, ſiue actu, ſiue poteſtate tantùm, nulla eſt dubitandi ratio, ideóque ſimpliciter concludendum præfatam illam generalem materiæ potentiam ad illas extendi; tum quia poteſt illarum eſſe ſubiectũ: tùm etiam quia quamuis non omnes actu recipiat, omnes tamen recipere apta eſt; nec neceſſe eſt, vt quælibet potentia ad eos omnes actus reducatur quos producere poteſt, vt in ipſis potentijs naturalibus videre eſt, quæ quidem eos omnes actus reuerà non eliciunt, quos poſſent producere, vt omnes experiuntur.

Itaque conſtans eſt propoſitio noſtra quæ eſt corollarium ex præcedentibus, generalem materię potentiam dici reſpectu omnium formarum, præteritarum, præſentiũ, & futurarũ, ſiue actu ſiue poteſtate tantùm.

## MEMBRVM QVARTVM

*Vtrum illa materiæ potentia prius reſpiciat formas ſubſtantiales, quàm accidentales.*

Difficultas eſt, non de qualibet forma accidentali, quia certum eſt potentiã materiæ priùs ſeſe extendere ad formas ſubſtantiales. quàm ad aliquas accidentales, quæ formam conſequuntur vt ſunt albedo in cygno, & nigredo in coruo, ſed potiſſimum de quãtitate, an præcedat in materia formas ſubſtantiales, vel illas conſequatur: quam difficultatem ſub aliis terminis ſolent alij proponere, his ſcilicet, an quãtitas ſit coæua materiæ, poſitâ enim affirmatiuâ parte certa eſt propoſitio, materiæ potentiam prius terminari ad quantitatem, quàm ad formas ſubſtantiales. Quia illas non habet coæuas & congenitas, ſtatutâ verò negatiuâ parte, res in dubio verſatur.

De hac igitur difficultate celebris exiſtit D.Th. 1. part. q.76.art. 6. Caiet ibidem. Durand. 1. ſent. diſt. 8. q. 4. & aliorum ſententia, quantitatem nequaquam eſſe materiæ coæuam. Quam quidem ſentiam explicantes, tria ſtatuunt: primum materiam nullius accidentis ne quidem quantitatis, ſine forma ſubſtantiali. ſubiectum eſſe poſſe: ſecundum, quantitatem non ſoli materiæ, ſed toti compoſito naturali ineſſe: tertium(quod ex præcedentibus neceſſariò ſequitur) in corruptione non tantùm perire formam ſubſtantialem, ſed ipſam quantitatem, ideòque fieri reſolutionem vſque ad materiam primam, hoc eſt omni forma ſpoliatam.

Verum contra hanc ſententiam ſecũdum omnes ſuas partes has ſtatuimus propoſitiones.

*Prima propoſitio.*

Materia eſt ſufficiens principium receptiuum formarum accidentalium ſine forma ſubſtantiali:

Probatur, materiam eſſe ſufficiens principium formarum accidentalium.

abſque forma ſubſtantiali, arguit ſolù ipſam eſſe debitè proportionatam ipſis formis accidentarijs: & non emendicare talem propoſitionem à forma ſubſtantiali: atqui materia ex ſe habet ſufficientem proportionem cum formis accidentariis, quas debet ſuſcipere; nec eam à ſubſtantiali forma mutuatur, vt videri poteſt in anima rationali, quæ cùm ſit ſpiritalis & incorporea, materiæ non poteſt tribuere proportionem cum formis accidentariis materialibus, quantitate, figura, & aliis, nec conferre aptitudinem ad illas ſuſcipiendas: ergo materia ſine forma ſubſtantiali eſt ſufficiens principium receptiuum formarum accidentariarum.

Obiiciunt primo (ſed fruſtra) Thomiſtæ, materiam ſine forma ſubſtantiali, omni eſſentia, & exiſtentia carere: fruſtra (inquam) id obiiciunt, quia quâ facilitate ſine probatione proferunt, eadem facilitate abſque vlla vberiori ſolutione negatur,

Rurſus obijciunt: Materia ex ſe eſt omnis efficacitatis expers, ergò ex ſe non poteſt accidētarias formas producere, & productas in ſe recipere, ſed hoc à forma mutuari debet: proindéque ſine illa forma ſubſtantiali non poteſt eſſe ſufficiens ſubiectum receptiuum formarum accidentariarum.

Diſtinguo antecedens. Materia eſt expers ordinis efficacitatis ad producenda alia à ſuis proprietatibus naturaliter ipſi debitis, cōcedo, ad effundendas ſuas proprietates naturales præcipuè quantitatem; nego; nam etſi anima omníſque alia forma ſubſtantialis ſe ſola non poſſit agere, & producere res alias à ſuis proprietatibus, poteſt tamē ipſa proprietates naturales emanatione quadam naturali ex ſe profundere, v. g animæ rationalis intellectū. voluntatem, & alias naturales facultates.

*Secunda propoſitio.*

QVantitas eſt coæua, & congenita materiæ.

Probatur, numquam quantitas generatur, ergo cum nunc inhæreat materiæ illi ab omni æuo, omníque tempore inhærere debuit, proindéque ipſi fuerit coæua & congenita neceſſe eſt Probatur antecedens, quod non corrūpitur, non generatur atqui quantitas non corrumpitur: ergo nec generatur. Rurſus huius ſyllogiſmi minor probatur. Quidquid corrūpitur, aut per ſe, & à contrario corrūpitur, aut per accidēs, ad corruptionem ſubiecti, vel etiam defectu diſpoſitionum quas in ſubiecto prærequirit: atqui nullo ex his modis quantitas corrūpi poteſt: non primo ſcilicet per ſe, & à cōtrario, quia quātitati nihil eſt contrarium apud Ariſt. in ſuis categoriis cap. de quantitate: non item ſecūdo modo, videlicet per accidens ad corruptionē ſubiecti: quia cum ſubiectū quātitatis ſit materia, quæ quidem eſt ingenerabilis, & incorruptibilis (ex ſuprà dictis) certè non poteſt ipſa quantitas per accidens corrumpi ad corruptionem ſubiecti: nec denique tertio modo corrūpitur, videlicet per accidens defectu diſpoſitionum quas in materia prærequirat, quia cum nullā formam in materia præſupponat tanquam diſpoſitionem, ſed omnium formarum prima ſit in materia, imò ipſi materiæ coæua & congenita, ex ſuperiori propoſitione non poteſt corrumpi per accidens defectu diſpoſitionum ad ſui receptionē in materia prærequiſitarum.

Obiicies, corrumpitur quantitas, ergo non eſt materiæ coæua.

Probatur antecedens: illud corrumpitur ad quod motus dari poteſt: at-

Digitized by Google

qui datur motus ad quantitatem, ſcilicet motus accretionis, decretionis, ergo quantitas corrumpitur, imò etiam generatur.

Negandum eſt antecedens, & diſtinguenda minor probationis, datur ad quantitatem motus quo nouo modo ſe habeat, & accedat ob acceſſum materiæ, concedo: quo de nouo producatur, nego: idem in corruptione dici debet, quantitatem corumpi, quando ſimul cum materia in aliud migrat ſubiectum, non quòd omnino de medio tollatur.

*Tertia propoſitio.*

ACcidentia corporea ſoli inhærent materię, non formæ.

Probatur primò in homine vna pars hominis, népe forma, ſeu anima rationalis eſt ſpiritalis: ergo ipſi nequeunt accidentia corporea inhærere, proindéque ſoli materiæ inſunt.

Probatur ſecundò. vniuerſim in eo ſunt, & ei inhærent accidētia corporea, de cuius ſinu, & poteſtate educuntur; atqui accidentia corporea educuntur tantùm de potentia, & ſinu materiæ, vt infrà docebimus: ergo accidentia corporea ſoli materiæ inhęrent, non formæ, aut toti compoſito.

Obiicies, omnia ſunt, aut dicuntur de prima ſubſtantia apud Ariſtotelem in ſuis prædicamentis cap. de ſubſtantia: atqui ſubſtantia prima non eſt tantùm materia, ſed totum compoſitum ex materia & forma: ergo quæcunque ſunt, proindéque ipſa accidentia materialia, & corporea, non in ſola materia, ſed in toto, tanquam ſubiecto recipiuntur, ipſique inhærent.

Diſtinguenda eſt maior, omnia aut dicuntur de prima ſubſtantia, aut illi inſunt, tanquam ſubiecto denominationis, ſicut intellectus toti homini ineſſe dicitur concedo, tāquā uero ſubiecto inhęſionis, nego; nec id Ariſtoteles, ſed prius tantum, citato loco voluit.

*Quarta propoſitio.*

IN corruptione totius non fit reſolutio vſque ad materiam primam, hoc eſt omni forma denudatam.

Hæc propoſitio ſufficienter deducitur ex præcedentibus hoc pacto: quantitas ſoli ineſt materiæ & non formæ, ex prædictis; ergo ad corruptioné materia non remanet prima, & omni forma deſtituta, ſed ſemper quantitatem retinet.

Probatur rurſus, experiētia docet plurima accidentia, vt ſunt quātitas, color, cicatrices, & alia id generis, quæ erant in aliquo compoſito naturali, poſt quā illud corruptum eſt, adhuc in alio recenter genito reperiri.

Nec audiendi ſunt qui reſpōdēt hæc accidentia, quæ ſimilia apparent in genito non eſſe eadem numero, ſed ſpeciè tantū, quæ erant in corrupto: ſi quidem nequit omnino intelligi quo pacto in momēto corruptionis, ſeu receſſus formę à materia illa accidentia quę apparebāt, corrūpatur, & eadē ſpecie numero tamen diſtincta ſtatim producātur.

Obijcies primò, vnio materiæ cum forma ſubſtātiali debet eſſe maior, quā vnio eiuſdem materiæ cum aliqua alia accidentali forma, etiam quantitate: ergo ſi diſſoluatur prior vnio, poſterior quoque diſſoluetur: & per conſequens corruptâ formâ ſubſtantiali, manebit materia nuda, & omni forma accidentali, ideóque ipſa quantitate deſtituta.

Maior diſtinguēda eſt, vnio materiæ cum forma ſubſtantiali debet eſſe maior, quàm eiuſdem materiæ cum forma quauis accidētaria: ſecūdū perfectioné, & nobilitaté, concedo: ſecundum diuturnitatem, nego.

Rurſus obijcies, generatio eſt mutatio totius in totum nullo ſenſibili ſub-

iecto remanente, ex Ariſtotele cap.4.l. de ortu,tex 23. atqui aliquod ſubiectũ ſenſibile remaneret,ſi materia poſt corruptionem non relinqueretur nuda,ſed maneret quantitate,& quibuſdam aliis accidentibus ſenſibilibus affecta: ergo in corruptione relinquitur materia prima,& nuda.

Reſpõdeo negãdo maiorẽ,citato enim loco per ſubiectũ ſenſibile nõ intelligit Ariſtoteles materiã,aut nudã aut cum accidentibus, ſed compoſitum ipſum quod docet poſt corruptionẽ nõ remanere omnino idem & quantũ ad denominationẽ,ſed aliud fieri & aliã ſortiri denominationẽ; tametſi materia, quæ erat in corrupto, remaneret in genito, cum quibuſdã accidẽtibus, quantitate v.g. figura,& aliis quæ eã conſequũtur.

MEMBRVM QVARTVM

*Vtrum materia ſit pura potentia Metaphyſica.*

AD intelligentiam huius celeberrimæ difficultatis.

Notandum eſt primò, potentiã dici per comparationem ad actus,idémque eſſe quærere, vtrum materia ſit pura potentia Metaphyſica,ac quærere,vtrũ nullum actum Metaphyſicum includat.

Notandum 2. actum Metaphyſicum eſſe duplicem:alterum eſſentiæ alterum exiſtentię, vt amplius docebimus in Metaphyſica. Huius præſentis difficultatis ſenſus eſt,vtrum materia de ſe habeat hos duos actus,eſſentiã videlicet, & exiſtentiam;vel alterum tantùm,vel nullum.

Duæ ſunt de illa grauiſſimorum Philoſophorũ ſentẽtiæ,prior eſt D.Thomæ 1.parte q.44. art. 2.& q. 66. art. 1. omniúmque diſcipulorum eius, materiam eſſe puram potentiam Metaphyſicam tam ratione actus eſſentiæ,quam exiſtentiæ, neutrúmque includere, ſed à forma emendicare.

Poſterior eſt Scoti in 2.ſent. diſt.12. q. 1. & totius eius ſcholæ ordiníſque ferè recentiorũ,cũ quib. concludimus materiam nõ eſſe puram potentiam in genere entis,ſeu actũ metaphyſicũ, ſed habere actum ſuum cùm eſſentiæ, tum exiſtentiæ à ſe ipſa,non à forma ſubſtãtiali: quæ propoſitio,etſi clariſſima,his tamen poteſt argumentis confirmari.

Primum, quod nullum actum metaphyſicum, ſeu entitatiuum,ſibi vendicat,ſimpliciter loquendo, eſt non ens, atqui ſecundum Ariſt. 1. Phyſicorũ c 8. & 9. materia eſt ens, dicit enim eã eſſe aliquid permanens,ex quo ſimul cum forma res omnes naturales fiunt: ergo materia non eſt pura potẽtia metaphyſica, ex quo deducitur.

Secundum argumentum,ex nõ ente per generationem naturalem non fiunt res ipſæ naturales, alioquin eſſet cõtinua creatio quæ non eſt admittenda: ſed res naturales fiunt per generationẽ naturalẽ, ex materia, vt patet ex Ariſt. loco citato,& ex ipſa definitione materiæ: ergo materia non eſt ſimpliciter non ens, ſed habet aliquem actum entitatiuum ſibi annexum: ſicque non eſt pura potentia metaphyſica.

Tertium, quæcumque pereunt, reſoluntur & abeunt in materiã, vt ipſius definitio teſtatur: at illa non abeunt in non ens, ſeu in nihilum; aliàs eſſet annihilatio, quæ non magis admitti poteſt quàm creatio: ergo materia non eſt merum nihil, ſed actum aliquẽ entitatiuum ſortitur, proindéque non eſt pura potentia metaphyſica.

Quartum, fundamentum formarum realiũ debet eſſe reale, & participare actum entitatiuum, & metaphyſicum: atqui materia eſt eiuſmodi, in ea ſi quidem omnes formæ recipiuntur, vt colligitur ex Ariſt. 1. metaphiſ. 24. ergo materia non poteſt eſſe non ens

Digitized by Google

ens reale, & pura potentia metaphyſica.

Poſtremum materia eſt terminus actionis realis, nempe creationis, vt antea inſinuauimus: ergo debet eſſe realis, & ſortiri actum non modò eſſentiæ, ſed & exiſtentiæ: nam creatio, ſicut omnis actio realis, tendit ad exiſtentiam.

Obiic. primò, materia eſt non ens ex 1. Phyſic. c. 3. ergo nullum actum habet, neque eſſentiæ, neque exiſtentiæ, proindéque eſt pura potentia metaphyſica.

Reſp. ad antec. materiam dici non ens ab Ariſt, non ratione ſui, ſed ratione adiunctæ priuationis omnium formarum: aut dici non ens completũ, & totale, non autem incompletum, & partiale.

Secundo obiic. ex Boëtio, libro de Vnit. & vno, omne eſſe in rebus creatis deſumitur à forma, ergo materia nullum habet, proindéque eſt pura potentia metaphyſica.

Diſtinguo antecedens, omne eſſe à forma; ſpecificum & diſtinctiuum cõcedo, commune & materiale nego: explico, omne eſſe hominis eſt ab anima rationali, omne quidem eſſe quo in tali ſpecie ponitur & à reb. aliis ſeiungitur, verum eſt: omne verò abſolutè, etiam commune, & materiale, falſum eſt: quia adhuc præter animam, corpore conſtat, quod ſibi, & aliis rebus cõmune eſt.

Tertio obiic. ſi materia aliquem actum haberet, cùm ipſa ſit potentia, actu & potentia conſtaret: ergo eſſet aliquid completum, & per ſe vnum, quod prædictis repugnat.

Reſpondeo negando conſeq. vt enim aliquid ſit completum, & per ſe vnum, debet conſtare actu, & potentia eiuſdem generis, putà phyſicis, materia autem conſtabit tantum potentia phyſica, & actu metaphyſico quem participat.

Quartò obiicies, quilibet actus, vel eſt informans, vel ſubſiſtens: at materia neuter eſt actus, non prior, quia includeret formam, imo eſſet ipſa forma non etiam poſterior, quia cũ actus ſubſiſtens ſi perfectior non ſubſiſtente, & informante, certè materia eſſet ipſa forma nobilior, quod multum detrahit de dignitate formæ: ergo materia nullum habet actum neque eſſentiæ, neque exiſtentiæ.

Reſp. primo negatione maioris: nam præter actum ſubſiſtentem & informãtem dantur actus eſſendi, & exiſtendi, qui præcisè non dicuntur ſubſiſtentes, ſed entitatiui: & de his actibus conueniántne materiæ, nécne, hoc loco diſputatur.

Deinde reſpondeo diſtinctione minoris ſecundum poſteriorem partem, materia non includit actum ſubſiſtentem completum, & perfectum concedo: incompletum verò, nego: qui quidem actus non poteſt arguere maiorem in materia perfectionem, quam in forma, cum ipſa etiam forma incompletè ſubſiſtat, & præterea ſit ad agendum ordinata, materia verò ad patiendum: nobilius autem ſit agere, quàm pati.

Poſtremò obiicies, de oppoſitis eodem modo videtur eſſe philoſophandum: ergo cum in tota latitudine entis detur aliquis actus puriſſimus, nempe Deus, qui nullam planè includat potẽtiam: ita è contrario in eadem latitudine entis neceſſariò ens aliquod purè potentiale, quod nullum penitus actũ includat, admittendum erit, & hoc nõ poteſt aliud aſſignari à materia: ergo materia eſt pura potentia metaphyſica.

Reſ. negatione antecedentis, gene-

quoque formaliter in ratione principij ſynonymè conuenire poſſunt, cùm in vtraque formalis ratio principij ſit realis.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*De contrarietate principiorum, ſi qua ſit.*

EXpreſsè poſui de contrarietate principiorum ſi quæ ſit; licet enim id cùm ex veterum opinione, tum ex propria ſententia ſtatuat Ariſtoteles 1. Phyſicorum, c.5. ſi tamen propriè accipiamus nomen contrarietatis nullo pacto videtur cadere in ipſa rerum naturalium principia: quòd non cadat in materiam & formam patet, quia contraria ſe mutuò expellunt, nec ſimul conſiſtere poſſunt, vt calor, & frigus: at verò materia & forma naturali deſiderio conſortium, & vnionem quærunt, vt demonſtrabitur inferiùs.

Quòd item nec reperiatur inter priuationem & formam, de quibus locutus eſt Ariſtoteles, cùm dixit principia eſſe contraria, perſpicuè oſtenditur, contraria propriè ſumpta debent eſſe ambo poſitiua, vt calor & frigus, albedo & nigredo, ex dictis de oppoſitis in Logica: atqui priuatio, quod eſt principium formæ oppoſitum, non eſt ens reale, & poſitiuũ, vt conſtat: ergo inter priuationem & formam non reperitur propria contrarietas.

Dicendum itaque Ariſtotelem citato loco latè vſurpaſſe nomen contrarietatis, quando dixit principia eſſe contraria: imo prima contraria, ſcil. pro oppoſitione priuatiua. nec locutum fuiſſe de omnibus principiis, materia, forma, & priuatione, ſed tantum de forma, & priuatione quæ inter ſe pugnãt, vt viſus & cæcitas, atque adeò opponuntur priuatiuè, habéntque materiam tanquam commune ſubiectũ cui viciſſim inſſunt.

Quod autem Ariſt. formam & priuationem prima contraria, id eſt prima oppoſita priuatiuè, dixerit, hanc ipſe rationem adfert loco citato: prima cõtraria dicuntur illa quæ nec fiunt ex aliis, nec ex ſeipſis, ſed ex ijs omnia: atqui prima principia ſunt eiuſmodi, vt patet ex eorum definitione: ergo ſũt prima contraria. Optima ratio eſt ſi modo per contraria priuatiuè oppoſita intelligãtur, vt iã ſuperiꝰ expoſuimꝰ.

## DISPVTATIO SECVNDA.

*De internis rerum naturalium principÿs in particulari.*

### SECTIO PRIMA.

*De materia.*

### ARTICVLVS PRIMVS.

*De nominibus & varia acceptione materiæ.*

SIngula explicaturi rerum naturaliũ principia in particulari, à materia exordium ſumitur, vt naturæ ordo ſeruetur, quamuis enim forma ſit prior ordine dignitatis ipſa materia, quod tãtum voluit Ariſt. 7. Metaph. c. 5. ordine tamẽ naturę omnibus præponitur materia, cùm ſit aliorum ſubiectum, ſubiectum autem priùs eſſe debeat ijs quæ ſunt in ſubiecto, ex 1. Phyſicor c. 6.

Porrò materiæ ſignificatio valdè ambigua eſt, & ad multa extenditur, imprimis enim accipitur pro obiecto cuiuſcunque facultatis & habitus, vocatúrque *materia circa quam*: ſecundò accipitur pro ſubiecto in quo aliud recipitur, vt albedo in pariete, & dicitur *materia in qua*: poſtremo ſumitur pro eo ex quo aliquid fit, vt cathedra ex ligno, & hæc materia *ex qua* nuncupatur.

Rurſus hæc materia duplex ſtatuitur; vna dicitur prima, ſeu remota: altera ſecunda, ſeu propinqua.

Materia prima, & remota dicitur, quando nudè, & ſecundum ſuam eſſentiam ſpectatur

Digitized by Google

abſque vlla forma ſiue ſubſtantiali, ſiue accidentali.

Secunda verò, & propinqua habetur quæ iam eſt affecta certis conditionibus & diſpoſitionibus quibus ad peculiarem aliquam formam ſubſtantialem determinatur, cuiuſmodi eſt corpus organis inſtructum; quia proximè diſponitur per eiuſmodi organorũ apparatum, ad ſuſcipiendam animam, quæ eſt forma ſubſtantialis, vnde proxima dicta eſt: ſicut è contrariò materia prima dicitur remota, eo quod priuſquam vniatur certæ cuidam formæ ſubſtantiali, & aliquid ex ea fiat, certas quaſdam & peculiares diſpoſitiones requirit, quas vbi nacta fuerit, proximè redditur apta ad talem formam ſuſcipiendam, & cum illa aliquod naturale cõpoſitum conſtituendum.

Cæterum huic materiæ primæ multa imponuntur nomina. Primum enim quod varias ſubinde formas mutet, Proteó Poëtarum fabulis ſimilis habita eſt, & Luna à Philoſophis dicta; alia etiam ratione dicitur Luna, quòd quẽadmodũ Luna aliena tantùm lucent, tet, ſcilicet Solis, ſic etiam materia ſplendet tantum radiis ex forma petitis.

Præterea, quia ipſa agentibus naturalibus formas inducentibus, non ſecus ac fœmina mari ſubiicitur, hinc fœmina vocitata eſt.

Rurſus & mater dicta, quòd ex eius gremio & ſinu procreentur omnia.

Quartò vocatur malum, eo quod ſit principium omnis corruptionis.

Quintò dicitur informis, eo quod ex ſe omni forma careat.

Denique vocatur ſubiectum, baſis, fũdamentum, elementum, aliequá plura id genus nomina ſortitur, quæ quòd nulla expoſitione indigeant, vltrò prætermittuntur.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*De exiſtentia materiæ primæ.*

Dari materiam primam experiẽtia quotidiana teſtatur, videmus enim quotidiè compoſita naturalia tráſmutari, ex homine cadauer, & ex cadauere vermes generari, item ex ligno ignem produci, & ſic de cæt. In quibus omnibus mutationibus materia prima perſpicuè deprehenditur: ſiquidem aut totum mutatur in totum, aut pars tantum: ſi prius, quod ita mutatur, verè annihilatur, quia annihilatio nihil eſt aliud, quam reductio alicuius ad nihilum, & quod de nouo fit reuera creatur, quia ex nihilo fit, quod propriè eſt creari, quæ tamen omnia abſurda ſunt: ſi verò poſterius dicatur, quæro quid ſit illud quod peracta corruptione remanet: ſit ne materia quam quærimus, vel forma? Si poſterius dicas, contra, quod remanet eſt ſubiectũ alterius formæ aduenientis, verbi gratia quod remanet poſt corruptionem ligni, eſt ſubiectum formæ ignis; at verò forma non poteſt eſſe formæ ſubiectum, vt ſatis conſtat: ſi dicas prius, iam materiam primam fateris.

Hinc intelligis materiam eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem; tum quia manet in genito, & corrupto, & non perit in corruptione totius, vt patet ex dictis: tùm quia ſecundum Ariſtotelem 1. Phyſicorum cap. vlt. quidquid generatur ex aliquo generatur; materia autem prima ex nullo fit, ſed eſt id quo reliqua fiunt: quod item corrumpitur, in aliquod ſubiectum reſoluitur, nequit autem materia prima in aliud ſubiectum reſolui, ſed eſt ipſummet primum ſubiectũ, in quod, ſi quidpiam perit, vltimò abit, vt reſtatur eius definitio inferiùs tradenda.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De eſſentia materiæ.*

## MEMBRVM PRIMVM.

*De eius definitionibus.*

CVm definitio dupliciter tradi poſſit, vel per negationem, vt cùm dicimus Deum neque eſſe finitum, neque corporeum, neque quidpiam eorum quæ aliquam imperfectionem inuoluunt; vel per affirmationem, vt cum dicimus eumdem Deum eſſe iuſtum, miſericordem, ſapientem, & cæt. hinc factum eſt, vt vtróque illo modo materiam definierit Ariſtoteles, priori his verbis 7. Metaph. cap. 3. *Materia non eſt quid* ( id eſt ſubſtantia ) *nec quantum, nec aliquid eorum quibus ens determinatur.* Quē definiendi modum ad indagandā materiæ naturam valdè idoneum ſignificauit apertè D. Aug. 12. Confeſſionum, cap. 3. cùm ait, *humanam cognitionem materiam ignorando noſſe, & cognoſcendo ignorare*, ad modum tenebrarum, quas qui videt, nihil videt: qui non videt, videt.

Poſteriori item modo, nempe per affirmationem Ariſt. definiuiſſe materiam conſtat, ex cap. 9. primi Phyſicorum tex. 82. *Dico enim*, inquit, *materiā quod rei cuiuſque ſubiectum eſt primum; è quo inſito aliquid oritur, & in quod, ſi quidquam interit, vltimò abit.* Cuius definitionis ſenſus in hūc modū proponitur, *materia eſt id ex quo quidpiam fit non per accidens, ſed per ſe, tanquam ex ſubiecto primo.*

Ponitur id, loco generis: per reliquas particulas ab aliis rebus omnibus materia diſtinguitur: & primò per illā particulam (*ex quo quidpiam fit*) à cauſis extrinſecis, efficiente, finali, & exemplari, ex quibus fiunt res, ſed ab efficiente, propter finem, & exemplari, vt ſuprà dictum eſt.

Secundò, materia differt à priuatione hac particula, *non per accidens, ſed per ſe*: quia vt docent Philoſophi, nihil per ſe fit ex priuatione, ſed tantum per accidens, & tanquam ex termino à quo; vnde & priuatio dicitur tantum principium per accidens corporis naturalis.

Tertiò, à formis diſcrepat per hanc particulam, ( *tanquam è ſubiecto* ) licet enim res naturales ex formis coaleſcāt, formæ tamen illæ non ſe habent inſtar ſubiectorum.

Vltima particula ( *primo* ) deſignat internam eſſentialémque materiæ primæ rationem, quæ poſtulat, vt ſit primum rerum omnium ſubiectum.

Dices hac definitione non explicari materiam cœlorum: quia verbū iſtud, *fit*, quo exprimitur, ſignificat generationem naturalem quæ in cælis nulla eſt.

Reſpondeo iſtam particulam, *fieri*, dupliciter ſumi poſſe, primò pro omni productione, ſecundò ſtrictè pro ſola generatione: priori modo ſumenda erit in definitione materiæ, ſi quis velit vtrámque materiam, cœleſtem nimirum, & ſublunarem per illam explicare.

Poſteriori verò tantùm ſi quis ad ſolam ſublunarem eam velit reſtringere.

Hinc intelligis contra Platonem in Timæo, materiam diſtincto conceptu Poſſe intelligi: nam & vera aſſignata eſt definitio, qua diſtinctè eius eſſentia percipiatur, & de facto habet nonnulla attributa eſſentialia, ab aliis rebus eſſentialiter diſtincta, quæ proinde diſtinctè cognoſci queunt: non eſt tamen inficiendum talem conceptum materiæ diſtinctum explicari per ordinem, quem habet eſſentialiter ad formas, vt ſtatim docebimus, quod certè non obſtat quo minus diſtinctè cognoſcatur, ſicut accidens non deſinit ſecundum ſuam eſſentiam diſtinctè percipi, licèt natura ſua dicat ordinē ad ſubſtantiā.

Digitized by Google

## MEMBRVM SECVNDVM.

*Vtrum potentia materiæ ad illius eſſentiam ſpectet.*

POtentia in materia nihil aliud eſt quàm capacitas, & aptitudo ad formas recipiendas.

Illa eſt in duplici differentia, altera generalis; quia omnes omninò formas reſpicit, altera particularis, per quam ad hanc in particulari formam refertur.

Præterea potentia illa materiæ conſideratur, vel in ordine ad actus entitatiuos, ſeu Metaphyſicos, eſſentiam ſcilicet, & exiſtentiam, vel ad actus phyſicos, nimirum formas.

Senſus autem præſentis difficultatis eſt, vtrum potentia illa, quâ materia reſpicit formas, vel omnes indifferenter, vel aliquas in particulari ſit illi eſſentialis, nam de potentia ad actus entitatiuos hîc non diſputatur, ſed de ea ſermo infrà futurus eſt an materiæ cõueniat. Huic igitur difficultati vt ſatis fiat, ſit.

*Prima propoſitio.*

POtentia particularis materiæ non eſt illi eſſentialis.

Probatur quidquid pertinet ad eſſentiam alicuius rei ab ea integra remanẽte ſeparari non poteſt: ſed à materia integra remanente facilè ſeparatur huiuſmodi particularis potentia, quæ videlicet hanc determinate formam reſpicit: talis enim determinatio non petitur ex interna ratione materiæ, quæ eſt ad varias formas indifferens, vt poſtea dicetur, ſed à quibuſdam diſpoſitionibus illi accidentariis, quæ talem determinatè, & in particulari formam ſuo iure poſtulant: ergo illa particularis materiæ potentia ei nequaquam eſt eſſentialis.

Confirmatur potentia illa quæ eſt eſſentialis materiæ, debet eſſe vnica, ſicut materia vnius eſt eſſentiæ: at potentia particularis in materia non eſt vnica, ſed multiplex, ſicut multipliciter ad multiplices formas determinatur: ergo illa ſingularis potentia ad materiæ eſſentiam non pertinet.

*Secunda propoſitio.*

GEneralis materiæ potentia illi eſt eſſentialis, Hanc propoſitionem docet inter cæteros D. Tom. primo contra gentes cap. 43. & in primum ſentent. diſt. 33. q. 4. art. 1. contra nonnullos qui eam potentiam collocant ſub genere qualitatis in ſecunda ſpecie, voluntque ideo tantum illi eſſentialem dici, quod immediatè ex eius eſſentia fluat, & per illam reſpiciat formas.

Probatur autem noſtra propoſitio, id ſine quo rei alicuius eſſentia integra permanere, & conſiderari non poteſt, ſpectat ad illius eſſentiam, & non eſt tantũ aliquid immediatè ab illa emanans, vt conſtat inter omnes: atqui ſine illa generali potentia, materiæ eſſentia integra permanere, & intelligi non poteſt: tum quia eſſentia aliter eſt formarum ſubiectum, vt patet ex eius definitione: ſubiectum autem formarum, quatenus tale, includit potentiam illas recipiendi: tum quia non aliter ſe habet ad ipſam materiam Potentia, quàm actus ad formam: at ſine actu nõ poteſt in rerum natura conſiſtere aut intelligi formæ eſſentia, quia includit actum in ſua eſſentiali definitione: ergo neque etiam integra intelligitur materiæ eſſentia abſque ipſa generali potentia, ſicque illi erit eſſentialis.

Obiicies: rei abſolute attributa eſſentialia non debent eſſe relatiua: ſed materia, quantumuis incompleta, eſt res abſoluta: ergo eius attributa eſſentialia non debent eſſe relatiua: atqui potẽtia in materia eſt attributum relatiuũ,

Digitized by Google

per illam enim refertur ad formas, vt ad ſuum correlatum: ergo talis potentia non poteſt eſſe attributum eſſentiale materiæ.

Maior eſt diſtinguenda: rei abſolutæ attributa non debent eſſe relatiua: relatione propria, & cathegorica, concedo: relatione minus propria & tranſcẽdentali, nego: huius autem poſterioris generis eſt relatio materiæ, quatenus potentia ad formas, tam enim ad accidentales, quàm ſubſtantiales ſe extendit.

Inſtabis contra hanc reſponſionem, ſi materia potentiæ ſe extendat tam ad ſubſtantiales, quàm accidentales formas, vel duplex erit, vel vna, partim ſubſtantialis, partim accidentalis. Cõſequentia oſtenditur, quia cum ex Ariſtotele 9. Metaphyſ. tex. 1. actus, & potentia ſint eiuſdem generis, ſi materiæ potentia, tam ad formas ſubſtantiales, quàm accidentales, quia ſunt veri actus, referatur; harum comparatione erit accidentalis, illarum verò reſpectu ſubſtantialis: proindéque, vel duplex erit admittenda, ſubſtantialis vna, accidentalis altera: vel vnica mixta, partim ſubſtantialis, partim accidentalis, quod vtrúmque videtur abſurdum.

Neganda eſt conſequentia, & ad Ariſt. in confirmationem citatum reſpondendum eſt, vel eum loqui dumtaxat de actu, & potentia metaphyſicis, puta ad genera, & differentias, quæ eiuſdem generis eſſe ſolent: vel de actu & potentia ſubſtantialibus quibus vnum per ſe fit, non autem de actu accidentali, & potentia phyſica: quia cùm illa potentia ſit eadem cum materia, proindéque ſubſtantialis, non poteſt eſſe eiuſdem rationis & generis cum actu accidentali.

## MEMBRVM TERTIVM.

*Ad quas formas ſeſe extendat materiæ potentia.*

FOrmæ conſiderantur, aut tanquam præteritæ, aut tanquam poſſibiles ſiue actu ſint futuræ, ſiue non. Quæſtionis itaque ſenſus eſt vtrum ad omnes illas formas vel tantum ad quaſdam extendatur materiæ potentia.

Quòd enim ad præteritas non extendatur, fortè alicui videtur, ex eo quod illæ ab aliquo agente naturali reproduci nequeant, & in ipſa materia recipi.

Verùm hoc obſtare non poteſt quo minus concludamus potentiam illam materiæ, etiam ad formas præteritas ſeſe extendere: tùm quia eſt illi per accidens quòd formæ illæ ab agente naturali reproduci nequeant, & ex ſe æquè eſt capax, & idonea ad illas recipiendas, ſi de facto reproducerentur, ac ſi nunquã ipſas recepiſſet: tùm quia nihil eſſentiale materiæ poteſt mutationem temporis decurſu ſubire, proindéque: cum ante receptionem eiuſmodi formarum præteritarum, ad eas potentiam eſſentialem obtineret, eam nunquam depoſuit, licet formis illis denudata fuerit: tum demum quia ſi Deus formam præteritam reproduceret, & ipſi materiæ reuniret, ex illa vnione reſiliret compoſitũ per ſe vnũ, quod neceſſariò conſtare debet ex forma, tanquam actu, & materia, tanquam potentia ad ipſam formam: ergo etiam reſpectu formæ præteritæ remanet in materia potentia.

Alia verò ex parte iudicabit aliquis materiæ potentiam non ſeſe extendere ad formam præſentem qua actu informatur, quia aliàs ſimul foret in actu, & potentia, quod abſurdum eſt.

Sed nec iſtud adeò vrget vt idcircò timeamus concludere ipſam generalẽ materiæ potentiam dici etiam comparatione

ratione

Digitized by Google

ratione formarum præſentium. quibus actu ſubijcitur: tum quia licet abſurdũ ſit aliquid ſimul eſſe actu, & potentia reſpectu ſuæ eſſentiæ, & exiſtentiæ, nullum tamen eſt incommodum, quod res vna reſpectu eiuſdem ſit in potentia, & actu, diuerſa ratione, ſicut qui actu philoſophatur, ad eumdem: philoſophandi actum ſimul eſt in potentia, & actu: in potentia, quia adhuc eiuſdem actus eſt capax ſi poſſet iterum dari, vt antea dicebamus de formis præteritis: in actu verò, quatenus actualiter philoſophatur: tum etiam, quia vt ſupra argumentabamur, potentia generalis materiæ quæ illi eſſentialiter conuenit mutari non poteſt, ideóque manet adhuc reſpectu formæ præſentis, cum ante actualem eius receptionem ad illam ſeſe extenderet,

De formis denique futuris, ſiue actu, ſiue poteſtate tantùm, nulla eſt dubitandi ratio, ideóque ſimpliciter concludendum præfatam illam generalem materiæ potentiam ad illas extendi; tum quia poteſt illarum eſſe ſubiectũ: tùm etiam quia quamuis non omnes actu recipiat, omnes tamen recipere apta eſt; nec neceſſe ẽſt, vt quælibet potentia ad eos omnes actus reducatur quos producere poteſt, vt in ipſis potentijs naturalibus videre eſt, quæ quidem eos omnes actus reuerà non eliciunt, quos poſſent producere, vt omnes experiuntur.

Itaque conſtans eſt propoſitio noſtra quæ eſt corollarium ex præcedentibus, generalem materię potentiam dici reſpectu omnium formarum, præteritarum, præſentiũ, & futurarũ, ſiue actu ſiue poteſtate tantùm.

### MEMBRVM QVARTVM

*Vtrum illa materia potentia prius reſpiciat formas ſubſtantiales, quàm accidentales.*

Difficultas eſt, non de qualibet forma accidentali, quia certum eſt potentiã materiæ priùs ſeſe extendere ad formas ſubſtantiales, quàm ad aliquas accidentales, quæ formam conſequuntur vt ſunt albedo in cygno, & nigredo in coruo, ſed potiſſimum de quãtitate, an præcedat in materia formas ſubſtantiales, vel illas conſequatur: quam difficultatem ſub aliis terminis ſolent alij proponere, his ſcilicet, an quãtitas ſit coæua materiæ, poſitâ enim affirmatiuã parte certa eſt propoſitio, materiæ potentiam prius terminari ad quantitatem, quàm ad formas ſubſtantiales. Quia illas non habet coæuas & congenitas, ſtatutâ verò negatiuã parte, res in dubio verſatur.

De hac igitur difficultate celebris exiſtit D.Th. 1. part. q.76. art. 6. Caiet ibidem. Durand. 1. ſent. diſt. 8. q. 4. & aliorum ſententia, quantitatem nequaquam eſſe materiæ coæuam. Quam quidem ſentiam explicantes, tria ſtatuunt: primum materiam nullius accidentis ne quidem quantitatis, ſine forma ſubſtantiali. ſubiectum. eſſe poſſe: ſecundum, quantitatem non ſoli materiæ, ſed toti compoſito naturali ineſſe: tertium (quod ex præcedentibus neceſſariò ſequitur) in corruptione non tantùm perire formam ſubſtantialem, ſed ipſam quantitatem, ideòque fieri reſolutionem vſque ad materiam primam, hoc eſt omni forma ſpoliatam.

Verum contra hanc ſententiam ſecũdum omnes ſuas partes has ſtatuimus propoſitiones.

*Prima propoſitio.*

Materia eſt ſufficiens principium receptiuum formarum accidentalium ſine forma ſubſtantiali:

Probatur, materiam eſſe ſufficiens principium formarum accidentalium



Digitized by Google

abſque forma ſubſtantiali, arguit ſolū ipſam eſſe debitè proportionatam ipſis formis accidentarijs: & non emendicare talem propoſitionem à forma ſubſtantiali: atqui materia ex ſe habet ſufficientem proportionem cum formis accidentariis, quas debet ſuſcipere; nec eam à ſubſtantiali forma mutuatur, vt videri poteſt in anima rationali, quæ cùm ſit ſpiritalis & incorporea, materiæ non poteſt tribuere proportionem cum formis accidentariis materialibus, quantitate, figura, & aliis, nec conferre aptitudinem ad illas ſuſcipiendas: ergo materia ſine forma ſubſtantiali eſt ſufficiens principium receptiuum formarum accidentariarum.

Obiiciunt primo (ſed fruſtra) Thomiſtæ, materiam ſine forma ſubſtantiali, omni eſſentia, & exiſtentia carere: fruſtra (inquam) id obiiciunt, quia quâ facilitate ſine probatione proferunt, eadem facilitate abſque vlla vberiori ſolutione negatur,

Rurſus obijciunt: Materia ex ſe eſt omnis efficacitatis expers, ergò ex ſe non poteſt accidētarias formas producere, & productas in ſe recipere, ſed hoc à forma mutuari debet: proindéque ſine illa forma ſubſtantiali non poteſt eſſe ſufficiens ſubiectum receptiuum formarum accidentariarum.

Diſtinguo antecedens, Materia eſt expers ordinis efficacitatis ad producenda alja à ſuis proprietatibus naturaliter ipſi debitis, cōcedo, ad effundendas ſuas proprietates naturales præcipuè quantitatem; nego; nam etſi anima omniſque alia forma ſubſtantialis ſe ſola non poſſit agere, & producere res alias à ſuis proprietatibus, poteſt tamē ipſa proprietates naturales emanatione quadam naturali ex ſe profundere, v. g animæ rationalis intellectū. voluntatem, & alias naturales facultates.

*Secunda propoſitio.*

Qvantitas eſt coæua, & congenita materiæ.

Probatur, numquam quantitas generatur, ergo cum nunc inhæreat materiæ illi ab omni æuo, ómniqùe tempore inhærere debuit, proindéque ipſi fuerit coæua & congenita neceſſe eſt Probatur antecedens, quod non corrūpitur, non generatur atqui quantitas non corrumpitur: ergo nec generatur. Rurſus huius ſyllogiſmi minor probatur. Quidquid corrūpitur, aut per ſe, & à contrario corrūpitur, aut per accidēs, ad corruptionem ſubiecti, vel etiam defectu diſpoſitionum quas in ſubiecto prærequirit: atqui nullo ex his modis quantitas corrūpi poteſt: non primo ſcilicet per ſe, & à cōtrario, quia quātitati nihil eſt contrarium apud Ariſt. in ſuis categoriis cap. de quantitate: non item ſecūdo modo, videlicet per accidens ad corruptionē ſubiecti: quia cum ſubiectū quātitatis ſit materia, quæ quidem eſt ingenerabilis, & incorruptibilis (ex ſuprà dictis) certè non poteſt ipſa quantitas per accidens corrumpi ad corruptionem ſubiecti: nec denique tertio modo corrūpitur, videlicet per accidens defectu diſpoſitionum quas in materia prerequirat, quia cum nullā formam in materia præſupponat tanquam diſpoſitionem, ſed omnium formarum prima ſit in materia, imò ipſi materiæ coæua & congenita, ex ſuperiori propoſitione non poteſt corrumpi per accidens defectu diſpoſitionum ad ſui receptionē in materia prærequiſitarum.

Obiicies, corrumpitur quantitas, ergo non eſt materiæ coæua.

Probatur antecedens: illud corrumpitur ad quod motus dari poteſt: at-

Digitized by Google

qui datur motus ad quantitatem, ſcilicet motus accretionis, decretionis, ergo quantitas corrumpitur, imò etiam generatur.

Negandum eſt antecedens, & diſtinguenda minor probationis, datur ad quantitatem motus quo nouo modo ſe habeat, & accedat ob acceſſum materiæ, concedo: quo de nouo producatur, nego: idem in corruptione dici debet, quantitatem corumpi, quando ſimul cum materia in aliud migrat ſubiectum, non quòd omnino de medio tollatur.

*Tertia propoſitio.*

Accidentia corporea ſoli inhærent materię, non formæ.

Probatur primò in homine vna pars hominis, nępe forma, ſeu anima rationalis eſt ſpiritalis: ergo ipſi nequeunt accidentia corporea inhærere, proindéque ſoli materiæ inſunt.

Probatur ſecundò. vniuerſim in eo ſunt, & ei inhærent accidētia corporea, de cuius ſinu, & poteſtate educuntur; atqui accidentia corporea educuntur tantùm de potentia, & ſinu materiæ, vt infrà docebimus: ergo accidentia corporea ſoli materiæ inhęrent, non formæ, aut toti compoſito.

Obiicies, omnia ſunt, aut dicuntur de prima ſubſtantia apud Ariſtotelem in ſuis prædicamentis cap. de ſubſtantia: atqui ſubſtantia prima non eſt tantùm materia, ſed totum compoſitum ex materia & forma: ergo quæcunque ſunt, proindéque ipſa accidentia materialia, & corporea, non in ſola materia, ſed in toto, tanquam ſubiecto recipiuntur, ipſique inhęrent.

Diſtinguenda eſt maior, omnia aut dicuntur de prima ſubſtantia, aut illi inſunt, tanquam ſubiecto denominationis. ſicut intellectus toti homini ineſſe dicitur concedo, tāquā uero ſubiecto inheſionis, nego; nec id Ariſtoteles, ſed prius tantum, citato loco voluit.

*Quarta propoſitio.*

In corruptione totius non fit reſolutio vſque ad materiam primam, hoc eſt omni forma denudatam.

Hæc propoſitio ſufficienter deducitur ex præcedentibus hoc pacto: quantitas ſoli ineſt materiæ & non formæ, ex prædictis: ergo ad corruptionē materia non remanet prima, & omni forma deſtituta, ſed ſemper quantitatem retinet.

Probatur rurſus, experiētia docet plurima accidentia, vt ſunt quātitas, color, cicatrices, & alia id generis, quæ erant in aliquo compoſito naturali, poſt quā illud corruptum eſt, adhuc in alio recenter genito reperiri.

Nec audiendi ſunt qui reſpōdēt hæc accidentia, quæ ſimilia apparent in genito non eſſe eadem numero, ſed ſpeciē tantū, quæ erant in corrupto: ſi quidem nequit omnino intelligi quo pacto in momēto corruptionis, ſeu receſſus formę à materia illa accidentia quę apparebāt, corrūpatur, & eadē ſpecie numero tamen diſtiucta ſtatim producātur.

Obijcies primò, vnio materiæ cum forma ſubſtātiali debet eſſe maior, quā vnio eiuſdem materiæ cum aliqua alia accidentali forma, etiam quantitate: ergo ſi diſſoluatur prior vnio, poſterior quoque diſſoluetur: & per conſequens corruptâ formâ ſubſtantiali, manebit materia nuda, & omni forma accidentali, ideóque ipſa quantitate deſtituta.

Maior diſtinguēda eſt, vnio materiæ cum forma ſubſtantiali debet eſſe maior, quàm eiuſdem materiæ cum forma quauis accidētaria: ſecūdū perfectionē, & nobilitatē, concedo: ſecundum diuturnitatem, nego.

Rurſus obijcies, generatio eſt mutatio totius in totum nullo ſenſibili ſub-



Digitized by Google

432

ens reale, & pura potentia metaphyſica.

Poſtremum materia eſt terminus actionis realis, nempe creationis, vt antea inſinuauimus: ergo debet eſſe realis, & ſortiri actum non modò eſſentiæ, ſed & exiſtentiæ: nam creatio, ſicut omnis actio realis, tendit ad exiſtentiam.

Obiic. primò, materia eſt non ens ex 1. Phyſic. c. 3. ergo nullum actum habet, neque eſſentiæ, neque exiſtentiæ, proindéque eſt pura potentia metaphyſica.

Reſp. ad antec. materiam dici non ens ab Ariſt, non ratione ſui, ſed ratione adiunctæ priuationis omnium formarum: aut dici non ens completũ, & totale, non autem incompletum, & partiale.

Secundo obiic. ex Boëtio, libro de Vnit. & vno, omne eſſe in rebus creatis deſumitur à forma, ergo materia nullum habet, proindéque eſt pura potentia metaphyſica.

Diſtinguo antecedens, omne eſſe à forma; ſpecificum & diſtinctiuum cõcedo, commune & materiale nego: explico, omne eſſe hominis eſt ab anima rationali, omne quidem eſſe quo in tali ſpecie ponitur & à reb. aliis ſeiungitur, verum eſt: omne verò abſolutè, etiam commune, & materiale, falſum eſt: quia adhuc præter animam, corpore conſtat, quod ſibi, & aliis rebus cõmune eſt.

Tertio obiic. ſi materia aliquem actum haberet, cùm ipſa ſit potentia, actu & potentia conſtaret: ergo eſſet aliquid completum, & per ſe vnum, quod prædictis repugnat.

Reſpondeo negando conſeq. vt enim aliquid ſit completum, & per ſe vnum, debet conſtare actu, & potentia eiuſdem generis, putà phyſicis, materia autem conſtabit tantum potentia phyſica, & actu metaphyſico quem participat.

Quartò obiicies, quilibet actus, vel eſt informans, vel ſubſiſtens: at materia neuter eſt actus, non prior, quia includeret formam, imo eſſet ipſa forma non etiam poſterior, quia cũ actus ſubſiſtens ſi perfectior non ſubſiſtente, & informante, certè materia eſſet ipſa forma nobilior, quod multum detrahit de dignitate formæ: ergo materia nullum habet actum neque eſſentiæ, neque exiſtentiæ.

Reſp. primo negatione maioris: nam præter actum ſubſiſtentem & informãtem dantur actus eſſendi, & exiſtendi, qui præcisè non dicuntur ſubſiſtentes, ſed entitatiui: & de his actibus conueniántne materiæ, néc ne, hoc loco diſputatur.

Deinde reſpondeo diſtinctione minoris ſecundum poſteriorem partem, materia non includit actum ſubſiſtentem completum, & perfectum concedo: incompletum verò, nego: qui quidem actus non poteſt arguere maiorem in materia perfectionem, quam in forma, cum ipſa etiam forma incompletè ſubſiſtat, & præterea ſit ad agendum ordinata, materia verò ad patiendum: nobilius autem ſit agere, quàm pati.

Poſtremò obiicies, de oppoſitis eodem modo videtur eſſe philoſophandum: ergo cum in tota latitudine entis detur aliquis actus puriſſimus, nempe Deus, qui nullam planè includat potẽtiam: ita è contrario in eadem latitudine entis neceſſariò ens aliquod purè potentiale, quod nullum penitus actũ includat, admittendum erit, & hoc nõ poteſt aliud aſſignari à materia: ergo materia eſt pura potentia metaphyſica.

Reſ. negatione antecedentis, gene-



Digitized by Google

ratim ſumpſi: malum enim & bonum ſunt oppoſita, nec tamen benè ſequitur, in tota latitudine entis datur ſupremū aliquod bonum, nullam planè mali rationem admittens: ergo in eadem dabitur ſummum aliquod malum omni penitus bonitate carens: ſimiliter malè concluditur, datur ſub ente puriſſimus actus qui nullam habet adiunctam potentiam: ergo ſub eodem dabitur aliqua puriſſima potentia, quæ nullum planè actum includat: imo in hac illatione manifeſta eſſet contradictio, potentia enim illa pura ex hypotheſi eſſet ens, quia poneretur ſub ente: & ſi haberet aliquem actum entitatiuum, non eſſet tamen ens, nec vllum actum entitatiuum includeret, quia eſſet pura potentia metaphyſica, quæ ex dictis debet omni actu entitatiuo carere.

Cæterum ex dictis nonnulla conſequuntur: primum eſt, ſicet materia poſſit dici pura potentia ſubiectiua & phyſica, quia, vt dicemus infra, nullum habet phyſicum actum, eam tamen non poſſe dici puram potentiam obiectiuā & metaphyſicam, cum ſit ens, & non tantum obiectum alicuius potentiæ agentis, à quo eſſe recipiat; hoc enim obiectiuæ potentiæ nomen ſignificat.

Secundò, ſequitur materiam habere verū actū exiſtendi, non tamen propriè dici actum exiſtendi: etenim aliud eſt conſtare actu exiſtendi, & eſſe actum exiſtendi, ſicut aliud eſt conſtare materia, vel forma, & dici materiam vel formam: ipſemet Suarez, qui nititur hunc loquendi modum Scoti defendere, ad hoc quidquam reſpondet, ſed ſimpliciter concludit materiam non eſſe purā potentiam in ordine ad actū metaphyſicum, illúmque includere: nō tamen probat dici poſſe eiuſmodi actum.

Tertiò ſequitur, mteriam eſſe ſubſtantialem incompletam: nam cùm omne ens ſit, vel accidens, vel ſubſtātia, vel modus: materia autem, nec ſit accidens, quia eſt pars eſſentialis compoſiti naturalis, nec modus, cùm modus non diſtinguatur à re cuius eſt modus; materia verò diſtincta ſit tùm à forma, tùm à compoſito, quorum modus dici poſſet, relinquitur vt ipſa materia ſit ſubſtantia: rurſus, cum ſubſtātia ſit duplex, completa ſcilicet & incompleta: materia verò non ſit completa, quippe quæ eſt pars, manet vt ſit ſubſtantia incompleta.

Poſtremò ſequitur ſaltem diuina virtute poſſe materiam eſſe ſine forma ſubſtantiali: nam ex dictis planum eſt, materiam, pſam diſt inguià forma, ſicut ens abſolutum ab ente abſoluto, atque adeo nihil repugnare quo minus Deus alteram, ſine altera conſeruet, ſicut anima noſtra rationalis conſeruatur à corpore ſeparata, & accidētia panis & vini in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ab omni ſubſtantia, & ſubiecto ſemota.

## MEMBRVM SEXTVM.

*An materia ſit pura potentia phyſica.*

SEnſus eſt, vtrū materia de ſe habeat aliquem actum phyſicum, ſeu formā aliquam ſubſtantialem ſibi innatam.

De hac quæſtione ſingularis olim fuit opinio Auicennæ lib. 1. ſuæ ſufficientiæ, materiam non eſſe expertem cuiuſcūque actus phyſici ſeu formæ ſubſtantialis, ſed aliquam formam obtinere à qua eſſe corporeum reciperet, quam proinde vocabat formam corporeïtatis.

Contraria tamen ſententia communiſſima eſt, & veriſſima, materiam eſſe puram potentiam phyſicam, nullúmque actum phyſicum, ſeu formam ſubſtantialem corporeïtatis includere. Eā docuit Ariſtoteles 1. phyſ. tex. 69.

Digitized by Google

facileque.

Probatur, ſi admittatur in materia forma corporeïtatis ipſi congenita, quando per generationem naturalem forma ſubſtantialis, v. g. anima rationalis in ipſam materiam induceretur, duæ ſimul reperirentur in eadem materia formæ ſubſtantiales: atqui nemo hoc dixerit; tum quia præcedens forma eſſet ſubiectum alterius, quod eſt inauditum; tum quia ex aduentu illius formæ ſubſtantialis per generationem introductæ non fieret vnum ens per ſe, quia adueniret materiæ iam ſubſtantiali forma informatæ: atque adeo completè exiſtenti, quod omnibus Philophoſis repugnat, ergo fictitia eſt ſubſtantialis forma corporeïtatis, quam ſolus in materia deprehendit Auicenna, ac proinde eſt pura potentia phyſica.

Verum obiicit Auicenna, materiale non habet à forma ſubſtantiali eſſe corporeum & extenſum, vt patet, cùm anima rationali informatur, ergo habet formam aliquam ſubſtantialem corporeïtatis ſibi innatam.

Negánda eſt conſequentia, non enim à forma ſubſtantiali, ſed à quantitate materiæ congenita, habet ipſa materia eſſe extenſum, & corporeum.

Inſtat, materiam debere ante aduẽtum quantitatis eſſe extenſam, & corpoream, vt ipſi quantitati coextendi, illámque recipere poſſit: ergo id non accipere à quantitate, ſed à forma ſubſtantiali corporeïtatis.

Diſtinguo antec. materia ante aduẽtum quantitatis debet eſſe extenſa extenſione entitatiua, quæ in eo conſiſtit, vt habet partes diſtinctas, vel etiam extra ſe poſitas; ſed ſine mole, ob quã cum illis corporibus in eodem loco nequeat conſiſtere, concedo; quantitatiua verò, quæ non tantum conſtituit partes extra partes, ſed confert virtutem expellendi quodcũque aliud corpus ab eo loco in quo eſt, nego: & ſic hac diſtinctione ad antecedens adhibita, nego conſequentiam.

## ARTICVLVS IV. ET POSTREMVS.

### De affectionibus materiæ.

VAriæ ſunt affectiones materiæ, vt, quòd formas expetat, paſſiua ſit, vna denique, vel multiplex de duobus prioribus nulla difficultas exiſtit, quæ non poſſit ſufficienter ex præcedentibus intelligi; de hac verò poſtrema, an materia ſit vna vel multiplex, non exigua mouetur quæſtio.

Vt autem illam attingamus: obiter notandum, quod iam alibi dictum eſt, triplicem, quoad præſens inſtitutum ſpectat, vnitatem diſtingui: prima dicitur numerica, qualis eſt in Petro, & Paulo: ſecunda ſpecifica, quâ omnes homines ſunt & dicuntur quid vnum: tertia denique generica, ſecundũ quam omnes ſpecies alicuius generis, v. g. omnes ſpecies animalis ſunt quidpiã vnum. De vnitate numerica hoc loco non eſt controuerſia, illa enim in materia facilè dignoſcitur penes diuerſas formas, & numero diſtinctas, quibus ſubeſt, adeo vt tot ſint numero materiæ, quot ſunt ſubſtantiales formæ totales quibus ſubiicitur, & in hoc conſẽtiunt omnes: de vnitatibus verò ſpecifica, & generica acriùs certatur, & pro illis duo hîc quærenda ſunt, primum, an omnis ſublunaris materia ſit eiuſdẽ ſpeciei infimæ: alterum, quod certè difficilius eſt, vtrum non modo omnes ſublunares materiæ ſint eiuſdem ſpeciei, ſed etiam cœleſtis & ſublunaris.

Quod ad priorem quæſtionem attinet, breuiter reſpondeo, materias omnes ſublunares eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ, & ſolo numero diſtingui: huius rei ratio ex eo patet, quòd omnes illæ

Digitized by Google

materiæ, quotquot ſunt, in hac vna ratione planè conueniant, quòd ſint, *primum cuiuſque rei ſubiectum, ex quo inſito non ex accidenti aliquid fit; & in quod, ſi quidpiam interit, vltimò abit*, quæ eſt ratio, eáque ſpecifica materiæ, vt ſupra explicatum eſt, nec aſſignari poſſet vlla ſublunaris materia quæ aliam rationé participet; & ab illa materia ſic definita ſpecifico diſcrimine ſeparetur.

Quod verò ad poſteriorem quæſtionem attinet duæ ſunt oppoſitæ Philoſophorum grauiſſimorum ſententiæ: prior conſtituens diſcrimen ſpecificũ inter illas naturas. Huius ſententiæ primus & præcipuus auctor eſt Ariſtoteles multis in locis, potiſſimũ in Metaphyſica, vt lib. 8. tex. 12. vbi ſic habet: *in ſubſtantiis naturalibus perpetuis fortaſſe non eſt materia, aut non talis qualis in rebus caducis reperitur*, & lib. 12. cap. 2. tex. 1. habet, *quæ ſempiterna ſunt, ac licet ortu, & interitu vacent, lationem tamen ſubeunt*, id eſt, corpora cæleſtia, *materiam obtinent ab ea, qua res diſſolubiles conſtant, planè diuerſam*: ſequutus eſt Ariſtotelem D. Thomas 1. parte. q. 66. art. 2. D. Thomam Caiet. hos omnes nonnulli recentiores Conimbricenſes 2. cap lib. 2. de Cæl. p. 6. licet etiam contrariæ ſententiæ probabilitatem agnoſcāt, Suares 1. tomo Metaphyſicæ, diſput. 13. ſect. numer. 13. & alij.

Probabilior tamen videtur contraria ſententia, nempe tam cæleſtem, quàm noſtram ſublunarem materiam eſſe eiuſmodi relationis, & naturæ ſpecificæ ſolúmque penes aliqua accidentia diſtingui; ita ſentiunt cum veteribus Philoſophis Triſmegiſto, Heraclito, Xenophante & aliis, Auicenna, lib. 1. ſuæ ſufficientiæ cap. 3. Ægidi. in 2. diſt. 14. noſter Bonauent. diſt. 12. q. 1. & alij, quibus libenter ſubſcribimus.

Probatur noſtra ſententia, non ſunt ſtatuendæ diſtinctiones, & multiplicãda entia ſine neceſſitate, ex trito axiomate: atqui nulla eſt neceſſitas conſtituendæ diſtinctionis ſpecificæ inter cæleſtem & ſublunarem materiam, vt patebit ex ſolutione fundamenti contrariæ ſententiæ, quæ hanc neceſſitatem nititur aſtruere: ergo materia cæleſtis, & noſtra ſublunaris ſunt eiuſdem ſpeciei.

Deinde, Cælis inſunt eadem accidētia naturalia, ſcilicet, quantitas, denſitas, motus & cæt. quæ ſublunari materiæ firmiter inhærent: ergo ex iis ſaltē probabiliter ſequitur eandem plane eſſentialiter ac eadem ſpecie in cæleſtibus & ſublunaribus corporibus, reperiri materiam.

Varia pro contraria opinione obiiciuntur, quæ tamen omnia ad vnum reuocari poſſunt: ſi materia cæleſtis, & noſtra ſublunaris eſſent eiuſdem naturæ ſpecificæ, vt corpora ſublunaria ſunt caduca, & corruptibilia propter materiam, tandémque aliquando tranſmutari poſſunt: ſic etiam ſe haberent cæleſtia & ſimpliciter eſſent corruptibilia: atqui hoc dici non poteſt, tum quia experientia docet, cælos nũquam fuiſſe corruptos, ſed eſſe ſolidos, quaſi ære fuſos: tum quia cæli ſunt cauſæ vniuerſales ad conſeruationem ſublunarium neceſſariæ, proindéque nũquam interire debent: ergo materia cæli, & noſtra ſublunaris debent eſſe diuerſæ ſpeciei. Vt hoc argumentum ſoluatur.

Notandum primò, aliud eſſe loqui de corruptibilitate ſeu potentia, qua fit corruptio, aliud loqui de actuali corruptione, & prius poſſe eſſe ſine poſteriori, ſicut tenent Theologi in corporibus glorioſis accidere, ita vt quamuis ratione materiæ corruptibilia ſint, numquam tamen actu corrūpi debeāt

Notandum.

Digitized by Google

Notandum ſecundò, potentiam ad corruptionem, eſſe duplicem: vnam remotam, quæ in eo ſolùm conſiſtit, vt aliud habeat in ſe principium tranſmutationis, & ſit capax admittere aliā formam, ſi propria ſua eiiceretur: alteram proximam, quæ non tantùm dicit principium traſmutationis, & aptitudinem recipiēdi alias formas ſed prætereà potentiā admittendi in ſe actiones agentium contrariorum, quibus deſtruantur diſpoſitiones ad ſuam formam neceſſariæ, & præterea ipſa forma pereat. Quibus poſitis.

Reſpondeo ad maiorem argumenti propoſiti, cælos in corruptibilitate cū corporibus ſublunarib. partim conuenire & partim differre: partim conuenire, quia perinde ac corpora ſublunaria, ipſi cæli intrinſecè & remotè ſūt corruptibiles, nempe ratione eiuſdem ſpeciei materiæ: partim verò diſcrepare, quia corpora ſublunaria ſuam potentiam in actum reducunt, illáque in ipſis eſt proxima: ſecus verò accidit in cælis, quos propter finem ad quem deſtinati ſunt, tales Deus in natura produxit, vt vi ſua retunderent omnē efficacitatem & actionem aliorum agentium quæ proprias formas deſtruere, & requiſitas illarum diſpoſitiones expellere conarentur, proindéque nunquā admitterent proximam corruptionis potentiam: eo modo quis diceretur in vulnerabilis enſe, qui ferreis indutus armis ſeſe enſibus obiiceret, quāquam enim ex ſe & intrinſecè poſſet vulnerari enſe, extrinſecè tamen & ratione eiuſmodi ferreorum armorum diceretur inuulnerabilis, quia ſcilicet omnē enſium retunderet aciem, vt feriendo penetrare non poſſent: hæc de materia.

## SECTIO SECVNDA.

*De Priuatione*

Relicto dignitatis ordine ſecundū quem præcedere deberet forma, naturæ ordinem religioſè ſequimur, iuxta quem priuatio formæ præponēda eſt, cum eſſe intelligatur in materia ante ipſius formæ introductionem: & quia neceſſario Dialectici in Poſtprædicamētis de priuatione verba faciūt, hęc tantùm adiungemus quæ noſtro erunt inſtituto neceſſaria.

Quod ſpectat ad nomen priuationis, inter omnes cōſtat illud bifariā vſurpari, primò in ampla quadam ſignificatiōne, quatenus complectitur carētiam cuiuſcumque formę, in quocū que ſubiecto: quo ſenſu quis dicere poſſit lapidem habere priuationem viſus, quia illo caret. & deſtitutus eſt: ſecundò accipitur propriè pro ſola carentia formæ in ſubiecto apto; vt eſt cęcitas in oculo, qui videre aptus eſt: & hæc rurſ⁹ ſic ſūptat priuatio duplex ſtatuitur, vna dicitur formæ, quę extitit, vel ſaltē exiſtere debuit, vt eſt in oculo cæcitas, quæ dicit priuationē viſ⁹, qui vel extitit, vel ſaltem exiſtere debuit: altera dicitur etiam formæ quę nondū extitit, ſed futura eſt ſaltem, quam ſubiectum aptum natum eſt recipere: & huius generis eſt priuatio, quę admittitur in materia tāquam principiū generationis, quia eſt etiam reſpectu eius formæ, vel illarum formarū quæ nondum extiterunt in materia, quas tamen materia ipſa apta nata eſt ſuſcipere: neque eſt qui hanc priuationem in materia exiſtere inficietur.

Verùm quæſtio eſt; an ſicut duplex in materia admittitur potentia, & capacitas: altera generalis reſpectu omnium formarum: altera particularis reſpectu formæ cuiuſdam particularis. vt ſup. docuimus: ſic etiā detur duplex priuatio, vna generalis omniū formarum: altera particularis peculiaris cu-



Digitized by Google

iuſdam formæ.

Reſp. ita eſſe, probóque; tot ſunt in materia priuationes quot caréntiæ formarum, quia illas omnes apta eſt ſuſcipere: atqui duæ ſunt carentiæ: vna generalis, quæ caret omnibus formis, quibus tamen poteſt informari: altera particularis, quæ peculiariter dicitur carere aliqua forma, ad quã per certas quaſdam diſpoſitiones determinatur: ergo duplex erit in natura priuatio: vna generalis, reſpectu omnium formarum: altera particularis, reſpectu alicuius certæ ac determinatæ formę.

Vnum verò diſcrimen notandum inter generalem materiæ priuationẽ, & potentiam eius vniuerſalem, quod hæc numquam minuatur, ſed extendatur ad eas etiam formas, quibus actu ipſa materia informatur: illa verò minuatur, deſinátque eſſe reſpectu illarũ formarum, quibus de facto ipſa informata eſt materia.

Quod attinet ad eſſentiam priuationis, quatenus ſtatuitur generationis principium, vulgò ſolet definiri, *carentia formæ naturalis in ſubiecto ad eam recipiendam apto.*

Dicitur primò carentia formæ, in quo conuenit cum pura negatione.

Adiungitur naturalis, id eſt, naturaliter debitæ: nã carentia formæ ſupernaturalis in materia, in ipſa non eſt priuatio, quia illa talis forma non daretur.

Denique ponitur in ſubiecto apto, ad differentiam puræ negationis, quæ ex dictis non dicit carentiam formæ in ſubiecto ad illam recipiendam idoneo.

Huc ſpectat difficultas, vtrũ priuatio ſit ens reale, an verò ens rationis, aut aliquid aliud ab vtroque diſtinctũ

*Prima propoſitio.*

PRiuatio formaliter ſumpta non eſt ens reale, ita Ariſt. expreſsé 1. lectas 1. Phyſ. cap. 8. priuationem ex propria ſua ratione non eſſe ens.

Accedit ratio: priuatio formaliter conſiſtit in negatione formæ, quæ ſubiecto ineſſe poſſet; ſed talis negatio nõ poteſt dici ens reale, vt patet, ergo priuatio non eſt ens reale.

Quod communiter obiicitur, priuationem definiri, ſicque eſſe rem aliquã, cum definitio ſit rei explicatio, nullius eſt momenti: ſicut n. priuatio nõ eſt res vera & realis, ſed priuatiua; ita eius definitio non eſt realis, ſed priuatiua, tradit úrque per negationẽ entis realis, nimirũ formæ in ſubiecto idoneo.

Nec magis vrget quod affertur, priuationes ſenſu percipi, v. g. tenebras viſu, & ſilẽtium auditu, ſicque eſſe reales: ſi quidem priuationes eiuſmodi non per ſe ſenſibus percipiuntur, ſed per accidens, hoc eſt, per abſentiam formarũ, quorũ ſũt priuationes vt tenebræ per abſentiam luminis, & ſilentium per ſoni abſentiã.

Denique non obſtat, quòd tenebrę quę ſunt priuatio luminis, inuitentur ad diuinas laudes prædicãdas, vt patet ex cantico triũ puerorum *benedicite lux & tenebræ Domino*: non inquam obſtat: quia tenebras laudare Deum potiùs oratorio, & concionatorio more quàm philoſophico, hoc eſt accurato, intelligẽdum eſt, dicuntúrque tantum Deo benedicere, quia pro modulo ſuo diuinã eius magnificentiam ipſis mortalibus enarrãt, cùm aliqua ratione ad concinnitatem vniuerſi varietate gaudentis conferant.

## DIGRESSIO MORALIS

*Contra peccatũ & pro conuerſione ad Deum.*

MOralius loquendo dicamus tenebras inuitari ad benedicendum Domino. 1. peccatores, quos rectè intelligimus per tenebras ſignificari, cũ peccata, à quibus dominantur pecca-

tores, nihil aliud ſint quàm tenebræ, iuxta illud pſal. 11. *in tenebris ambulant.* i. in peccato verſantur, & per tentationum vias incedunt, tanta offuſi caligine, vt omnia inuerſo ordine agant, teſte regio Propheta pſal. 1. ſtatim initio, *beatus vir qui non abiit in concilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit:* Mirus ſanè loquendi modus, *abire in concilio, & ſtare in via*: potiùs enim dicendum eſſet in via abire, & ſtare in concilio: quid igitur lapſum dicemus linguę in illo rege Prophetarum, & ſũmi Regis Propheta? abſit crediderim ego & dixerim potius loqui ibi Dauidē in perſona peccatorum, qui ſuorũ peccatorum tenebris implicati, quod agunt ignorant, omnémque ordinem inuertunt: ſtant, vbi eundum: eunt, vbi ſtandum: timent vbi ſperandum: ſperant, vbi timendum: dolent, vbi lætandum: & lętantur vbi dolendum: vno verbo, *dicunt bonum malum, & malũ bonũ: vertunt lucē in tenebras, & tenebras in lucem: ponũntque amarum dulce, & dulce amarum*, vt habet Iſaias c. 8. Tenebræ itaque inuitantur ad benedicendũ Domino. i. peccatores ad conuerſionē, ad quam tam frequenter à Deo ipſo vocantur: *Conuertimini, & ego cõuertar ad vos:* Zachariæ. *Conuertimini ad me in toto corde v̄ſtro*: Ioel 1. Benedicunt autem Domino cùm cõuertuntur, quia cõuerti non poſſunt niſi ad Deum à quo per peccatum receſſerant, per pœnitentiã reuertantur. Illúmque ſummê diligãt, quę eſt ſumma benedictio, quam Deus à creatura poteſt exigere, vt patet ex illo Domini præcepto. Matt. 22. *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua ex tota anima tua.*

*Secunda propoſitio.*

PRiuatio non eſt ens rationis, ſi ens rationis accipiatur pro eo quod, omninò pēdet ab intellectu.

Probatur: citra omnem intellectus operã priuatio cõuenit ſubiecto, v. g. cęcitas oculo: ergo ens rationis dici nõ poteſt, ſi ens rationis accipiatur pro eo quod omnino pendet ab operatione intellectus.

Dixi ens rationis, quod omnino pēdet ab operatione intellectus: quia ſi nomē entis rationis liberaliꝰ accipiatur quatenus comprehendit quidquid eſt mediũ inter ens reale, & nihil; tunc ſanè priuationes ſũt entia rationis, quia nec ſunt entia realia vt conſtat ex propoſitione, nec purũ nihil: aliàs vna priuatio v. g. cæcitas, non foret diuerſa ab alia, putà ſurditate, cũ duo nihil, nihil differre poſſint quod tamē ſatis apparet incommodum.

Vt priuatio exiguæ eſt entitatis, ſic etiam exiguas effundit proprietates ita vt vel eas noſſe difficile ſit; vel ſi occurrant, non mereantur interpretis operam. Hęc de priuatione.

## SECTIO TERTIA, ET POST.

*De forma ſubſtantiali.*

### QVÆSTIO PRIMA.

*De varijs nominibꝰ & varia acceptione formæ.*

MVltis & propemodum infinitis nominibꝰ forma ſubſtãtialis inſignitur: primò à Pythagora vocatur *vnũ* eo quòd materiam multitudinem, appetentē determinet ad vnã ſpeciē: Timæus Locrus, apud Platonem eã mũdi huiꝰ mētē appellauit, eãdē Plat. & Ariſt. diuinã ſobolē, diuiníque eſſe participationē dixere: ab aliis vocatur, *pulchrũ*, quò materiã illuſtret, ipsũque vniuerſũ ſpectãda veritate exornet: eãdē dicitur finis, quòd ad eam omnis tendat terminetúrque generatio.

Generatim verò forma ſumitur bifariã; primò latè pro qualibet forma, ſiue ſubſtantiali, ſiue accidentali: ſecundò ſtrictè pro ſola ſubſtantiali forma, vti à nobis hoc loco.



Digitized by Google

## QVÆSTIO SECVNDA
*De existentia formæ ſubſtantialis.*

### ARTICVLVS PRIMVS.
*An de facto detur forma ſubſtantialis.*

LIcet nemo hoc tempore, fide ſuppoſita, de exiſtentia formæ ſubſtãtialis inficias ire poſſet, non ea tamen fuit antiquitus ſibi perpetuò conſentiens ſententia, ſed quibuſdam, ſcilicet Empedocli, (ſaltem quantum ad formas elementorum) Galeno lib. 1. de Elementis, & libro *quòd animi mores ſequantur corporis temperamentum*, aliiſque philoſophis, contrarium viſum eſt.

Verum oppoſita ſententia in fide certa eſt, & ambabus manibus amplectenda, neceſſariò admittendam eſſe formam ſubſtantialem in rerũ natura.

Probatur primò: in rerum natura datur generatio ſubſtantialis, vt omnes cõſentiunt: ergo datur forma ſubſtãtialis quæ per eam generationem producitur: cùm nec materia, nec aliqua alia ſubſtantia aſſignari poſſit, quæ per generationem ſubſtantialem fiat.

Obiicies: aut forma ſubſtantialis quę dicitur per generationẽ produci præexiſtabat in materia aut non: neutrũ dici poteſt: non primum, quia ſic nihil de nouo fieret; ſed ſolùm, quod in materia latitabat, inciperet apparere: non ſecundum, aliàs forma ſubſtantialis crearetur, non autem generaretur, quia creari eſt ex nihilo fieri.

Minor neganda eſt, formæ enim ſubſtantiales reuera non præexiſtunt in materia, vt infrà videbimus, nec tamen dicuntur creari, ſed generari, quia fiunt ex præſuppoſitio ſubiecto, ex quo educũtur; cùm tamẽ creatio ex nullo præiacẽte ſubiecto eſſe debeat.

Probatur ſecundò, eadem formæ ſubſtãtialis: exiſtẽtia ex parte diuerſarum operationum, quæ reperiuntur in rebus naturalibus, diuerſitas illa operationum peti non poteſt à materia, ſiue ſolitariè ſpectata, ſiue vt affecta certis quibuſdam accidentibus, ergo deſumitur ab aliqua forma ſubſtantiali. Conſequentia nota eſt.

Probatur antecedens *quoad priorem partem*, materia eſt tantum paſſiua non actiua, ergo ab ea ſolitariè conſiderata nequit oriri operationum diuerſitas Probatur *quoad poſteriorem partem*, quia cùm materia de ſe ſit indifferens ad omnes formas, etiam accidẽtales, non poſtularet, aut profunderet hæc potiùs quàm illa accidentia, & ſic non magis conueniret homini vis ratiocinandi quàm equo, vel lapidi, quoniam materiæ illius accidẽtia ad ratiocinandũ neceſſaria, non magis intimè competerent, quàm alia, quod tamen valdè abſurdum eſt. Ergo ne quidem à materia certis quibuſdam accidentibus affecta ortum ducere poteſt operationũ diuerſitas, & conſequenter illa erit à forma ſubſtantiali deſumenda.

Tertiò probatur, ſi nulla eſſet forma ſubſtantialis, nulla eſſet ſubſtantialis & eſſentialis diſtinctio inter corpora naturalia, quia per materiam non diſcrepant, vt ſuprà dictum eſt; ſicque homo non diſcreparet ab aſino, quod eſt iniurioſum: ergo datur forma ſubſtantialis.

Obiicies pro Galeno, tẽperies ſufficit, vt res naturalis conſtituatur: ergo fruſtrà ponitur forma ſubſtantialis: antecedens probatur; illud ad conſtitutionẽ rei naturalis ſufficit, quo poſito, vel ſublato, ipſa res naturalis, vel ponitur, vel tollitur: atqui poſita tẽperie, res naturalis in natura ponitur, eadem verò recedẽte, illicò tollitur: ergo ipſa tẽperies ſufficit, vt res naturalis cõſtituatur, proindéque planè videtur ſuperuacanea forma ſubſtantialis.

Negandum eſt antecedens, ad eius probationem reſpondeo negatione minoris: nam poſito riſibili, ponitur homo; & eo ſublato, tollitur: nec tamen ſufficit ad eſſentialem hominis conſtitutionem, ſed debet præterea ad eius eſſentiam pertinere, eiuſque definitionem eſſentialem ingredi, quod de tēperamento reſpectu corporis naturalis dici nequit.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*Vnde ortum habent formæ ſubſtantiales.*

NOn eſt hic ſermo de rationali, cùm enim illa ſit plane ſpiritalis, atque adeò ab omni materiæ concretione libera: ſicut eam à materia ſeparari ac ſeparatam conſeruari poſſe dicimus, ſic nec poſſumus dubitare quin independenter ab ipſa materia producatur.

De formis verò materialibus varia fuit ſententia: prima quorundā Theologorum Apud Albertum magnum in ſecundum ſent. diſt. 1. act. 12. formas omnes à Deo per creationem non ſecus ac animam rationalem produci.

Secunda huic extremæ oppoſita habet, in materia præexiſtere omnes formas ſubſtantiales, ſecundum ſe totas.

Tertia medium tenet locum inter duas præcedentes, quia nec vult eiuſmodi materiales formas, ſecundum ſe totas creari, nec etiam ſecundum ſe totas in materia præ exiſtere generationi: ſed vult ſecundum aliquam partem produci, & ſecundum aliquam, vel, vt aiunt, inchoationem ante generationem in materia exiſtere.

Omnium optima, neceſſariáque ſententia eſt, formas ſubſtantiales materiales educi ex poteſtate materiæ vi agentis naturalis.

Probatur: nemo eſt, qui hæc duo neget, primum da[illegible]onem naturalem, ſecundum generationem naturalem eſſe ad formam naturaliter, ſeu vi naturali producendam: atqui productio illa nequit eſſe ex nihilo ſimpliciter, ſed neceſſariò debet eſſe ex aliquo præſuppoſito ſubiecto, de cuius naturali poteſtate ducatur forma: ergo naturaliter producuntur formæ ſubſtantiales naturales ex præiacente ſubiecto, de cuius naturali potentia educūtur. Quid verò ſit ex materiæ poteſtate educi, ſtatim declarabitur.

Obiicies, pro prima ſententia, non poſſunt formæ ſubſtantiales in materia præexiſtere, alioquin in ea actu penè infinitæ ſibique repugnantes reperirentur: & præterea nulla daretur generatio ſubſtantialis, quæ tendit ad productionem ipſius formę ſubſtantialis in materia: ergo debent formæ eiuſmodi ex nihilo produci: atqui productio ex nihilo, eſt vera creatio, quæ à ſolo Deo peragitur; ergo omnes formæ ſuſtantiales à Deo per creationem producūtur.

Vt huic obiectioni ſatisfiat, notandum eſt duobus modis poſſe intelligi aliquid ex nihilo fieri, primo ex nihilo ſui ipſius, non tamen ex nullo præexiſtente ſubiecto: ſecundò ex nihilo, & ſui, & ſubiecti præiacentis: priori modo productio ex nihilo nihil eſt aliud, quàm eductio ex materiæ potentia, ad quam non immeritò conſtat duas eſſe conditiones neceſſarias: prima vt quod educitur pendeat in fieri, & conſeruari à materia: & ſic anima rationalis, huius conditionis defectu, ex materiæ poteſtate non dicitur educi: quia ſcilicet à materia, de corpore non depēdet in fieri & conſeruari; ſed poteſt fieri ſine materia, & de facto materia à corpore ſeparata conſeruatur: ſecunda, vt illa potentia, ex qua educitur

forma fit r , non verò tantùm obedientialis, alioquin illa eductio nõ fieret naturaliter, quia nullius eſt agẽtis naturalis, ſed ſolius Dei, potentiam rerũ obedientialem ad actũ reuocare. Et ea de cauſa meo iudicio, gratia educi non dicitur de potentia animę ſeu voluntatis: quia eiuſmodi potentia in anima & voluntate ad gratiam recipiẽdam, non eſt naturalis, ſed obedientialis tantùm.

Poſteriori verò modo, productio ex nihilo, eſt vera creatio, quæ actu fit à ſolo Deo, & non habet locum in generatione formarum ſubſtantialium naturalium: ſed tantum prior, quæ reuera eſt naturalis.

Hinc ad propoſitam obiectionem in forma reſp. diſtinctione conſequentiæ: ſi in materia non præexiſtunt formæ ſubſtantiales naturales: ergo producuntur ex nihilo ſui, concedo; quod nõ repugnat generationi naturali: ex nihilo verò ſubiecti, nego, quod ſolum poſſet creationem arguere.

Eodem ferè modo poteris obiicere pro ſecunda ſententia, formas materiales à Deo non creari: ergo in materia præexiſtere, quia aliàs ex nihilo fierent.

Verum facile eſt conſequentiam negare, & quod ad probationem affertur allata diſtinctione ſoluere, formæ fiẽt ex nihilo ſui, concedo; ſubiecti, nego.

Tertiò obiicies pro tertia ſententia, ex Ariſtotele 7. Metaphyſicorum tex. 29. in materia eſt pars aliqua rei faciendæ, id eſt, formę ſubſtantialis, ergo ſecundum partem formæ ſubſtantialis exiſtunt in materia.

Reſpondeo ad antecedens: Ariſtotelem per partem rei faciendę quam in materia eſſe docet, intelligere aptitudinem illam quam habet ipſa materia ad rem illam, ſeu formam ſuſcipiendam, quam non negamus eſſe in materia ante generationẽ ipſiúſque formę aduẽtũ.

Confirmatur hęc reſponſio ſimul tertia illa ſententia refellitur: quia ſi admittat aliquem gradum formæ in materia exiſtentem, patitur eandem difficultatem, propter quam nõ vult admittere communem opinionem: ſi quidẽ cogitur concedere productionem ex nihilo eſſe naturalem, vel nullam formam ſubſtantialem naturaliter fieri: nam de illo gradu, qui dicitur de nouo produci, eadem eſt difficultas ac de tota forma, quę diceretur recenter producta, nec minus erit ex nihilo quàm tota forma.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*Per quid producatur forma ſubſtantialis.*

NOn hîc loquimur de anima rationali, quia cùm ſit ſpiritualis, nulla poteſt actione naturali attingi, & in materia poni, ſed tantùm à Deo creatur, & creata corpori optimè diſpoſito infunditur; quo fit vt agens naturale diſpoſitiones illas producens dicatur animam ipſam aliqua ratione attingere, & de facto compoſitum generale: ſed tantum verba facimus de formis naturalibus, vt ſuperiori articulo. Itaque ſenſus eſt quid ſit illud per quod agens naturale attingit formam naturalem: an ſit ipſamet forma ſubſtantialis, an verò aliqua interpoſita accidentia; verbi gratia cùm ignis generat ignem ex ligno, vtrum ignis ille pręcedens attigerit formã ignis producti per ſuámmet formam ſubſtantialem, an verò per illa intermedia accidentia, quę in ligno produxit, verbi gratia per intermedium calorem, ſiccitatem, leuitatẽ & alia eiuſmodi accidentia.

Scoto & aliis notiſſimis Philoſophis viſum eſt agens naturale per ſuam formam ſubſtantialem, & non per interpoſita accidentia, formam ſubſtantialẽ,

Digitized by Google

quæ per generationem producitur, attingere.

Secũda ſẽtentia huic præcedẽti ex diametro opponitur, aſſerit enim agẽs naturale reuera non attingere per ſe formam ſubſtantialem in generatione, ſed ſola accidentia in eius virtute eã producere.

Porrò vt ea de re planè conſtet: Notandum eſt tribus modis intelligi poſſe agens naturale per ſuam formam ſubſtantialem attingere immediatè productionem formæ ſubſtantialis: aut enim ſenſus eſt formam ſubſtantialem ſola ſua vi, ſine adiunctis accidentibus talẽ productionem attingere: aut eſt ſenſus, formæ ſubſtantialis influxum eſſe neceſſariũ vt alia forma producatur: aut denique ſenſus eſt, formã coniunctim cum ſuis accidentibus immediatè cum illis ad talem productionẽ concurrere, non aliter quàm philoſophi dicunt de cauſa prima concurrente cum cauſis ſecundis, vtramque ſcilicet ad eundem effectum producendum immediatè cõcurrere: quo autem modo dici poſſit agens per ſuam formam ſubſtantialem mediatè attingere productionẽ formæ ſubſtantialis, his patebit propoſitionibus.

*Prima propoſitio.*

AGens naturale, per ſuam formam ſubſtantialem non dicitur attingere immediatè productionẽ formæ ſubſtantialis, ſecundum priorem ſenſum, hoc eſt, ſine concurſu accidentium.

Probatur primò, quia commune eſt, & ab omnibus philoſophis conceſſum, nullam ſubſtantiã agere per ſe ſine accidentibus tanquam inſtrumentis, hóc que eſſe ſoli Deo propriũ: ſecundò, quia Ariſtoteles de ſenſu & ſenſibili cap. 4. expreſsè habet ignem, & terrã non agere, neque pati; ſed tantum quatenus ipſis ineſt cõtrarietas, hoc eſt, quatenus ſunt prædita certis qualitatibus, quibus vel agant, ſuóſque effectus producant, vel illatis iniuriis reſiſtant.

*Secunda propoſitio.*

NOn eſt neceſſe, vt agens naturale, per ſuam formam ſubſtantialẽ, immediatè influat cum accidentibus ad productionem formæ ſubſtantialis, docet Ariſtoteles 2. de ortu, c. 4. vbi habet tertium elementum, verbi gratia, aërem ex corruptione duorum reſultare, cùm elementorum corruptorũ formæ ampliùs non ſint, ac proinde ad producendam tertij illius elemẽti ſubſtantialem formam immediatè concurrere non poſſunt. Idem patet in generationibus viuentium: cùm enim forma ſubſtantialis viuentis generantis, nõ ſit præſens eo tempore quo debet produci forma in materia, ſine dubio ad illius productionem immediatè concurrere non poteſt.

Notandum verò eſt in eo caſu quem ponimus, quòd ſcilicet forma ſubſtantialis agentis abſens ſit, Deum ſpeciali concurſu ſupplere abſentiã cauſæ principalis, & efficere, quod ipſum agens naturale per ſuam formam ſubſtantialem poſſet efficere, ſi adeſſet: proindéque tunc accidentia non producere per ſe, ſeu propria virtute, formam ſubſtãtialem, ſed quatenus ſunt inſtrumenta ipſius principalis agẽtis; nõ quòd à principali agente virtutem aliquam in ſe recipiant, quâ poſteà opera ſua moliãtur, qui cum talis virtus debet eſſe ſubſtantialis, aliàs ab accidentibus iſtis nõ eſſet diſtincta, accidentia poſſent ſuſcipere in ſe virtutem ſubſtantialem, & eſſe illius ſubiecta, quod eſt inauditum; ſed quia ſunt naturalia ipſius agentis inſtrumẽta, producúntque naturales illius effectus, ſiue ipſo concurrente, ſi præſens ſit; ſiue Deo cõcurſum illius ſpeciali quodam concurſu ſupplente, modò ſuperius poſito.

Digitized by Google

Obiicies, illud producit formã ſubſtantialem virtute propria, eiúſque cauſa eſt principalis, ad cuius præſentiã res illa ponitur: atqui ad præſentiam illorum accidentium quæ ab agente naturali in materiam inducuntur, ponitur forma ſubſtantialis: Ergo accidẽtia virtute propria producunt formam ſubſtantialem, eiúſque ſunt cauſa principalis.

Maior neganda eſt: nam reuera cõditiones, *ſine quibus nõ*, vt loquũtur, non ſunt cauſæ rerum quarum ſunt conditiones, nec illas ſua virtute producunt: verbi gratia, approximatio materiæ combuſtibilis ad ignem, quæ eſt conditio ſine qua non fieret calefactio, nõ producit ipſam calefactionem: quanquam ipſæ res ad illarum conditionũ præſentiam ponantur, vt calefactio ad præſentiam ſupradictæ approximationis materiæ ad ignem, & viſio, ad præſentiam applicationis facultatis viſiuæ ad obiectum viſibile.

*Tertia propoſitio.*

Fieri poteſt vt agens naturale, per ſuam formam ſubſtantialem immediatè cum accidentibus concurrat ad productionem formæ ſubſtantialis in alia materia, quando ſcilicet cum illa coniungitur: verbi gratia, ignis per ſuã formam ſubſtantialem, immediatè cõcurrit cum calore, ſiccitate, & aliis accidentibus ab ipſo productis, ad aliam formam ſubſtantialem ignis in materia producendam: eo modo quo prima cauſa dicitur concurrere cum cauſis ſecundis ad ſuos effectus.

Probatur: quando forma ſubſtantialis agentis eſt per ſe immediatè effectui coniuncta, non exerit actionem aliquã quæ præcedat actionem ſuorum accidentium per quam attingitur productio formæ ſubſtantialis: tum quia nulla poteſt aſſignari actio à ſola forma ſubſtantiali, ſine accidentibus: tum quia non poteſt dici quiſnam ſit illius actionis terminus, & quid per illam producatur, cùm non ſit ipſa forma, quippe quæ produci non poſſit ſine actione accidentium: neceſſe igitur eſt, vt forma immediatè, & per eandem actionem, cum accidentibus ſuis concurrat ad productionẽ formæ ſubſtantialis, quãdo eſt illi immediatè coniuncta.

Confirmatur: eodem modo debet forma agentis concurrere ad productionem recentis formæ ſubſtantialis, quo Deus ſupplens eius vices & abſentiam: atqui Deus ſupplendo abſentiam formæ, cum accidentibus immediatè concurrit ad productionem formæ ſubſtantialis ex omnium ſententia, vt infrà patebit, de diuino concurſu cum cauſis ſecundis. Ergo de facto forma ſubſtantialis agentis immediatè concurrit ad productionem recentis formæ ſubſtantialis, cui eſt immediatè coniuncta.

## ARTICVLVS QVARTVS.

*An forma, quæ producitur ab agente naturali, ſit verus generationis terminus.*

Notandum primò terminum generationis propriè dici, qui per generationem fieri intenditur.

Notandum ſecundò, duplicem in ipſa generatione terminum inueniri: alter dicitur, *vt quod*, qui reuera fit, & producitur ex propria intentione naturalis agentis: alter dicitur, *vt quo*, quia ea tantùm intentione producitur, vt aliquid aliud per ipſum producatur. His poſitis, ſit.

*Prima propoſitio.*

Compoſitum naturale eſt ille terminus qui maximè in generatione intenditur,

intenditur, non forma.

Probatur: ille terminus in generatione maximè intenditur, qui producitur perfectior per ipſam generationem, ſed compoſitum eſt aliquid forma perfectius per generationem productum: ergo eſt terminus primò & maximè intentus in ipſa generatione. *Maior conſtat. minor probatur quo ad priorem partem.* Compoſitum naturale præter perfectionem formæ includit aliquam aliam perfectionem ex materia petitam, quæ quidem ex ſupradictis ſpectat ad illius eſſentiam: Ergo cum perfectio perfectioni addita reddat totum perfectius, compoſitum erit aliquid perfectius ipſa forma. *Poſterior etiam pars minoris conſtat*; quia cum Petrus, v. g. generat Paulum, Paulus reuera producitur per ipſam generationem, quippe cùm antea non eſſet, incipit de nouo exiſtere: Ergo compoſitum eſt ille terminus, qui per generationem producitur.

*Secunda propoſitio.*

SI fieri propriè ſumatur, vt dicit tranſitum de non eſſe, ad eſſe, magis propriè fit forma, quàm compoſitum.

Probatur: illud magis tranſit de nõ eſſe, ad eſſe, quod ſecundum ſe totum tranſit, quàm quod ſolùm tranſit ſecũdum aliquam partem: atqui forma per generationem ſecundum ſe totam trãſit de non eſſe ad eſſe, compoſitum verò non item, ſed dumtaxat ſecundum partem, nempe formam; Ergo forma magis tranſit de non eſſe ad eſſe quàm compoſitum, & conſequenter magis fit quatenus fieri idem ſignificat ac tranſire de non eſſe ad eſſe.

*Tertia propoſitio.*

VNica actione producuntur forma & compoſitum: vt hoc explicetur, Notandum eſt, varia eſſe affectionũ genera, quædam enim ſunt tantùm productiuæ, vt ea actio, qua Deus animam rationalem creat, quia vi eius præcisé non vnitur materiæ, ſed vi alterius actionis ab agente naturali productæ: aliæ ſunt tantum vnitiuæ, non productiuæ, vt actiones illæ quibus homines producuntur, per eas enim neutra pars producitur, ſed vtráque ſimul coniungitur. Denique aliæ ſunt actiones ſimul productiuæ, & vnitiuæ, vt actio qua ignis generatur; & de hoc poſtremo actionum genere in hac propoſitione loquimur, contendimus que per eandem numero actionẽ formam materialẽ, ſeu quæ ex potentia materiæ educitur, & compoſitum produci.

Probatur: ex forma producta eáque ſimul materiæ vnita, reſultat compoſitum, quia illud nihil eſt aliud realiter & formaliter præter materiam, & formam vnitas, vt probabimus, ergo actio quæ eſt productiua, & ſimul vnitiua formæ, qualis eſt eductio de qua hîc loquimur vnica ſufficit, vt producantur forma & compoſitum; forma quidem *vt quo*, compoſitum verò, *vt quod*, ſicut antea notauimus.

## QVÆSTIO TERTIA.

*De eſſentia formæ ſubſtantialis.*

ARiſtoteles 2. Phyſ tex. 18. dixit formam ſubſtaiamem *eſſe quidditatis, & eſſentiæ rationem*, non quòd in ea tota ſita ſit compoſiti naturalis eſſentia, ſed quia pars eius eſt potiſſima.

Rectius alij, *forma ſubſtantialis eſt actus ſimplex ſubſtantialis vnum per ſe cum materia conſtituens.*

Conguentior adhuc legi poteſt formæ ſubſtantialis definitio apud Suarẽ 1. tomo Metaph. diſt. 15. ſect. 5. num. 1. *Forma eſt ſubſtantia quædam ſimplex, incompleta, quæ vt actus materiæ conſtituit cum ea eſſentiam compoſitæ ſubſtantiæ.*

Ponit *ſubſtantiam incompletam* tanquam genus ad materiam & formam

ſubſtantialem, eamque hac particula, cum à formis accidentalibus, rùm ab aſſiſtentibus, nimirum intelligentiis, quibus cælos moueri arbitratur, diſtinguit: ſicut per reliquas particulas diſcrimen facit eiuſdem formæ à materia, vt videri poteſt loco citato.

## QVÆSTIO QVARTA.

*De affectionibus formæ ſubſtantialis.*

### ARTICVLVS PRIMVS.

*Vtrum vnica forma poſſit plures numero materias informare.*

*Prima propoſitio.*

SI res ad diuinam potentjam reuocetur, vnica forma poteſt informare plures materias, nedum ſucceſſiuè, qua de re nulla eſt difficultas, verùm etiam ſimul, & ſemel, tum quia virtute diuina poteſt idem numero corpus pluribus locis collocari, vt infrà probabimus, proindéque & eadem forma in diuerſis materiis: cùm maior difficultas in vno non appareat quam in altero: tum quia non repugnat, vt Deus conſeruet animam in capite, & in manu auulſis, & ſeparatis à toto, ideóque verè, nec vlla apparet repugnãtia, cur vna forma non poſſit eſſe in diuerſis materiis, ſaltem vbi res ad extraordinariam Dei poteſtatem reuocatur.

*Secunda propoſitio.*

NAturaliter loquendo non poteſt eadem forma eſſe in duplici, vel multiplici materia: tùm quia naturaliter nequit idem numero corpus in duobus, vel pluribus locis conſtitui, vt fatentur omnes, proindéque, nec eadem forma in diuerſis materiis: tum quia anima non remanet amplius in parte à toto ſeparata, nec alia quidem de cauſa, quàm quia fit continuo alia numero materia, ab ea quam ſolum poteſt informare.

### ARTICVLVS SECVNDVS.

*An plures formæ poſſint eandem numero materiam informare.*

IDem eſt, ac vtrum in eodem compoſito naturali poſſint eſſe plures formæ ſubſtantiales. Hæc difficultas vt enodetur.

Notandum eſt compoſita naturalia eſſe in duplici differentia: alia homogenea, quę vulgò dicuntur conſtare partibus eiuſdem rationis, vt ſunt quatuor elementa, ignis, aër, terra, aqua; quælibet enim pars ignis, v. g. ignis eſt, & ignis vocatur: alia ſunt heterogenea, quę conſtant partibus diuerſę rationis, vt animalia, quæ ex carne, neruis, oſſibus coaleſcunt.

Quod ſpectat ad compoſita homogenea, plærique in his, ſicut etiam in heterogeneis, plures formas ſubſtãtiales admiſerũt, licet illi variis diſtinctiſque modis proceſſerint; nam Auicenna, vt ſuprà diximus, præter formam, quæ per generationem naturalem in materiam inducitur, formam corporeïtatis introducere conatus eſt, quem ibidem acriter reprehendimus.

Alij dixerunt tot eſſe formas ſubſtãtiales, quot gradus eſſentiales: & eſſentialia attributa, v. g. hi ſũt gradus eſſẽtiales in igne, ens, ſubſtantia, corpus inanimatũ ſimplex, elementũ, ignis: tot illi in eo formas ſubſtantiales admiſerunt, quot illi ſunt gradus.

Contraria tamen ſententia longè magis eſt probanda in corporibus homogeneis vnicam eſſe formam, & non tot quot ſunt gradus eſſentiales.

Probatur: ignis, v. g. (quod iudicium idem eſto de reliquis corporibus homogeneis) per vnicam ſuam formam, & materiam, omnes iſtos gradus eſſentiales includit, quod ſit Ens, quod ſit corpus, elementum, & tale elementum, nimirum ignis: à materia quidem, & forma ſimul, quod ſit Ens, ſubſtantia, corpus; ſed ſpecialiter à

Digitized by Google

forma, quod ſit tale corpus, nimirum ignis: ergo non ſunt tot admittendæ formæ ſubſtãtiales in cõpoſito homogeneo, quot ſũt grad' eſſentiales, & eſſentialia attributa, ſed vnica ſufficit.

Confirmatur: omnes illi gradus eſſentiales, qui admittuntur in corporibus homogeneis, ſunt in ipſis idem realiter, ſolúmque formaliter diſtinguuntur, ex probabiliori ſententia. Ergo nequeunt totidem formas arguere, cùm formæ debeant eſſe re ab ſe diſtinctæ.

Quod verò attinet ad compoſita heterogenea, maior de illis difficultas exiſtit, primúmque, (quod ſupra de homogeneis quæſiuimus) diſputari poteſt, an tot admittant in ſe formas ſubſtantiales, quot gradus eſſentiales. Secundò, an quot ſunt partes heterogeneæ, tot ſint formæ partiales, quæ ſe habeant tanquam diſpoſitiones ad totalem formam ipſius compoſiti.

Quod ad primum ſpectat, præter illos, qui generaliter in quocunque compoſito naturali, ſiue homogeneo, ſiue heterogeneo, tot admiſerunt formas ſubſtantiales, quot ſunt illi gradus eſſentiales: alij peculiariter docuerunt in viuente, quod eſt propriè heterogeneum, tot reperiri formas ſubſtantiales, quot ſũt animarũm gradus, & ſic in plantis vnam eſſe, eámque vegetantem, duas in brutis, vegetantem, & ſentientem: tres denique in hominibus, vegetantem ſentientem, & rationalem.

Melior tamen eſt contraria ſententia, negans in eiuſmodi corporibus heterogeneis animatis, tot dari formas ſubſtantiales, quot ſunt animæ gradus.

Probatur, quia ſi in homine, verbi gratia, (idem de allis animalibus proportione dici poteſt) tres illæ animæ, ac formæ ſubſtantiales admitterentur, vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis; cùm ad rationem compoſiti per ſe omninò exigatur, vt fiat ex vna potentia nempe materia, & ex vno actu, ſeu forma ſubſtantiali: hæ huius duæ partes vt ſolę conferunt eſſentiam, ita & vnitatem, ſequeretur hominem non eſſe aliquid per ſe vnum, quod omnibus aduerſatur.

Confirmatur: etenim ſi homo aliquis, verbi gratia Petrus, tres illas animas vegetantem, ſentientem, & rationalem inter ſe dinſtinctas obtineret, poſſet Deus, ſublatis duabus poſterioribus, in illo ſolam primam conſeruare: quo poſito, quęri poſſet, num Petrus ſub viuente conſtitueretur, néc ne: ſi prius, ergo vel tanquam ſpecies, vel tanquam indiuiduum; non tanquam ſpecies, vt notum eſt, quia illa aſſignari nequit; non etiam tanquam indiuiduum, quia dici nequit ſub qua ſpecie contineatur; non ſub ſpecie plantæ, quoniam ſupponitur homo; non etiam ſub animalibus, ſiue ratione præditis, ſiuè deſtitutis, quia eos gradus non includit, quibus animalia tam rationalia, quàm irrationalia conſtituuntur, nempe ſenſitiuum, & rationale: ergo nullius erit ſpeciei viuentis, & eſt poſterius membrum primi dilemmatis, quod tamen videtur omnino abſurdum, cùm ſupponatur habere primam illam animam nempe vegetantem, quę formaliter vitæ gradum includit: Ergo tres illæ animæ vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis in homine admitti nequeũt.

Denique idem alcum per vnicam ſuam albedinẽ habet quod ſit quale coloratum, & album, & non per tot formas, quot ſũt graduseſſẽtiales, quos participat: Ergo poterit etiam idem homo, v. g. Petrus, per vnicam ſuam animam hos omnes gradus eſſentiales



Digitized by Google

vegetandi, ſentiendi, & ratiocinandi obtinere: adeóque omninò fruſtra diuerſæ in eo formę ſubſtantiales conſtituentur.

Obijcies, vegetare arguit animam vegetantem: ſentire, ſentientem, & ratiocinari, rationalem; quæ omnes ita ſunt diſtinctæ, vt vna non poſſit eſſe alia: quia anima vegetatiua formaliter conſtituit plantam, proindeque in alijs animabus ſenſitiua, & rationali, includi nullo modo poteſt: aliàs bruta & homines eſſent formaliter plantę, quod pluſquàm abſurdum eſt. Senſitiua quoque formalitèr conſtituit brutum, atque adeo non poteſt in rationali contineri, aliàs homo eſſet formaliter brutum, quod penitus à veritate eſt alienum: ergo quilibet animæ gradus ſuam animam arguit, & tres ſimul gradus, tres animas.

Huic obiectioni nonnulli reſpondent reuera ignobiliorem animam, v. g. vegetantem, non includi in aliis nobilioribus, putà ſenſitiua, & rationali; nec ſenſitiuam in rationali, vt conuincit obiectio: vnicam tamẽ eſſe tam in brutis quàm in hominibus animam, quæ licet formaliter gradum vnicum includat, verbi gratia anima humana gradum ratiocinandi, alios tamen eminenter, ac virtute, vt radius ſolis calorem continet.

Alia eſt ſolutio, quam lubentiùs ſequimur, in bruto, vel homine, vnicam duntaxat eſſe animam, quæ tamen gradus ignobiliores, & (vt loquuntur) inferiores in ſuo formali conceptu ſeu eſſentia coërceat. Ad maiorem huius ſolutionis illuſtrationem.

Notandum eſt, gradum ipſum vegetatiuum poſſe accipi dupliciter, primò genericè & abſtrahendo: ſecundò ſpecificè, ac determinatè. Priori modo gradus vegetatiuus dicit tantum principium vitæ, abſtrahendo ab inferioribus modis, & diſtinctis rationibus quibus determinatur ad vitam plantæ, vitam animalis, & vitam hominis. Senſitiuus item; hoc pacto includit tantum principium ſentiendi præcidendo ab his peculiaribus modis quos habet in brutis animalibus & hominibus: ſicque tam gradus vegetatiuus includitur in anima ſentiente, & rationali, quàm ſenſitiuus in rationali éſtque aliquid commune omnibus plané viuentibus, ſiue inſenſibilibus; ſiue ſenſu præditis, rationalibus, aut ratione deſtitutis illis ſynonymé conueniens: quia ſicut viuentia inſenbilia, nempé plantæ, per ſuam animam vegetantem, & homines per rationalem formaliter & eſſentialiter viuunt, & vegetant: item ſicut animalia formaliter, & eſſentialiter ſentiunt per ſuam animam ſenſitiuam, ſic etiam homines per ſuam animam rationalem obtinent internum ſentiendi principium.

Si verò gradus vegetatiuus & ſenſitiuus poſteriori modo accipiatur, fateor vegetatiuum non includi in aliis nobilioribus, ſẽſitiuo videlicet & rationali; nec ſẽſitiuũ in rationali: quia ſic dicunt aliquos modos quibuſdã rebus proprios, & aliis minimẽ cõuenientes: vegetatiuus quidẽ modũ inſẽſibiliter vegetandi, qui neque in ſenſitiuo gradu, neque in rationali includitur, ſẽſitiuꝰ quoque nõ ſolũ dicit principium ſẽſus abſoluté, ſed quatenus coniunctum cũ illo particulari modo, quo bruta animalia ſentiũt, & eo pacto liquidô conſtat in gradu ratiocinandi non contineri.

Cæterum ita factum eſt propter ignorantiam propriarum differentiarũ quibus plantæ, & bruta conſtituuntur, atque etiã ob vocabulorũ penuriã, vt vegetãdi gradus in plãtis ſimpliciter

Digitized by Google

nomine ſui generis dicatur vegetatiuus, ſenſitiuus quoque in brutis, ſimpliciter & abſolutè ſenſitiuus, quæ omnia non eo modo facta ſunt, quaſi plãta ſupra genericum gradum vegetandi, & bruta ſupra genericum ſentiendi, nihil ſuperaddant. Sed quia illud ſuperadditum nobis ignotum eſt, & hinc facilè tollitur propoſita obiectionis difficultas, ſolũ enim probat gradum vegetatiuum, hoc poſteriori modo ſumptum, itémque ſenſitiuum non contineri in nobilioribus, quod verum eſt, ſed non priori modo.

Quod ſpectat ad alteram difficultatem de compoſitis naturalibus, heterogeneis an tot admittant formas ſubſtantiales, quot ſunt in illis partes diſſimilares, & diuerſæ rationis, affirmant nonnulli: ſed rectius cæteri negant.

Probatur primò: etenim, ſi in ipſis partibus diſſimilaribus partiales formæ ſubſtantiales admitterentur, quando totalis illis partialib⁹ adiungitur, faceret aggregatum per accidens, & non viuens vnum per ſe: quod iam ſuprà abſurdum eſſe oſtendimus.

Secundò: vna anima, verbi gratia rationalis, ad omnes illas partes informandas ſufficit; cũ per ſe ordinetur ad conſtituendum compoſitum, quòd minimè conſurgit, niſi ex partibus ſuis adæquatè ſumptis: ergò præter illam in homine fruſtra aliæ formæ partiales diſſimilarium requiruntur, eadem eſt ratio reliquorum corporum heterogeneorum.

Obiicitur primò: Compoſitum heterogeneum illud dicitur quod conſtat partibus diſſimilaribus, ſeu diuerſæ rationis: ergo in illis partibus debent eſſe diuerſæ formæ ſubſtantiales, quæ eam diuerſitatem inducant.

Reſpondeo negando conſequentiam: diuerſa enim ratio illa, quæ debet eſſe in partibus compoſiti heterogenei, eſt tantum accidentaria: vt quod vna ſit altera durior, frigidior, & ſic de cæteris, non verò eſſentialis: ideóque non arguit diuerſitatem formæ ſubſtantialis.

Secundò obiicitur, ſi in carne (& idẽ proponi poteſt de aliis partibus) non eſſet aliqua alia forma peculiaris diſtincta à forma totius, vbi pars aliqua eſſet à toto ſeparata, numquam ipſi toti reuniri totalique anima iterum informari poſſet, quia ex vulgato axiomate, à priuatione ad habitum non datur regreſſus, atqui hoc experientiæ repugnat; tùm quia multi experti ſunt eandem carnem à toto præciſam, eidẽ fuiſſe mediis quibuſdam medicamentis reunitam: tùm quia poſſet aliquis carnẽ illam ſuam ſic ſeparatam comedere, ac proinde in ſuam ſubſtantiam conuertere. Itaque in carne, ſicut etiam in aliis partibus diſſimilaribus totius compoſiti heterogenei reperitur aliqua forma partialis diſtincta à forma totali.

Reſpondeo, negando conſequentiã maioris; Ad axioma verò illud quod in confirmationem affertur, à priuatione ad habitum non datur regreſſus, dico iſtud tantùm eſſe verum de priuatione totius ad ipſum totum: falſum tamen eſſe, ſi ſermo ſit de priuatione tantùm alicuius partis, quia in ipſo toto remanet adhuc virtus ſufficiens ad partem illam producendam, ſibíque reuniendam, vt probant ſatis confirmationes allatæ.

Vltimò obiicitur, partes illæ diſſimilares compoſiti heterogenei ſunt inter ſe ſeiunctæ, & ſegregatæ, vt docet Galenus libro de Anatomicis adminiſtrationibus: Ergo vnâ formâ informari nequeunt, ſed multiplici.

Reſpondeo, negando antecedens: Quicquid ſit de mente Galeni, partes

## QVESTIO PRIMA.

### *De natura definitione.*

HÆc eſt, naturæ definitio ab Ariſtotele tradita 2. Phyſicorum cap. 1. *Natura eſt principium & cauſa vt id moueatur in quo eſt primò, per ſe, & non ex accidenti.* Vel clarius: *Natura eſt principium & cauſa motus, & quietis, in eo in quo eſt primò, per ſe, & non per accidens.*

*Principium & cauſa*, generis partes tenent, & per poſteriorem particulam, cauſa, vera natura, quæ ſcilicet materiam & formam complectitur, à priuatione ſeparatur, quæ licet ſit alicuius mutationis, ſcilicet generationis principium, nullius tamen cauſa eſt, vt iam ſupra monuimus.

Secundò adiungitur in hac definitione, *motus & quietis*, quod vt intelligatur.

Notandum eſt, nomen motus hîc non eſſe ita latè ſumendum, vt quemcunque motũ, ſiue Phyſicum, ſiue nõ Phyſicum comprehendat, nec etiam ita ſtrictè vt ſolum localem in ambitu ſuo coërceat; ſeu medio quodam modo, prout complectitur omnem & ſolum Phyſicum motum, ſiuè ſucceſſiuum, vt lationem, accretionem, decretionem, & alterationem, ſiue inſtantaneum, vt generationem, & corruptionem. Hinc cùm audis naturam eſſe principium motus, & quietis; ſtatim intelligis illam aperto diſcrimine ab Angelis ſeparari: quia licet motum aliquem, putà localem ſubire queant; nullius tamen Phyſici motus habent internum principium, vt magis declarabitur infrà, agendo de motu.

Porrò grauis oritur cõtẽtio circa eãdẽ particulam *motus & quietis*, an motus, & quies diſtributiuè ſumi debeant, vt ſit ſenſus, naturam eſſe principium motus vel quietis; an verò collectiuè: vt ſenſus ſit, naturam eſſe principium motus, & quietis ſimul. Aliis prior explicatiò placet, quia, ſic inquiunt, naturæ definitio omni definito ſeu habenti naturam conuenit: nihil enim eſt naturæ particeps, quod ſaltem motus vel quietis non habeat principium, cùm tamen contrarium eueniat, ſi motus & quies conglobatim accipiantur, quoniam multis ineſt natura, quæ tamen motus & quietis ſimul capacia non sũt vt in cœlis & terra patet, quorum illi ita irrequietâ vertigine aguntur, vt numquam ſine miraculo quieturi ſint: hæc verò ita in mundi centro ſuis firmatur ac libratur ponderibus, vt ad motum ſuoptè ingenio inclinari non poſſint.

Hæc primo intuitu ſatis videntur probabilia; de facto tamen veriſimilia non ſunt. Quapropter illis non obſtãtibus poſteriorem huius particulæ *motus & quietis* explicationem retinemus, aſſerimúſque motum & quietem in hac definitione aggregatim ſumi debere, vt natura dicatur principiũ motus & quietis: proindéque, (vt inſtantiis de cœlo & terra ſatisfiat) tàm cœlis quàm terræ in eſſe principium motus, & quietis: cœlos verò per accidens non quieſcere, quia propter bonum totius vniuerſitatis, à ſupremo naturæ opifice Deo optim. max. ad perpetuum motum deſtinati ſunt: terram verò licet ratione totius ſuæ molis, nullo motu agitetur, attamen ratione ſuarum partium moueri, immò, & ipſam totam naturali inclinatione centrum eſſe petituram, ſi contingeret vt ab ea auelleretur extraheretúrque ſuperius.

Si obiicias per accidens eſſe terræ quod extrahatur è mundi cẽtro, & ſuperiùs euehatur: proindéque etiam per accidens eſſe quod tunc moueatur vt naturalem ſedem recuperet.

Digitized by Google

Reſpondendum erit, ſicut per accidens eſt terræ quòd diuellatur è mundi centro, ſic etiam per accidens eſt quòd actu per motum ad illud redeat; per ſe tamen habere principium illius motus quo ad ſuum locum regreditur; ſicut per accidens quidem eſt lapidi quòd ad cacumen alicuius turris deferatur, ibique appendatur, ita actu per motum deorſum recidat: per ſe tamen habet internum principium illius motus quo ſe ad terram, tanquam ad primum locum defert.

Obiicitur, ſi natura ſit principium quietis, vel eſt quietis in termino à quo motus incipit, vt reſpectu lapidis in alto; vel quietis in termino ad quem tendit, vt comparatione eiuſdem lapidis in centro, ad quod per motum deſcendit, vel denique quietis in vtroque termino. Duo priora non poſſunt dici, quia ſaltem materia, vt eſt indifferens ad omnes formas, ſic etiam eſt indifferens ad omnem motum, omnémque quietem, & æquè ſuaptè natura poteſt quieſcere in *termino à quo*, verbi gratia, in ſublimi, ac in *termino ad quem*, puta in centro. Quòd ſi dicatur poſtremum hoc abſurdum, conſequitur quod natura ad oppoſita feratur, nimirum ad quietem *in termino à quo*, & quietem, *in termino ad quem*. Nullo itaque iure natura videtur eſſe principium motus & quietis.

Reſpondeo ad maiorem: Quantum eſt de materia ipſam eſſe principium quietis in vtroque termino, *à quo, & ad quem*: quia, vt ibi dictum eſt, ex ſe, ad omnem quietem indifferens eſt, ſicut & ad omnem formam: quantum verò eſt de forma, dico ipſam eſſe principium ſolius quietis in termino ad quem, verbi gratia, formam lapidis eſſe principium ſolius quietis in centro ad quod tendit, non autem quietis in termino à quo, vt potè in ſublimi: cùm in eo violenter detineatur lapis, ſaltem ratione ſuæ formæ, non autem naturaliter quieſcat.

*Digreſſio moralis pro contemptu vitæ & deſiderio beatitudinis.*

EX hac doctrina alia conſequitur magis moralis & valdè congrua. Natura (vt diximus) eſt principium tantùm quietis in termino *ad quem*, non *à quo*: hic moraliter philoſophandum eſt: terminus à quo hominis eſt terra, terminus ad quem, cœlum: teſtis Ariſtoteles qui hominem ait eſſe arborem inuerſam habentem radices in capite verſus cœlum extenſas, & ramos in pedibus verſus terram decliues: certum eſt autem radices verſus centrum tendere: Teſtis illa hominis conſtitutio, quâ vultum ſemper ad cœlum vertit, quaſi ſuum ſemper centrum reſpiciat, iuxta illud Poëtæ:

*Os homini ſublime dedit, cœlúmque tueri*
*Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.*

Quapropter non eſt homini quærenda quies in terra, ſed in cœlo tantùm expectanda. Moueri debet in terra, quia & in hac præſenti vita eſt terminus à quo, vt quiete potiatur in cœlo, quod eſt terminus ad quem. Laborandum eſſe in terra & hac vita probant illa beati Iob 7. cap. *vita hominis militia eſt ſuper terram*: verba Diui. Auguſt. in Manuali cap. 8. *vita laborioſa, vita corruptibilis, vita omni amaritudine plena*: & quibuſdam lineis interiectis, *vita quam humores tumidant, dolores extenuant, triſtitia conſumunt, ſolicitudo coarctat, ſecuritas hebetat, diuitiæ iactant, paupertas deiicit, iuuentus extollit, infirmitas frangit, mœror deprimit, diabolus inſidiatur, mundus adulatur, caro delectatur, totus homo conturbatur.* Quieſcendum verò in cœlo docet idem regius Pſaltes Pſalmo quarto, *In pace in idipſum dormiam & requieſcam*, docet D. Auguſtinus in Manuali capite 7. *vbi*, inquit, *gaudium*

*ſine*

*ſine mœrore, requies ſine labore, dignitas ſine tremore, opes ſine admiſſione, ſanitas ſine languore, abundantia, ſine defectione, beatitudo ſine calamitate*, Simul verò laborandum in hac vita terrena, & in cœlo quieſcendum, teſtantur illa præclariſſima eiuſdem Auguſtini verba: *Irrequietum eſt cor noſtrum* (vides laborem; ) *donec*, (vides tẽpꝰ laboris nẽpe huiꝰ vitæ) *requieſcat* (vides quietẽ) *in te* (vides in quo quies fit) nẽpe in Dei poſſeſſione, quę habetur in cœlo. Hoc etiam demonſtrat illa naturę conſtitutio quam benè Aſtrologi obſeruarunt. Quidquid infra cælum Empyreum eſt, rotundum eſt, ſolum cœlum Empyreum beatorum patria & terminus ad quem hominum, quadratum eſt: cur ita? hoc carere myſterio non poteſt: figura circularis & globorum, agitationis & laboris ſymbolum eſt; quia globus facilè agitatur & difficilè quieſcit; è contra quadratum firmitatis, & quietis, quia in quamcumque partem proiiciatur ſemper firmum manet, vt ait Ariſt. 1. Eth. ideóque etiam à D. Ioan. Apoc. 2. 1. fundamenta cœleſtis Hieruſalem in cœlo quadrata eſſe perhibentur, & ciuitas in quadro poſita eſt. Itaque Empyreum cœlum quadratum, & alia omnia, ipſa etiam terra rotunda, vt homines intelligant ſe perpetuo in motu, labore & agitatione verſaturos, donec ad illud cœlum Empyreum peruenerint in eo æternum quieturi: hæc concionatorio more dicta ſunt: iam ad propoſitum redeamus.

Tertia particula definitionis fuit, *eius in quo eſt*: ad differentiam illarum cauſarum externarum, quæ motum aliquem efficiunt in aliquo externo vt ignis in aqua, quam calefacit; & cœlum in igne elementari, quem rapit.

Quarta particula eſt: *Primum*, quam ſi velis coniungere cum duabus prioribus definitionis particulis: *Principium, & cauſa motus*. dices *naturam eſſe primum principium, & cauſam motus, & quietis*: & ſic remouebis accidentia quæ prima non ſunt, ſed tantum ſecũdaria motus principia: quippè quæ sũt inſtrumenta quibus vtitur primarium agens, nimirum natura, ad opera ſua fœliciter exequenda: vel ſi velis eandem particulam *primùm* coniungere cum hac particula immediaté præcedenti *in eo in quo eſt*, ſenſum efficies, *natura eſt principium motus & quietis, in eo in quo eſt primum*: ſeu, in quo ita eſt, vt ea nihil priùs intelligatur: & ſic à definitione naturę ſupradicta, accidentia pariter excludes, quę non ſunt in ſubiectis tanquam aliquid primum, quo nihil priùs concipiatur, ſed naturam ipſam præſupponunt per quam ſubiectum in ſuo eſſe concipiatur.

Quinta particula eſt, *per ſe*, id eſt, quatenus tale eſt, vt natura diſtinguatur ab operibus artificioſis, quæ licet habeant principium motus alicuius, vt ſtatua marmorea principium motus deorſum, illa tamen non eſt tale principium conueniens, quatenus talia sũt ſeu quatenus ſunt opera artificioſa: ſed quatenus natura conſtant.

Vltima particula eſt, *non ex accidenti* ad diſtinctionem eârum artium quæ ex accidenti ſunt principium motuum eorum in quo ſunt; vt ars medendi dicitur principium recuperandæ ſanitatis in medico, in quo reſidet: per accidens enim ad talem artem, vt medicus per eã ſanetur, qui eã callet: reiiciũtur itẽ per eãdẽ particulã accidnetia, quæ quidẽ non ſunt in ſubiectis ſe, ſed per accidens, vt per manifeſtum eſt.

## QVÆSTIO SECVNDA

*Quibus competat allata naturæ definitio*

Diſtrahuntur hac in parte Philoſophi, quia alij aſſerunt naturæ de-



Digitized by Google

finitionem ſoli competere formæ, quæ eſt principium actiuum motus & quietis: & ſic principium quod tenet locū generis in definitione naturæ, de actiuo interpretantur. Alij è contrario in hoc ſunt errore, vt arbitretur ſolam materiam, quæ eſt paſſiuum motus principium ſupradictæ naturæ definitione comprehendi: Et ſic particulam illam *principium* in tali definitione exponunt.

Melius & conſultius erit cum reliquis omnibus Philoſophis aſſerere, formę ſimul, & materiæ, naturæ definitionẽm competere.

Quòd formę conueniat perſpicuè colligitur ex Ariſtotele 2. Phyſicorum cap 2. vbi in hoc diſcriminat naturalia, ab arte factis; quòd illa habeant principia ſuorum motuum, hæc verò minimè :quo loco nō poteſt intelligi niſi principium actiuum: paſſiuum enim, nempe materia, eſt etiam in rebus arte factis.

Accedit ratio. Cauſa propter quam principium paſſiuum, nempe materia, obtinet rationem naturæ, eſt, quia reuera eſt quid primum in compoſito naturali, ad eius eſſentiam pertinens, à quo habet vt naturaliter motum ſubire poſſit:atqui pariter principium actiuum, ſcilicet forma, eſt aliquid primum in compoſito naturali illud eſsētialiter cōſtituens, à quo habet, vt actiuè concurrat ad motum: Ergo principium actiuum, putà forma, non minus eſt natura, quàm paſſiuum, videlicet materia, quod tamen poſterius volunt aduerſarij.

Occurres, principium paſſiuum ideò eſſe naturam, quia internum eſt; actiuum verò non eſſe naturam, quia eſt externum: cauſa enim efficiens & actiua eſt extrinſeca, vt dictum eſt.

Reſpondeo, ad perfectam rationem naturæ ſufficere, quod ſit internum compoſiti naturalis in quo eſt principium, atque adeò formam perfectam naturam eſſe: quia licet ſit aliquid extrinſecū reſpectu motus, quem actiuè, & efficienter producit, nihilominus eſt aliquid intrinſecum, reſpectu totius compoſiti naturalis, & eius eſſentiam ingreditur.

Quod verò etiā materiæ conueniat ipſa naturæ definitio expreſſé ſumitur ex 2. Phyſicorum c. 1. vbi docet Ariſtoteles non tantùm formam, ſed etiam materiam eſſe naturam.

Ratio fauet; ſine materia nullus fit motus phyſicus & naturalis: vt concedunt omnes: ergo materia eſt principium motus, proindéque natura.

Dices, ergo omnis motus eſt naturalis, & nullus violentus.

Reſpondeo admittendo conſeq. de motu reſpectu materiæ: negando verò de motu reſpectu formæ, quo ſupra iam expoſuimus.

Peculiariter nonnulli quærunt de anima rationali, an ipſi competat naturæ definitio, ſed immeritò; cùm enim anima rationalis, etiam ſecundùm ipſos, ſit vera forma ſubſtantialis hominis, non minus natura haberi debet, quàm alia quæuis forma ſubſtantialis.

## QVÆSTIO TERTIA.

*Vtrum natura dicatur eſſe principium cuiuslibet motus, & cuius?*

Hic ſermo tantum eſt de forma, an ſit principium cuiuſcūque motus, cùm ex dictis omnis motus ſit materię naturalis. Ad huius quæſtionis explicationem.

Notandum primò, motum hic multiplicem aſſignari: Primus eſt generationis, qui dicitur, tranſitus à non eſſe ſubſtantialis ad eſſe ſubſtantiale, vt à non eſſe hominis, ad eſſe hominis. Secundus eſt corruptionis ab eſſe ſubſtā-

tiali ad non eſſe ſubſtantiale vt ab eſſe hominis, ad non eſſe hominis. Tertius eſt alterationis, per quem aliqua qualitas, putà calor, acquiritur. Quartus accretionis, quo noua quantitas aduenit. Quintus decretionis, quo quantitas deperditur. Poſtremus eſt localis, quo quis ab vno loco ad aliũ progreditur.

Notandum prætereà, alterationem eſſe duplicem: alteram perfectiuam, alteram corruptiuã. Prior eſt qua acquiritur qualitas ſubiectum perficiens, vt ea quâ producitur frigus in aqua quã perficit, & cui eſt connaturale. Poſterior alteratio eſt ea quâ producitur qualitas inimica ſubiecto, illiúſque naturalẽ ſtatũ perimẽs, vt ea quâ producitur calor in eadẽ aqua, cui repugnat, & aduerſari⁹ eſt His ita notatis, ſit.

*Prima propoſitio.*

FOrma non eſt principium ſuæ generationis.

Probatur, forma per generationem producitur: Ergo illius principium eſſe nequit, cùm principium generationis ipſam generationẽ debeat præcedere.

*Secunda propoſitio.*

FOrma nõ eſt principiũ ſuæ corruptionis, nec alterationis corruptiuæ.

Probatur ex moralibus, res qualibet naturali inclinatione bonum propriámque perfectionem expetit: Ergo forma nequit eſſe principium, aut ſuæ corruptionis, aut ſuæ alterationis corruptiuæ.

Nec valet quod de animalibus affertur, quæ quotidie intereunt, etiamſi nulla eis extrinſecùs inferatur iniuria, quod videtur arguere formam in illis talis interitus, aut corruptionis eſſe principium: non inquam hoc valet, ſi quidem interitus eiuſmodi animalium non in proprias ipſorum formas, ſed in varias qualitates ſe mutuò perimẽtes, & temperiem requiſitam ad animalis conſeruationem deſtruentes, referendus eſt.

*Tertia propoſitio.*

FOrma eſt principium actiuum alterationis perfectiuæ rei, in qua eſt.

Probatur, ſpectat ad naturæ prouidẽtiã ea ſingulis rebus ſuppeditare, qui b⁹ naturalẽ ſuã perfectionem adipiſci valeant: Ergo dare debuit cuilibet rei aliquod principium actiuum ſuæ alterationis perfectiuæ, cũ per eam naturalis perfectio rei acquiratur.

Hinc inferes aquam naturaliter, & vi ſuæ formæ ſeſe ad priſtinum frigus reducere, poſtquam ſemotus eſt ignis, à quo fuerat calefacta, quia talis reductio eſt vera alteratio perfectiua: alteratio, quidem, quia eſt mutatio ab vna qualitate ad aliam, à calore aquæ inexiſtẽte, ad frigus quod redit, perfectiua verò, quod qualitas illa, nimirum frigus, quæ recẽter acquiritur, ſit naturalis aquæ perfectio, vt iam dictũ eſt.

Neque audiẽdi ſũt illi, qui aſſerunt hãc aquæ reductionẽ ad frigus, fieri vi quarũdã minimarũ frigoris particularũ in aqua remanentiũ, tũ quia gratis finguntur illæ frigoris particulæ in aqua calida ebulliẽte, pugnãtque cõtra experiẽtiã: tum quia non poſſet exiguis illis frigoris particulis tãta virtus ineſſe, vt caloris totam feré aquã occupãtis actiuitatẽ retũderet, ipſũque calorem eiiceret.

*Quarta propoſitio.*

REum animatarum forma, ſcilicet anima, eſt actiuum principium accretionis.

Probatur, in hoc tantùm diſtinguitur rei viuẽtis, & animatæ, v.g. Petri accretio, ab accretione rei inanimatæ, putà lapidis; quod illa fiat ab intrinſeco principio, ſcilicet anima, & per ſuſceptũ intus alimentum, quod in rei viuentis ſubſtantiam conuertitur: hæc verò ab

F 2

hęc verò ab extrinſeco,& per appoſitionem partis materiæ,ad aliam partem: Ergo rerum animatarũ forma, nempe anima, eſt actiuum principium accretionis.

*Quinta propoſitio.*

IN rebus animatis anima eſt actiuum localis motus principium.

Probatur, res viuens, & animata intrinſecè habet, vt localiter moueri poſſit: Ergo in illa aſſignandum eſt aliquod actiuum talis motus principium illúdque internum, quod aliud à forma eſſe non poteſt: an verò idem ſit iudicium de rebus inanimatis, verbi gratia de lapide, & igne deorſum deſcédente & ſurſum aſcendente, aliiſque rebus inanimatis, vertitur in controuerſiam, quia alij dicunt à generante moueri, ad quos videtur accedere Ariſt. 8. Phyſ. tex. 26. 28. & ſequent. alij à forma principaliter quod ſanè nobis videtur probabilius: ſed quia hoc eget accuratiori examine, & reuera pendet à cognitione motus, cóſultius erit illud reuocare ad ampliſſimam illam, quam infrà inſtituemus, de motu diſputationem.

## SECTIO QVARTA.

*De affectionibus naturæ.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*De diſtinctione totalis naturæ à partialibus, ſeu quomodo totum dinſtinguatur à ſuis partibus.*

CErtum eſt comppſitum eſſe quidpiam ex natura rei diſtinctũ à partibus ſuis diſtributiuè ſumptis,non tamen propriè realiter.

Prior pars patet tũc vera intercedit diſtinctio ex natura rei,quádo duo ita ſe habent, vt aliquid reale eſſentialiter in vno includatur, quod non includatur in altero: atqui totum & partes ſigillatim ſumptę eo modo ſe habent, quia compoſitum dicit vtramque partem, nulla verò diſtributiuè ſúpta vtrámque complectitur. Ergo totum,& partes diſtributiuè ſumptæ, ex natura rei ſecernuntur.

Poſterior quoque pars probatur, ad diſtinctionem realem propriè dictam requiritur, vt extrema mutuò ſeparari poſſint, ſaltem per diuinam potentiam, vt in Metaphyſ. ſuo loco docebimus: atqui non ita ſe habent compoſitum, & eius partes ſumptæ, quia hæ ab illo toto compoſito permanente ſeparari non poſſunt, vt ſatis ab omnibus intelligitur: Ergo totum, & partes ſigillatim acceptæ, propriè realiter non differunt.

Maior eſt difficultas, ſi totum cum partibus ſimul vnitis conferatur, qua ratione ab illis differat, ſtatuunt nonnulli diſtinctionem realem, vt Scotus in 4. ſenten. diſt. 3. Herueus quodlibeto 2. quęſt. 24. & alij recentiores.

Probabilior tamen, & communior eſt contraria ſententia, quę noſtra eſt, totum re ipſa non diſtingui à partibus ſimul vnitis.

Probatur hoc firmiſſimo argumento: illa nullo pacto realiter, aut etiam ex natura rei diſtinguuntur, quorum principia conſtitutiua eſſentialia, nullo pacto ſunt realiter, aut ex natura diſtincta: (Principium enim conſtitutiuum idem eſt ac diſtinctiuum:) atqui totius, & partium ſimul vnitarum conſtitutiua eſſentialia nulla pacto ſunt realiter, aut ex natura rei diſtincta: Ergo nec totum, & partes ſimul ſumptæ realiter, aut ex natura rei diſtinguuntur.

Probatur minor. Conſtitutiua realiter, & ex natura rei diſtincta, vel à ſe mutuò præſcindunt, ita vt neutrum in altero includatur, vt ſunt conſtitutiua ſubſtantiæ, vt ſubſtantia eſt; & accidentis vt accidens eſt,

444

eſt, quoniam nullum eſt in alio: vel vnum tantùm præſcindit ab alio, ita vt in illo non comprehendatur; non tamen è conuerſo, vt animal, & homo: animal enim præſcindit ab homine, quia non includit eius differentiam, putà rationale: homo verò non præſcindit ab animali, quia ipſũ animal intrinſecè, & eſſentialiter continet: atqui conſtitutiua totius, & partium ſimul vnitarum neutro modo præſcindunt: non quidem priori, quia certum eſt partes vnitas in toto includi, proindéque totum ipſum ab illis non præſcindere: neque etiam poſteriori, quia totum, & partes vnitæ, ita ſibi per omnia coæquãtur, vt in partibus ſimul ſumptis nihil ſit, quod non ſit in toto compoſito, nec aliquid ſit in toto compoſito, quod non ſit in partibus vnitis: aut certè illud aſſignatur, quod eſt impoſſibile: quia vel erit accidens, & hoc non, etiam ex aduerſariis, vel ſubſtantia, & ita erit vel materia, vel forma; vel ex vtráque componetur, ſicque præter partes vnitas nihil erit.

Confirmatur, quia ſi totum eſſet aliquid realiter, aut ex natura rei diſtinctum à partibus ſimul ſumptis ex illis reſultans, vt ponunt aduerſarij, nónne poſſet Deus impedire reſultantiam ipſius totius etiam poſitis partibus vnitis? Quod tamen intelligi non poteſt, cum partes vnitæ, quatenus vnitæ ſunt, dicant totum, & ſint totum ipſum.

Reſpondent Conimbricenſes ad c. 2. lib. 1. Phyſicorum, quæſt. 1. art. 1. ideò partes ſimul ſumptas non manere ſine toto, nec totum poſſe impediri ne reſultet, quia totum ex illis componitur, illæ verò integram totius eſſentiã continent.

Verùm illi propriis verbis illa quętantur, admittũntque, ſiue ingenuè, ſiue coactè, id totum, quod intendimus, videlicet totum, & partes ſimul ſumptas realiter non diſtingui: cùm fateantur nihil eſſe in partibus vnitis, quod non ſit in toto compoſito: nec in toto compoſito aliquid admittant, quód pariter non ſit in partibus vnitis; cùm tamen requiratur, vt quę realiter, vel ex natura rei diſtinguuntur, ita ſe habeant, vt aliquid ſit in vno quod non includatur in alio.

Obiicies primò, quando perit homo, debet aliquid reale ſubſtantiale perire, alioquin eius corruptio non eſſet ſubſtantialis: Ergo debet eſſe aliqua entitas in illo naturali compoſito, nempe homine, prẹter materiam, formam, & vnionem: nam & materia & forma sũt incorruptibiles, vnio autem non eſt ſubſtantia: Ergo totum debet realiter diſtingui, aut ex natura rei diſtingui à partibus vnitis.

Reſpondeo negando conſequens, cùm enim homo dicat animam & corpus coniunctum, & per corruptionẽ diſiiungantur duæ illæ partes, rectè homo dicitur interire, licet tamen nulla eius pars in particulari corrumpatur.

Secundò obiicies, ſi cõpoſitum naturale conſtans materia & forma non eſſet ab illis re ipſa diſtinctum, illud de facto non vnum per ſe, ſed tantum per accidens eſſet quia illæ etiam vnitæ non ſunt vnum ens, ſed plura, quod tamen abſurdum eſt.

Neganda eſt conſecutio: compoſitũ enim naturale conflatum ex materia & forma non conſtat ex duplici natura diuerſi generis, ideò licet nihil ſit re ipſa ab ipſis partibus ſimul ſumptis diſtinctum, non tamen erit Ens per accidens, quod debet conſtare ex partibue diuerſæ rationis, vt alibi dictũ eſt.

Tertiò obiiciunt: partes ſimul ſumptę totum ipſum componunt: Ergo totum debet eſſe aliquid ab ipſis partibus ſimul ſumptis diſtinctum, aliàs idem ſeipſum conſtitueret, quod eſt inauditum.

Negandum eſt antecedens, non enim propriè partes ſimul ſumptæ, & vnitæ vt ſic, dicuntur totum componere, ſed diſtributiuè acceptę, quia vt iam vnitæ ſunt partes, totum eſt compoſitum, nec componitur amplius.

Denique obiiciunt Conimbricenſes ſupra quædam Ariſtotelis teſtimonia, quibus videtur totũ diſtinguere à ſuis partibus. Primum petitur ex 2. de Anima, text. 2. & 7. Metaphyſicorum, cap. 3. vbi diuidit ſubſtantiam in materiam, formam & compoſitum. Secũdum deſumit ex 5. Metaphyſicorum, cap. 14. habet ſex non eſſe *bis tria*. Tertium 7. Metaphyſicorum, cap. 17. vbi negat, B A eſſe B. & A.

Verum hæc omnia teſtimonia, vt ipſimet Conimbricenſes agnoſcunt, facilem habent explicationem. In illis enim omnibus ſemper Ariſtoteles ſumit partes deſiunctim materiam, & formam, *bis tria*, A. & B. non verò cõiunctim, quo modo negamus totum à ſuis partibus realiter diſcrepare.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*De comparatione naturæ cum arte.*

### ARTICVLVS PRIMVS.

*De conuenientia naturæ, & artis, vbi an artis chymicæ beneficio verum aurum poſſit efformari, operàque naturæ ab arte fiat.*

PRima conuenientia eſt, quod quemadmodum natura ſupponit aliquod ſubiectũ vt agat, & formã introducat, ita pariter ars ſupponit aliquod ſubiectum in quod artificioſam formam inducat.

Secundò conueniunt, quod quemadmodum natura, non caſu, non temerè, ſed certa quadam ratione opera ſua efficit: ita etiam ars in ſua opera certis quibuſdam regulis, certiſque legibus incidit.

Tertiò conueniunt, quod ſicut agens naturale efformat ſibi ſimile in eſſe naturæ, verbi gratia, homo hominem; & equus equum, ita etiã agens artificioſum opera ſua quantum poteſt elaborat, & ſimilia reddit exemplari, quod per artem nititur exprimere.

Qartò conueniunt, quòd quemadmodum natura ſenſim ab imperfectioribus ad perfectiora progreditur, vt patet in fœtus efformatione ita etiam ars imperfectiora primò exhibet tum ſubiungit exquiſitiora, vt videre eſt in arte pingendi, in qua rudiores primò lineæ, & colores obſcuriores ducuntur, poſteà verò adiiciuntur ſubtiliores, & exquiſitiores.

Quintò conueniunt, quòd ſicut diuina natura diuinam artem; ſic ars humana, (de illa enim loquimur) naturam æmuletur tamquam eius ſimia: & quia eo nomine opera naturæ perfectiora habentur, quo magis diuinam illam, & ſupremam artem imitantur, ita etiam eo magis æſtimantur artis effecta quo naturam ipſam melius exprimunt: & ſic commendatus olim Apelles fuit, quòd ita ad viuum Alexãdrum magnum depinxiſſet, vt iam non vnus, ſed duo in terra Alexandri dicerentur, alter Philippi filius, quem nullæ vires ſuperarunt; alter Apellis, quem nulla ars, aut induſtria aſſequeretur.

Nec minori cæli commendatione digni habiti ſunt duo illi inſignes pingendi magiſtri, Zeuxis & Parrhaſius, qui ſingulari gloria, & æſtimatione certaminum, ita ad ſuperos artis ſuæ apices ſuſcepta opera elaborarunt, vt non modò naturam adumbraſſe, ſed ipſam ad viuum repræſentaſſe videãtur. Zeu-

xis puellum depinxit, cum calatho vuis pleno, veritatem adeò repræſentantem, vt ad vuas depaſcendas in calatho expreſſas deceptæ nimia ſimulitudine volucres aduolarint: quod ab omnibus valdè laudatum eſt. Parrhaſius verò Zeuxis æmulator, tabulæ velum obduxit: cui tabulam deferenti dixit Zeuxis: Velum amoué, vt tandem quã pinxiſti figuram videã: cui ſtatim Parrhaſius, victor ego ſum in certamine, mihi palma debetur: nam ſi tua imago decepit volucres, mea tibi artis peritiſſimo impoſuit.

*Digreſſio moralis pro Incarnationis myſterio, & Eucharistiæ Sacramento.*

QVis ille Zeuxis, & quis Parrhaſius? Deus Opt. Max qui vtriúſque perſonam geſſit, Zeuxis in myſterio Incarnationis, Parrhaſij in auguſto Euchariſtiæ ſacramento. Zeuxis vuam depinxit: Deus vuam produxit, ſcilicet Chriſtum, hic enim præfiguratus eſt Numer. 13. per racemum vuarum quas tulerunt de terra promiſſionis exploratores. Vua à Zeuxi depicta decepit aues; Chriſtus, vua illa myſtica volucres feſellit, nempè dæmones; nam ſic appellantur Lucæ 8. in parabola ſeminis, & volucres cæli comederunt illud: decepit, inquam, quia ita ſuam occultauit diuinitatem, & ſub tam perfecta hominis ſimilitudine apparuit, vt illæ rapaciſſimæ volucres, (dæmones intelligo) ad eam humanitatem (quaſi pura eſſet, & non diuinitati coniuncta) depaſcendã deceptæ aduolarint: hinc ſanè magna, & ſingularis Domini noſtri Zeuxis, in hac humanitatis Chriſti vua exprimenda induſtria. Sed parũ intueamur Parrhaſium. Parrhaſius tabulæ velum obduxit: Deus ſupremus ille. Parrhaſius velum ſpecierum Euchariſticarum & ſacramentalium, non ſolúm humanitati ſuæ, ſed & diuinitati obduxit. Velum illud à Parrhaſio obductum, non aues tantùm, ſed homines etiam ſefellit: velum ſpecierum ſacramentalium Chriſti diuinitati, & humanitati obductum, non modò volucres, id eſt, dæmones decepit, ſed ipſos homines, hæreticos ſcilicet & infideles, qui myſterium iſtud ſola rationis naturali oculo, abſque fortiori oculo fidei inſpiciunt, iuxta illud Pſal. 115. *Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax.* Et quemadmodũ velum à Parrhaſio depictum in eo fallebat Zeuxim, quòd aliquam ſub velo occultari ſubſtantiam putaret, cum tamen nulla eſſet, ſed ſola tabulæ ſubſtantia. Ita etiã velum ſpecierum ſacramentalium hæreticos, & infideles intra ſolos humanitatis terminos conſiſtens, decipit, quod putent ſub his ſpeciebus eſſe ſubſtantiam panis & vini, cùm tamen ex fide nulla ſit, ſed ſola corporis, & ſanguinis ſubſtantia. Mentiũtur ſenſus viſus, tactus guſtus: quid mirum? exceſſus eſt: *Ego dixi in exceſſu meo,* qui excedit; & qui excedentia metitur, mentitur, *omnis homo mendax*: ſolus auditus, fidei organum non fallitur.

Hoc nobis adumbratũ in veteri teſtamento non obſcurè intelligo, cum accederet Iacob, veſtibus odoriferis fratris Eſau indutus ad patrem Iſaac, ſuam ſimulatè recepturus benedictionem: Iſaac fraudem ſuſpicans, voluit eum tangere, & dixit illi: *Accede huc, vt tangam te, fili mi, vt probem vtrum tu ſis filius meus Eſau. Tetigit* (inquit Scriptura Geneſ. 27.) *& non cognouit, quia piloſæ manus ſimilitudinẽ maioris expreſſerãt: vox quidem, vox Iacob eſt: ſed manus, manus ſunt Eſau.* Senſus alij deceperũt Iſaac, vt nõ cognoſceret fraudẽ Iacob, ſolus auditus nõ fefellit, & quia noluit credere auditui, ſed tactui, ſed olfactui, ſed guſtui, ideo deceptus.

Digitized by Google

Accedit ad nos quotidie Christus omnium noſtrum parens, non noſtram recepturus, ſed ſuam nobis impertiturus benedictionem: offertur, ſed panis & vini ſpeciebus tanquam veſtimẽtis indutus, & inuolutus: dicit, *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur. Hic eſt ſanguis noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Senſus omnes fallunt preter auditum, viſus dicit, panis eſt, quia panis colorem habet: olfactus ait, panis eſt, quia panis odorem habet: guſtus ait: panis eſt, quia ſaporem panis habet: tactus etiam ait, panis eſt, quia quantitatem & leuitatem panis habet: ſolus auditus, quia fidem recepit, verum nũtiat, dicens, non eſt panis, ſed corpus Chriſti: quia enim audiui dicentem, *Hoc eſt corpus meum*, vox hæc, vox Dei eſt: & ideo ita miſerè decipiuntur hæretici, quod aliis ſenſibus viſui, guſtui, olfactui & tactui credere malint, quàm auditui, & vt toti velint eſſe oculi, toti fiunt infideles: nam fides ex auditu, auditus per verbum Dei; auditum autem ſpernunt, & verbum Dei negligũt: volunt loqui, vt credant, non credere, vt loquantur; quod Regius Propheta omnino improbat, citato Pſalmo: *Credidi propter quod locutus ſum*: credit primò, poſtea loquitur: ordinem inuertit hæreticus, qui vult prius loqui, quàm credere.

Hîc non immeritò adiungimus, vtrũ ars ita poſſit naturam imitari, vt vera illius opera efficiat, ſicut artis chymicæ beneficio verum fieri aurum perhibetur, an non? Hoc vt explicetur.

Notandum eſt: bifariam aliquid ab arte proficiſci, primò vi artis, quo pacto numeroſus cantus dicitur eſſe ab arte canendi, quia vi præceptionum, & regularum eius concinnè, & numeroſè canimus. Secundò, *applicando actiua paſſiuis*, quo pacto per artem medendi ſanitas reſtituitur: quia ars medica ad ſanitatem reſtituendam certas quaſdam herbas adhibet, morbidiſque applicat, quarum virtute illis tandem ipſam reddit ſanitatem. Hoc poſito ſit.

*Prima propoſitio.*

NVlla ars poteſt vi ſua naturæ opera moliri.

Probatur, ad artem duntaxat pertinet modificare naturam, illámque præſupponit, verbi gratia, artis canendi tantum eſt adhibere modum in cantu naturali, vt ſcilicet elegantèr, & numeroſè fiat (idem dicendum de aliis partibus.) Ergo ars non poteſt vi ſua naturæ opera exequi.

Obiicies: vi figuræ acutæ corpus celeriùs mouetur, quàm ſi eſſet ſphærice: ergo motus ille qui eſt opus naturæ, poteſt eſſe ab arte, talem figuram in tale corpus inducente.

Quidquid ſit de antecedente, reſpõdeo, diſtinguendo conſequentiam, ergo motus corporis acuti erit ab arte talem figuram inducente; quod ad motum, celeritatem videlicet, concedo: quoad entitatem ipſam motus, nego: etenim motus ſpectatus ſecnndum ſuã ſubſtantiam, & entitatem, eſt tantũ à corpore naturali quod verò ſit velocior aliqua alio motu, id accidere poteſt ab arte, non quidem poſitiuè & efficienter ad id concurrente, quia figura quam inducit, perinde ac quantitas, & materia, eſt tantum paſſiua, omniſque actiuitatis expers: ſed negatiue quatenus facit, vt aër, vel aliquod aliud corpus medium corpori, cui talis ineſt figura, minus reſiſtat, minúſque eius motum retardet, idem dicendum eſt de ſphæra Archimedis, in qua ſyderum ortus & obitus omniúmque cœlorum conuerſiones

ſiones aperte viſebantur, aliiſque operibus ingenioſè elaboratis, vt columba ignea Architæ Tarentini in medio aëre volitante, motum eiuſmodi non eſſe ab arte, ſed ab ipſa natura compoſitis intus arcano artificio machinulis, & argento viuo, aliiſque motum efficientibus: quod etiam in horologiis videre eſt, quæ vi ponderum, quibus certa ratione librantur, moueri conſpiciuntur.

*Secunda propoſitio.*

ARs applicando actiua paſſiuis poteſt optime naturæ opera præſtare.

Probatur exemplo eorum, quæ à Magis & maleficis proficiſcuntur, cuiuſmodi fuerunt ſerpentes ab ipſis Pharaonis Magis exhibiti, illáque omnia, quæ vt vulgò creditur, vi quorundam characterum, aut verborum efficiuntur, vt impedimentum vſus matrimonij turpis amoris impreſſio, & pleráque alia id genus: ſi quidem hi omnes effectus, non vi characterum, aut verborum, ſed dæmonum fiunt pernicioſâ induſtriâ, quatenus illi ob pactum ſiue expreſſum, ſiue tacitum, ſtatim accurrunt: & applicando actiua paſſiuis, hos & ſimiles effectus producunt; admonēt verò ſuos, vt certis quibuſdam figuris certiſve orationibus vtantur, nō quòd ex his tales effectus oriātur, ſed vt ipſos incautos homines facilius decipiant, & in vanam aliquam ſuperſtitionem inducant.

Confirmatur ijs quæ ſtatim peculiariter ſubijciemus de confectione veri auri, licet enim omnes conueniant de facto, aliqua naturæ opera applicádo actiua paſſiuis ab arte fieri, an tamen verum aurum ſic ab arte chimica effici queat, diſſentiunt.

Abſolutè negant D. Th. 2. ſent. diſt. 7. quæſt 3. art. 1. Auerroës lib. 1. de generatione animalium, & alij, qui propterea talem artem deridentes, de ea eiúſque profeſſoribus multa iniurioſe loquuntur, vt quod verum aurum abſumant, vt fumum exhibeant, & ex toto nihil efficiant, paupéreſque fruſtrà ſpondeant quas non habent diuitias, fruſtrà inquam, Deo, vt veriſimile eſt, id permitente, ne huic malorum omniū irritamēto inſatiabili auri fame mortales toti incubarēt & excubarent.

Affirmant verò idem D. Th. 22. q. 77. art. 2. poſtquam ſenior factus, & iudicio maturior ſuam ſententiam reuocauit, Albertus Magnus lib. 3. de mineralibus, cap. 3. & alij, quorū ſententiam his duabus propoſitionibus ſuperioribus additis explicauimus.

*Tertia propoſitio.*

NOn eſt impoſſibilis auri confectio per artem chymicam.

Probatur: ſi eſſet impoſſibilis, aut ex parte materiæ quæ non poſſet auri formam ab arte chymica inductam ſuſcipere, & hoc non, cum materia de ſe ſit indifferens ad omnes formas recipiendas, à quocunque inducantur: vel ex parte formæ, quæ non poteſt vi artis chymicę applicantis actiua paſſiuis in materiam introduci, & hoc etiā dici nequit, quia forma auri in eam poteſt induci materiam, quæ eſt affecta omnibus diſpoſitionibus ad eā requiſitis: ſed per artem chymicam poſſunt introduci in materiam diſpoſitiones requiſitæ ad formam auri: ergo per artem chymicam poteſt auri forma in materiā induci. Huius ſyllogiſmi ſola minor probatione indiget hoc autem modo.

Probàtur, diſpoſitiones illæ conſiſtunt in certa quadam qualitatum tēperie: ſed qui callet artem chymicam poteſt illam temperiem dignoſcere; ſicque varias materias, quarum aliæ calidiores ſint, aliæ frigidiores, alię ſicciores, aliæ humidiores, ita tempera-

re, vt ex illis requiſita eiuſmodi temperies exurgat, ſaltem id de Angelo, vel dæmone illam temperiem cognoſcente negari non poteſt: ergo per artem chymicam poſſunt induci in materiam requiſitæ ad auri formam diſpoſitiones

Reſpondent aduerſarij, artis chymicæ profeſſores, non poſſe inducere calorem cœleſtem, potiſſimùm Solis, qui tamen propriè requiritur ad auri formationem.

Sed contra, calor cœleſtis, quicumque ille ſit, eſt eiuſdem plane ſpeciei, cum calore ſublunari: ergo ſublunaris poterit eſſe ſufficiens diſpoſitio ad formam auri, æqué ac cœleſtis, proindéque hic erit ſuperuacaneus.

Inſiſtunt, aſtrorum influxum ad auri formationem eſſe neceſſarium, qui non poteſt per artem chymicam adhiberi ad formandum aurum.

Reſpondeo, artis chymicæ peritos poſſe obſeruare quis ſit ille aſtrorum influxus ad auri formationem neceſſarius, eóque obſeruato, omnia tempeſtiuè applicare quibus exurgat temperies requiſita. ipsúmque proinde aurum efficiatur.

Poſtrema propoſitio: licet poſſibilis ſit veri auri confectio per artem chymicam, illa tamen difficillima eſt.

Probatur primò, ex eo quòd ars illa chymica communiter cenſeatur reipubl. noxia, immò prohibeatur eius vſus, vtique, quia conſtat experientia huius artis profeſſores magnis impenſis & pertinaci labore pro eiuſmodi auri confectione deſudantes, non niſi fucatum extuliſſe, quod pro legitimo ſolent diuendere, & ſic alios decipere.

Probatur ſecundò, quando varia occurrunt obſeruanda præcepta in aliquo opere, opus illud ſine dubio difficile peragitur, obruit enim mentem præceptorum multitudo, vt communiter dicitur: atqui multa in auri confectione occurrunt obſeruanda, varia permiſcenda eſt materia, accuratè cuiuſlibet natura & qualitas dignoſcẽda: adde ſyderum influxum eſſe diligẽter obſeruandum: quæ omnia, non niſi ingenti negotio notantur: ergo difficillima eſt auri confectio per artem chymicam.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

### *De diſcrimine naturæ & artis.*

Primum diſcrimen ſumitur ex parte ſubiecti, ſeu materię, quod ſcilicet materia prima, & incompleta ſit ſubiectum operis naturalis vt ex ſuperioribus liquet, operis verò artificioſi ſubiectum ſit materia ſecunda, ſeu completa, vt lignum cathedræ, & æs vel argentum ſtatuæ.

Secundum diſcrimẽ eſt, quod formę naturales debeãtur materiæ: vt forma hominis, vel equi, ipſi eorum materiæ, proindéque ad illas ipſa materia potẽtiam habeat purè naturalẽ: at verò formæ artificioſæ, v. g. formæ cathedræ, vel ſtatuæ, ipſi materiæ nõ debeantur; ideòque materia non habeat ad illas potentiã niſi obediẽtialẽ naturalis ordinis: obediẽtialẽ quidẽ, eo quod illis aduenietib⁹ non reſiſtat: naturalis verò ordinis, quod formæ illæ per ſolas naturæ vices in materiam inducantur, in quo talis potẽtia obediẽtialis naturalis ordinis diſtinguitur à potẽtia obedientiali ſupernaturalis, quæ non reuocatur ad actum niſi virtute diuina, & ſupernaturali.

Tertium diſcrimen eſt, quòd natura in abditioribus laborandis, forma ſcilicet ſubſtãtiali inducẽda occupatur: ars verò exteriorum tantum faciem & elegantiam præſertim affectet.

Quartum diſcrimen eſt, quod formæ

naturales ſunt principium motus, vt dictum eſt: formæ verò artificiolæ nō item, ſed ipſum motum duntaxat modificent ſeu celeriorem, aut tardiorē reddant.

Poſtremum diſcrimen eſt, quod natura ab arte perficiatur ex 2. Phyſicorum capite 8. non tamen è contra: circa quod diſcrimen.

Notandum eſt bifariam artem perficere naturam: Primò ratione ſubiecti, nimirum hominis in quo eſt, quatenus eſt aliquis habitus in eius mente receptus, illi facilitatem conferens: Secundò ex parte obiecti ſeu materiæ, circa quam verſatur, illi elegantem formam figurámque impertiendo, vt ars ſtatuaria dicitur perficere lignum, quatenus illi adiūgit figuram Cæſaris, vel alterius magni viri. Hęc de natura & principiis corporis naturalis.

## DISPVTATIO SECVNDA.

*De cauſis rerum naturalium.*

### SECTIO PRIMA

*De illis in communi.*

### QVÆSTIO PRIMA.

*De nomine, & varia acceptione cauſæ.*

NOmen cauſæ aliquando ita latè ſumitur, vt cum principio confundatur: aliquando verò è contrario ita ſtricté, vt ſolam efficientem complectatur: ſed proprié hoc loco accipitur pro illa re quæ influit eſſe in aliud, ſeu ab eo omni quod nō eſt principiū, omnéſque veras cauſas materialem, formalem, efficientem, & finalem in ſuo ambitu continet.

### QVÆSTIO SECVNDA.

*De exiſtentia cauſæ.*

#### ARTICVLVS PRIMVS.

*An, & quot generatim dentur cauſæ?*

COmmunis eſt conſenſus aliquam dari cauſam: quot tamen cauſæ illæ ſint diſſenſio eſt: D. enim Auguſt. lib. 83. quæſtionum, quęſt. 28. videtur ſolam cauſam efficientem recipere. Socrates apud Plat. ſolam finalem cauſam admiſit: alij ſolam materiam. Alij materiali efficientem addiderunt. Alij materialem, & formalem, & Deum receperunt.

Communis, & vera ſententia eſt Ariſtotelis, D. Thomæ & aliorum Philoſophorum, cauſas eſſe quatuor, non plures, nec pauciores, materialem, formalem, efficientem, & finalem.

Quatuor eſſe hac firma ratione probatur: Tot ſūt rerum naturalium cauſæ, quot ſūt modi quibus effectus à ſuis cauſis dependent, cùm cauſæ definitio in communi ſit, vt ab ea per ſe depēdeat effectus: atqui quatuor ſunt illi modi, ergo & quatuor cauſæ. Minor probatur, quęlibet res naturalis fuit ab aliquo producta, alioquin eſſet à ſeipſa, quod ſoli Deo proprium eſt, vt fides docet: Ergo res illa naturalis ab altera tanquam à cauſa efficiente, & producente dependet. Illa verò cauſa efficiēs vel producit ſemper effectum ſuum ex nihilo, vel non: ſi priùs, eſt continūa creatio, quod experiētię aduerſatur: ſi poſteriùs, ergo datur aliquod ſubiectū ex quo ille effectus fiat, & à quo per ſe dependeat: & hoc ſubiectum eſt cauſa materialis. Iam vlteriùs quęro, an cauſa illa efficiens producat aliquid in materia, vel nihil? ſi aliquid, cùm non poſſit aliud aſſignari à forma, dabitur cauſa formalis, à qua effectus per ſe dependet: ſi ſecundum dicatur, ergo nulla facta eſt generatio, nulla effectus productio, quod eſt contra

hypotheſim. Tandem illa cauſa efficiens producit formam in ſubiecto, vel ſemper agit temere, vel aliquando certa finis intentione. Primum nemo niſi pertinax aſſerit:ſi alterum concedatur; ergo dabitur quarta cauſa, nempe finalis, à qua ſimiliter effectus per ſe dependet: ergo quatuor ſunt illi modi quibus effectus per ſe dependet à cauſa & conſequenter quadruplex cauſa.

Confirmatur ex variis interrogationibus, quæ de aliquo effectu fieri poſſunt, vt à quo productus ſit, quæ eſt cauſa efficiẽs:ex qua materia cõflatus, per quam formam conſtitutus, & cuius finis gratia in lucem editus. Ergo tot debent dari cauſæ illius effectus, quibus ſingulis eiuſmodi interrogationibus reſpondeatur.

Confirmatur ſecundò, ex his quæ infrà dicturi ſumus de ipſis cauſis in particulari.

Quod verò non ſint plures quatuor illis aſſignatis, patebit ſolutione obiectionum, quę maiorem numerum nituntur aſtruere.

Obiicitur igitur primò: Obiectũ eſt cauſa actus, quia hic ab illo per ſe dependet; atqui non eſt cauſa materialis, quia actus non recipitur in obiecto, v. g. viſio in colore: neque formalis, quia actionem non informat, ſed foris exiſtit: neque efficiens, quia illam non efficit; neque finalis:actio enim eſt potius finis reſpectu potentiæ quam obiectũ ſit finis actionis:ergo eſt aliquod aliud genus cauſæ diſtinctum à quatuor aſſignatis.

Reſpondeo neg. minor. Etenim non eſt incommodum ſtatuere obiectum cauſam finalem actionis: cùm enim actio ab agente in ipſum obiectum dirigatur, & illius percipiendi gratia fiat, ſane finis eius non immerito dici poteſt.

Alij addunt obiectum poſſe referri ad cauſam efficientem, quatenus immittit ſpeciem ſuam in facultatem, v. g. color ſpeciem coloris in viſiuam facultatem quę quidem efficienter concurrit cum potentia ad producendam actionem.

Obiicies ſecundò, effectus per ſe videntur dependere à ſuis inſtrumentis, vt calefactio à calore: pictura à penicillo, & ſic de cęt. Ergo inſtrumenta illorum effectuum cauſæ dici debent; Ergo debet dari quintum genus cauſæ ab aliis diſtinctum.

Reſpondeo negando poſteriorem conſeq. inſtrumẽta enim propriè ſumpta vt vim habent aliquid efficiendi, ad cauſam efficientem pertinent, quod adhuc clariùs oſtendetur infra agendo de efficiente.

Obiicitur denique cauſam exemplarem quatuor aſſignatis eſſe adiungendam. Sed breuiter hoc loco dicendum eſt, cauſam exemplarem adformalem reuocari, hócque ſuo loco examinandum eſt.

Cęterum nonnulli per hanc diuiſionem quaternarium cauſarum numerum colligunt: omnis cauſa aut eſt intrinſeca: aut extrinſeca extrinſeca duplex, efficiens & finalis: totuplex intrinſeca, materialis & formalis.

## ARTICVLVS SECVNDVS.
### *De cauſa exemplari*

Hoc loco agimus de cauſa exemplari, quia à nonnullis ponitur diſtincta à vulgatis, aſſignatíſque quatuor cauſis: ab aliis minimè, quod poſterius nobis neceſſario ſtatuendum eſt, vt quaternarius ille cauſarum numerus ſupra poſitus poſſit firmiùs permanere.

Digitized by Google

## MEMBRVM PRIMVM.

*De nomine, & varia acceptione cauſæ exemplaris.*

EXemplar, ſeu idea, (hæc enim duo idem ſunt,) eſt id quod artifex ex intentione imitatur, vt ſecundum leges artis poſſit operari, illúdque bifariam ſumitur. Primo generatim pro quolibet exemplari, ſicque comprehendit tam externum quàm internum: externum id quod artificis oculis imitandum obiicitur: internum verò, quod ab artifice in animo efformatur. Secūdò autem & ſpecialiter, ſumitur exēplar pro ſolo interiori, & nos de illo tantum deinceps diſſeremus.

## MEMBRVM SECVNDVM

*De exiſtentia cauſæ exemplaris.*

EXiſtentiam cauſæ exemplaris ſacrū primò confirmat oraculum Exod. 25. *Inſpice, & fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.*

Teſtatur etiam Boëtius libro de Cōſolatione metro 9.

*Tu cuncta ſupremo*
*Ducis ab exemplo, pulcherrimus ipſe*
*Mundum mente gerens.*

Colligitur etiam ex D. Aug. 1. Retractationū cap. 4. vbi conſtituit in Deo mundum intelligibilem, tanquam exemplar, ad quod reſpiciens ipſe Deus hunc ſenſibilem produxerit.

Quartò eiuſdem idealis cauſæ exiſtentiam ſignificauit Ariſtoteles 7. Metaphyſicorum cap. 7. conſtituens ſanitatem mentis exemplar ſanitatis corporis, & hac de re multa eſt inter Philoſophos & Theologos diſſenſio, magíſque conſtabit, ſi ideæ ſubiectum & eſſentiam inueſtigemus.

Quod ſpectat ad ſubiectum, certum eſt illud eſſe intellectum, vt etiam docet D. Aug. 12. de ciuit. Dei cap. 25. 26. & lib. 83. quæſtionum quæſt. 46. quibus locis habet exemplar rerum faciendarum eſſe in diuina intelligentia, neque videri poſſe, niſi viſione beata.

Sed cùm in intellectu aliquid poſſit eſſe dupliciter, vel obiectiuè, vel ſubiectiuè, vt homo, quatenus eſt obiectū intellectus: ſubiectiuè vt ipſa intellectio, quæ in intellectu recipitur; difficultas eſt, inter Philoſophos, in quo ratio cauſæ exemplaris conſiſtat, an in conceptu obiectiuo, ſeu eo quod eſt obiectiuè in intellectu, an verò in formali, ſeu eo quòd eſt in eodem intellectu ſubiectiuè.

Duæ ſunt & quidem oppoſitæ ſententiæ, prior tribuitur Halenſ. 1. parte, q 15. art. 1. & mordicus propugnatur à Suare 1. tomo Metaphyſicæ, diſputat. 29. ſect. 2, num. 10. & ſequentibus, rationem cauſæ exemplaris in conceptu formali, & non in obiectiuo conſiſtere.

Poſterior verò ſententia, eáque probabilior, noſtráque, his propoſitionibus explicatur.

*Prima propoſitio.*

RAtio eſſentialis ideæ, ſeu exemplaris non conſiſtit in conceptu formali: Ita Durandus 1. ſent. diſt. 36. q. 3. & alij quam plurimi.

Probatur hac communi ratione. Idea ſeu exemplar eſt id ad quod reſpiciens artifex ex intentione operatur, vt ſtatim videbimus. Sed artifex non operatur reſpiciens conceptum ſuum formalem, hæc enim inſpectio eſt quædam mentis ſuperflua reflexio, cùm abſque ea artifex operari queat ad ipſum exēplar, ſeu obiectum ſui conceptus formalis reſpiciens: ergo, &c.

*Secunda propoſitio.*

RAtio eſſentialis ideæ, ſeu exemplaris, conſiſtit in conceptu obiecti-

productione, & non ipſammet diuinā eſſentiam.

Ratio eſt clara, cauſa exemplaris, ſeu Idea, eſt id ad cuius imitationem opus producitur ab artifice intellectuali: ſed ad diuinę eſſentiæ imitationem, non producuntur creaturæ ſecundum perfectiones ipſi eſſentiæ diuinæ oppoſitas: verbi gratia, ſecundum eſſe finitum, ſenſibile, hinnibile, & cęteros gradus, quia in his rationibus creaturæ eiuſmodi non ſunt Deo ſimiles, illumque minimè imitantur: Ergo ipſamet eſſentia diuina non habet in Deo rationem cauſæ Idealis, ſeu exēplaris creaturarum, ſecundum perfectiones ipſarum diuinis perfectionibus oppoſitas, & per conſequens, cùm nihil aliud commodius aſſignari poſſit pręter eaſdemmet creaturas, vt ſunt obiectiuè in diuino intellectu, quia eas ſcientia viſionis, vt futuras in aliqua certa temporis differentia intuetur, illæ creaturę in ſui productione videntur habere rationem Ideæ in diuina mente.

*Quarta propoſitio.*

NOn eſt neceſſe vt exemplar ſit cōceptus obiectiuus ipſius rei, quæ fieri debet, ſed poteſt eſſe alterius, ad cuius imitationem res alia fiat.

Explicatur exemplo: fieri poteſt, verbi gratia, vt imago Cæſaris menti obiecta, ſit exemplar internum reſpectu alterius ſimilis efficiendæ, in quantum ad illam pictor reſpicit in altera ſimili effingenda: Ergo exemplar poteſt eſſe obiectum conceptus alterius rei.

Hinc probabiliſſimum eſt diuinam eſſentiam habere rationem ideæ rerum creatarum, ſecundum perfectiones cōmunes putà viuere, intelligere, & ſimiles: Nam, (vt optimè argumentatur Durand. ſupra num. 21.) ibi cernitur vera idea, vbi eſt aliquid ex intentione alterius imitabile: ſed diuina eſſentia, comparatione creaturarum, ſecundum perfectiones communes habet rationē imitabilem ex intentione, in tantùm enim res habet perfectiones illas, in quantum diuinam eſſentiam eas perfectiſſimè complectentem imitatur: Ergo diuina eſſentia poteſt dici idea creaturarum, ſecundum communes perfectiones, & gradus Quæ ratio non ſolum probat propoſitionem noſtram: ſed vnà cum præcedēti pleniſſimè ſoluit difficultatem vltimæ obiectionis propoſitæ.

## ARTICVLVS TERTIVS, ET QVARTVS.

*De eſſentia & affectionibus cauſæ exēplaris.*

DVo hîc circa eſſentiam cauſę exemplaris præſtanda ſunt. Primò expendenda eſt eius definitio. Secundò inquirendum in quo ipſius cauſalitas conſiſtit.

Quod ſpectat ad primū, hęc eſt cauſę exemplaris definitio ex D. Th. de veritate q. 3. art. 1. deprompta: *Idea eſt forma, quam aliquid* (id eſt effectus) *imitatur ex intentione agentis determinantis ſibi finē.*

Forma tenet locum generis, vt potè huic triplici formę communis, *à qua*, vt à principio, oritur effectus: *ex qua* effectus componitur: & *ad quam*, ſeu ad cuius imitationem producitur: reliqua verò verba ſuſtinent partes differentię.

Primò, *quam aliquid imitatur*, deſignat eam ſolam formam eſſe exemplar, ad cuius imitationem aliquid fit: ſicque remouet formam leonis, comparatione formę equi; formam terræ, reſpectu formę ignis, & ita de cęteris.

Secundò additur *ex intentione agentis*, vt tradatur diſcrimen inter exemplar propriè dictū, & formā illā quę fortuitò exprimitur, cuiuſmodi eſſet imago Cęſaris, ſi quis pictor de Cæſare nihil cogitās, ipſius tamē imaginē depingeret.

Digitized by Google

Tertiò adiungitur, *determinantis ſibi finem*, vt ſignificetur his duntaxat cõpetere cauſam exemplarem, quibus conuenit vſus rationis:& ſic remoueãtur formæ illæ quæ neceſſariò ab agente, & ſine vlla determinatione exprimuntur.

Quod ſpectat ad cauſalitatem cauſæ exemplaris, de illa variæ ſunt ſententiæ.

Prima eſt Henrici Gandauenſis quodlibet. 3. q. 2. exemplar habere cauſalitatem aliquam diſtinctam à cauſalitatibus aliarum quatuor cauſarum, proindéque eſſe cauſam ab illis diuerſam, nempè formalem extrinſecam.

Secunda, eáque ſatis communis, eſt Scoti 1. ſent. diſt. 2. q. 2. Abulenſis 1. part. q. 23. memb. 4. Suares 1. tomo Metaphyſicæ, diſp. 25. ſectio 2. cauſã exemplarem eſſe reuocandam ad cauſam efficientem.

Tertia, eaque omnium probabiliſſima & noſtrahis propoſitionibus explicatur.

*Prima propoſitio.*

EXemplar, vt exemplar eſt, non habet cauſalitatem finis.

Probatur, cauſalitas finis in eo conſiſtit, vt ſit id propter quod agens operatur: ſed exemplar, vt exemplar eſt, non habet iſtã cauſalitatem, eſt enim ex ſupradictis id tantùm quod agens intellectuale imitatur ad operandum: Ergo, &c.

*Secunda propoſitio.*

EXemplar non habet cauſalitatem materiæ, aut formæ informantis.

Probatur, quia & materia, & forma informans ingrediuntur naturam cõpoſiti naturalis, quod non conuenit cauſæ exemplari, vt ex ſe patet.

*Tertia propoſitio.*

CAuſalitas cauſæ exemplaris non pertinet ad cauſam efficientem.

Probatur: id quod agens tantùm imitatur ad effectũ producendum, non concurrit cum ipſo agente efficienter ad productionem illius effectus: ſed ita ſe habet exemplar, vt patet ex eius definitione, ex eo quòd ſit tantum obiectiuè in animo, vt ſpeculum in oculo: Ergo exemplar non concurrit efficienter ad effectum producendum, nec proinde pertinere poteſt ad genus cauſæ efficientis.

*Poſtrema propoſitio.*

CAuſalitas cauſæ exemplaris ſpectat ad cauſam formalem, ſed extrinſecam.

Hæc propoſitio ſequitur ex prçcedẽtibus, & à ſufficienti partium enumeratione oſtenditur. Quælibet cauſalitas, aut eſt finis, aut efficientis, aut materiæ, aut formæ intrinſecæ, ſeu informantis, aut denique formæ extrinſecæ: nulla enim alia excogitari poteſt: ſed cauſalitas cauſæ exemplaris, neque eſt finis, neque efficientis, neque materiæ, neque formæ intrinſecæ, & informantis, vt conſtat ex ſuperioribus propoſitionibus: Ergo eſt formæ extrinſecæ.

Obiicies ex Diuo Dionyſio de diuinis nominibus cap. 45. diuinæ ideæ ſunt effectrices rerum exiſtentiũ cauſæ: Ergo idea pertinet ad cauſam efficientem.

Diſtinguo antecedens, diuinæ ideæ ſunt efficientes rerum exiſtentium cauſæ materialiter, & quatenus identificãtur cum diuina eſſentia, rerum omniũ efficiente cauſa, concedo: formaliter verò, & præciſè, quatenus noſtro cõcipiendi modo diſtinguuntur ab eſſẽtia diuina, nego.

Rurſus obiicit Suares ſupra numer. 10. prolixam admodum rationem, cuius ſenſus ſic breuiter colligitur: Illa forma pertinet ad genus cauſæ efficiẽtis,

Digitized by Google

tis; quæ eſt in aliquo principium operandi: ſed forma illa externa, nempe exemplar, eſt in aliquo, puta in artifice principium operandi, dat enim illi vt producat effectum quem aliàs producere non poſſet: Ergo exēplar pertinet ad genus cauſę efficientis. Confirmat hanc rationem Suarez exemplo ſigilli, quod cùm ſit exemplar figuræ, ad ipſam figuram in cera imprimendā efficienter concurrit.

Minor neganda eſt, quia licet ſine exemplari non operetur artifex, tamen non ſequitur exemplar virtutem actiuam artifici conferre ad effectum producendum, cùm eius tantùm intellectui obijciatur: ſicut licet ignis non poſſit calefacere lignū ſine eius approximatione, non ſequitur tamen approximationem illam, vires agendi ipſi igni conferre ad calefaciendum.

Ad confirmationem primò negari poteſt figuram ſigilli efficienter concurrere ad aliam in cera reprimendā, quia eſt modus quātitatis, proindéque eſt expers omnis actiuitatis, ſicut ipſa quantitas.

Deinde reſponderi poteſt figuram, illam ſigilli reuera nō eſſe exemplar alterius figuræ in cera impreſſæ, quia ad exemplar requiritur vt illud agens ex intentione intueatur: fieri verò poteſt vt nihil cogitando de ipſa ſigilli figura aliquis ſimilem ceræ imprimat.

Vtrum autē exēplar cōſtitui debeat genus cauſæ diuerſum à cauſa formali, non conſtat inter omnes Philoſophos.

Affirmant Conimbricenſes ſupra art. 2. eo quòd non videatur eſſe eadē cauſalitas cauſę formalis intrinſecæ, ſeu informatio, & exemplaris, vt nos ſatis inſinuauimus.

Alij negant, faciúntque cauſam exemplarem appendicem cauſæ formalis, & eius concauſam: vtrúmque facilè ſuſtineri poteſt; poſterius tamen videtur probabilius: tùm quia illi fauet Ariſtoteles, cū ſupra conſtituit tātùm quadruplex genus cauſæ: tum quia ſi propter diſtinctas rationes quæ reperiuntur in cauſalitatibus formæ informantis, & exemplaris, duo diſtincta cauſarum genera eſſent conſtituenda, eſſet quoque ponenda multiplex cauſa efficiens, quia variæ, diſtinctæque ſunt in variis efficientibus cauſis cauſalitates, in eo tantùm conuenientes, quod reddant cauſam id vnde aliud eſt, ſicque multò plures eſſent cauſæ, quàm quinque: quod nemo dixerit.

## QVÆSTIO TERTIA.

*De eſſentia cauſæ.*

VAriæ deſcriptiones cauſæ in medium proferuntur.

Prima hæc eſt: cauſa eſt id, per quod aliquid contingit.

Secunda, cauſa eſt id quod dat eſſe rei.

Tertia colligitur ex Ariſt. 2. Phyſicorum, cap 7. cauſa eſt id per quod quærenti quare res ſit, reſpondetur.

Quartò deſcribitur cauſa id ad cuius eſſe ſequitur aliud.

Quintò & communiter, cauſa eſt id à quo aliud per ſe pendet. Ita Conimbricenſes in cap. 7. 2. Phyſicorum q. 1. art. 1.

Ponunt, id, loco generis, alias verò particulas loco differentiæ. Primò per particulam illam *aliquid*, intelligunt affectum, qui producitur à cauſa.

Deinde ponunt, pendet, ad diſtinctionem principij, à quo non neceſſario principatum dependet, vt diximus agendo de principiis,

Tandẽ addunt, per ſe ad differentiã cauſarum per accidens, cuiuſmodi eſt medicus reſpectu ædificij, & conditionum ſine quibus non fierent effectus, à quibus, licet effectus, ipſi aliqua ratione dependeant, non tamen per ſe, quaſi ab illis ſuum eſſe accipiant, vt eſt approximatio materiæ combuſtibilis ad ignem, applicatio obiecti ad potentiam, & cætera eiuſmodi.

Vltima cauſæ definitio non multum certè à præcedenti diſcrepans, hoc modo traditur. Cauſa eſt principium per ſe influens eſſe in aliud. quę definitio ideò nobis magis arridet, quod aſſumat pro genere aliud cauſæ propinquius & immediatius, quàm aliæ omnes aſſignatæ definitiones; quia ſumit *principium*, illæ verò definitiones particulam tranſcendentalem, *id*, quæ cauſis non immediatè, ſed mediante principio competit. Placet etiam nobis definitio hæc, quod per eam facilè diſtinguatur cauſa ab aliis rebus omnibus: nam per particulam illam *per ſe influens*, ſecernitur cùm à cauſis per accidens, tùm à conditionibus *ſine quibus* non quæ per ſe nõ influũt, ſed tãtùm per accidens: & per illud, *eſſe in aliud*, ſeparatur à principio: quod vt intelligatur,

Notandum eſt primò, hac particula *aliud*, effectum ipſum intelligi.

Notandum ſecundò, aliud eſſe nomen ſubſtantiuum, hócque eſſe diſcrimen inter ipſum nomen ſubſtantiuum, & adiectiuum, iuxta doctrinam D. Thomæ, 1. part. quæſt. 39. art. 3. quòd ad multiplicationem nominis ſubſtantiui non ſufficiat multiplicatio ſuppòſitorum, ſed prętereà requiratur multiplicitas formarum: ad multiplicationem verò nominis adiectiui, ſine multiplicatione formarum ſufficiat multitudo ſuppoſitorum: & ſic licet Pater creet, Filius creet, Spiritus Sanctus, creet; non tamen dicuntur tres creatores, ſed tres creantes, quia creator eſt nomen ſubſtantiuum, creans verò adiectiuum: ad multiplicationem autem nominis adiectiui requiruntur multæ formæ & multa ſuppoſita ſeu ſubiecta; cùm tamen vnica tantùm ſit forma, nimirum virtus creatiua in Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Eodem iure, ex doctrina Theologorum, licet Pater & Filius ſpirent Spiritum Sanctum; quia ſpirant illum per eamdem virtutem ſpiratiuam, nimirum voluntatem, non dicuntur duo ſpiratores, ſed duo tantùm ſpirantes, quia ſpirator eſt nomen ſubſtantiuum; ſpirans verò adiectiuum.

Hinc intelligis effectum cauſæ ab ea debere accipere eſſentiam numero diſtinctam, alioquin non diceretur ſubſtantiuè *aliud*. & ſic cauſam hac particula optimè ſegregari à principio, quòd non neceſſariò producit aliud, ſeu in eſſentia diſtinctum, ſed alium tantùm & eiuſdem naturæ: verbi gratia, pater diuinus ſuum Filium, qui non eſt aliud, ſed alia tantùm perſona, à perſona patris; eiuſdémque planè eſſentię: vnde fit vt ab ipſo patre filius non dependeat, quia nemo dependet ab eo cum quo eſt eiuſdem naturæ; effectus verò, vtpote per eſſentiam à cauſa diſtinctus, ab illa dependeat.

Obiicies primò contra hanc particulam aſſignatæ definitionis, *per ſe influens eſſe in aliud*. Per quam ſignificauimus dependentiam effectus à cauſa: quod eſt ſupremum in aliquod genere, eſt cauſa aliquorum, ex communi axiomate: ſed illud quod eſt ſupremum in aliquo genere per ſe, non influit

Digitized by Google

in alia, neque hæc ab illo per ſe dependet; verbi gratia color albus eſt in genere colorum ſupremus, tamen quis immeritò diceret ipſum ita in alios omnes colores influere, vt hi ab illo per ſe dependerent; ergo cauſa non debet influere per ſe in effectum, nec effectus à cauſa dependere.

Quidquid ſit de minori, ad maiorem reſpondeo: Pronunt iatum illud, *quod eſt primum, ſeu ſupremum, in aliquo genere, eſt cauſa reliquorum*; verum tantum eſſe, ſi illud fuerit primum in genere cauſandi, id eſt cauſæ, ſicuti Deus dicitur reliquarum cauſarum efficientium cauſa, quia eſt omnium cauſarum efficientium prima, quo modo non ſe habet color albus reſpectu aliorum colorum, vt ex ſe patet.

Obiicies ſecundo: Vnum relatum, verbi gratia, filius dependet ab altero, puta à patre, & tamen vnum relatum non eſt cauſa alterius: verbi gratia pater filij: ergo non eſt cauſæ proprium vt ab ea dependeat effectus.

Reſpondeo ad anteced. Eodem modo quo vnum relatum dependet ab alio, eodem etiam modo accipere ab illo eſſentiam, & ſic filium à patre dependere non ſimpliciter, quatenus pater correlatum eſt filij, ſed quatenus eſt illius cauſa efficiens.

Tertiò obiicies generationem per ſe pendere à priuatione, nec tamen priuationem eſſe cauſam generationis: ergo cauſam malè fuiſſe definitam id à quo aliud per ſe pendet, & quod per ſe influit eſſe in aliud.

Reſpondo neg. anteced. ſi dependentia propriè ſumatur, vt in hac cauſæ definitione; quia talis dependentia dicit effectum mutuari eſſentiam ab eo, à quo dependet, generatio autem à priuatione ſuum eſſe non accipit, ſed ab illa duntaxat incipit.

Obiicies denique, materia, & forma, quę ſunt veræ cauſæ, non communicāt aliud eſſe effectui ab eo quod habent: ergo non bene fuit definita cauſa, quod influit eſſe in aliud, & communicat eſſentiam numero diſtinctam.

Reſpondeo neg. anteced. licet enim totum compoſitum, quod eſt effectus materiæ, & formæ, non ſit aliquid realiter, aut eſſentialiter ab vtraque coniunctim ſumpta diſtinctum, eſt tamen ab altereutra ſeorſim ſumpta, quod ſufficit vt tam materia, quàm forma dicantur cauſæ, & cenſeantur effectui tribuere diſtinctam eſſentiam.

## QVÆSTIO QVARTA.

*De affectionibus Cauſæ.*

### ARTICVLVS PRIMVS.

*De conuenientia Cauſæ in communi, reſpectu omnium cauſarum propriè dictarum.*

NOtandum hic ſemel cauſam poſſe ſumi dupliciter, primò materialiter pro ipſa re quæ denominatur cauſa, vt cauſa materialis pro ipſa materia. Secundò formaliter pro ipſa cauſalitate, ſeu ratione per quam res ipſa formaliter dicitur cauſa, vt cauſa materialis pro ipſa eius cauſalitate, ſeu ratione per quam formaliter conſtituitur in eſſe cauſæ materialis.

Si priori modo ſumatur cauſa, eodem modo conuenire poteſt quatuor cauſarum generibus quo ens Deo & creaturis, ſcilicet ſy-

nonymè: quoniam ab illis eodem modo abſtrahit cauſa in communi, quo ens à Deo, & creaturis: & ſicut ens ſub ſe Deũ & creaturas complectitur, ita etiam cauſa in communi comprehendit, & Deum ipſum, tanquã cauſam, & creaturas quoque tamquam cauſas: ergo quæ rationes ſynonymiam entis reſpectu Dei, & creaturarum ſubſtantiæ & accidentis cõfirmant, illæ eãdẽ præſentem propoſitionem ſtatuunt, & probant.

Si verò cauſa accipiatur poſteriori ſignificatione, ſcilicet pro cauſalitate, ſenſus eſt, quonã modo cauſalitas abſtracta à quatuor prædictis cauſalitatibus materiæ, formæ, efficientis, & finis, illis conueniat.

Reſpondeo conuenientiam illam eſſe pariter ſynonymam, probóque: quælibet cauſalitas non tantùm conuenit in communi nomine cauſalitatis ſed eius quoque naturam participat, éſtque eſſentialiter cauſalitas, quod ſolum ad perfectam ſynonymiam exigitur.

Nec obſtat quòd vna cauſalitas, v. g. cauſalitas efficientis in Deo, ſit nobilior aliis cauſalitatibus, putà materiæ & formæ: ſi quidem hæc maior nobilitas tenet ſe tantùm ex parte ſpecialis cuiuſdam cauſalitatis, non autem ex communi ratione cauſalitatis: proindéque non tollit ſynonymiam in communi illo cauſalitatis gradu: ſicut perfectio quę eſt maior in homine, quàm in brutis, non obſtat quo minus ſynonymè in animalis conueniat.

## ARTICVLVS SECVNDVS,

*De diſtinctione Cauſarum interſe.*

NOtandum primò nos in cauſa tria conſiderare, *Rem* quæ cauſa dicitur, *Cauſalitatem*, & *Relationem* ipſius cauſæ ad effectum.

Nota ſecundò cauſam aliquam poſſe, vel ad rem eamdem, vel ad diuerſam comparari, quærendo ſcilicet an eadem res poſſit reſpectu eiuſdem rei exercere duplicem, aut multiplicem cauſalitatem: an ſolùm reſpectu diuerſarum. His notatis, ſit.

*Prima propoſitio.*

FIeri poteſt vt cauſæ primo modo ſumptæ, nempe materialiter, ſint realiter diſtinctæ.

Patet primò de materiali, & formali, quæ ſũt res inter ſe diſtinctæ, vt in propriis locis demonſtrauimus.

Deinde datur aliqua cauſa efficiens, quæ nullum habet cum materia, & forma commercium, vt Deus & Angelus: finis item aliquis, vt potè Deus, qui tamen non modò à cauſis materiali & formali, ſed etiam ab efficiente creata realiter diſtinguitur: ergo cauſæ hoc primo modo, nempe materialiter ſumptę, poſſunt eſſe realiter diſtinctæ.

*Secunda propoſitio.*

NOn eſt neceſſe vt cauſæ materialiter ſumptæ cum diuerſis rebus collatæ, ſint realiter diſtinctæ, ita vt vnica cauſa reſpectu diuerſarũ rerum non poſſit exercere multiplicem cauſalitatem.

Probatur exemplis innumeris: nam imprimis anima collata cum materia, & toto compoſito habet rationẽ cauſę formalis reſpectu potẽtiarũ ſuarũ materialis, vt ſcilicet materialis cauſa ſumatur pro ſubiectiua: collata verò cũ actibus ſuarũ potẽtiarũ efficientis, tandemque finalis reſpectu generationis quæ ad illam tendit, & ordinatur. Item idem numero intellectus habet rationem cauſæ efficientis, & materialis ſimul, ad diuerſa comparatus; efficientis, ſi cum intellectione comparetur;

Digitized by Google

materialis verò ſi conferatur cum habitibus & ſcientiis, quas in ſe tanquam in ſubiecto recipit: ergo cauſa materialiter ſumpta poteſt obtinere plures, imò omnes cauſalitates, ſi ad diuerſa comparetur.

Dixi, *Poteſt*: quia non eſt neceſſe, vt quælibet cauſa poſſit exercere quamlibet cauſalitatem: ſi quidem Deus eſt vera cauſa finalis, & efficiens; materialis tamen, aut formalis eſſe nequit, cùm ambæ ſint incompletæ, & imperfectæ, quod pugnat contra omnimodam Dei perfectionem. Angeli item cauſalitatem formæ exercere non poſſunt, cùm ſint entia completa, & perfecta; neque materiæ, ſi illa propriè, & ſtrictè ſumatur: quia ſic dicit aliquid incompletum, quod non cadit in Angelos.

Dixi, *ſi materia ſtrictè ſumatur*: nam ſi eam latè vſurpes pro cauſa ſubiectiua, poterit haud dubiè ipſius cauſalitas Angelis cõpetere, cùm ſint ſubiecta ſuarum facultatum, & operationum, vt omnes fatentur.

*Tertia propoſitio.*

EAdem res poteſt ſimul habere vnius eiuſdémque reſpectu plures cauſalitates, non tamen omnes.

Prior pars facilè probatur exemplis: Siquidem idem intellectus comparatione eiuſdem intellectionis ſimul eſt cauſa efficiens, & materialis: Efficiens quidem, quatenus illam elicit: Materialis verò, prout eam elicitam in ſe ipſo recipit: vbi latè ſumitur cauſa materialis pro quolibet ſubiecto. Item eadem viſio beatifica eſt finis hominis, quia propter illam operatur: eſt etiã forma accidentaria, eius intellectui inhærens vt docent Theologi communiter.

Poſterior verò pars probatur, cauſa materialis, & formalis, ad eundem effectum comparatæ diuerſas planè, & oppoſitas rationes ſortiuntur, vt eſſe actum, eſſe potentiam, informare, informari, &c. ergo eidem rei non poſſunt ſimul eiuſdem reſpectu competere, alioquin res vna, & eadem, vno & eodem reſpectu ſimul eſſet potentia, & actus, informaret, & informaretur: quæ omnia abſurda ſunt. Item nequit eadẽ res eſſe cauſa materialis propriè dicta, & ſimul efficiens, quia materia non cõcurrit actiuè, & efficienter, ſed paſſiuè ſolùm ad productionem formæ, ſe videlicet illi ſubſternendo: ergo reſpectu vnius eiuſdémque effectus, non poteſt res aliqua quamlibet ſortiri cauſalitatem.

*Prima propoſitio.*

CAuſæ ſecundo, & tertio modo ſũptæ, nimirum pro cauſalitate, & relatione ad effectum, ſunt verè, & propriè inter ſe diſtinctæ. Tota propoſitio patet explicatione omnium cauſalitatum quam inferiùs ſumus tradituri: Nam quod videbitur de cauſis ſumptis ratione cauſalitatum, idem erit iudicandum de illis ratione relationum ad effectus.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De comparatione cauſarum inter ſe.*

### MEMBRVM PRIMVM.

*Quanam cauſa ſint nobiliores.*

SI fiat comparatio cauſarum externarum cum internis, veriſſima eſt propoſitio externas eſſe longè nobiliores internis: Deus enim continetur ſub externis, fine ſcilicet, & efficiente, non item ſub internis, materia, & forma.

Si verò cauſæ extrinſecæ inter ſe comparentur, quid ſit ſtatuendum ſe-



Digitized by Google

quentibus propoſitionibus patebit.

*Prima propoſitio.*

CAuſa efficiens, & finalis materialiter ſumptæ poſſunt eſſe tam in Deo, quàm in rebus creatis eiuſdem perfectionis: vel etiam inæqualis & diuerſæ rationis.

Prior pars propoſitionis in Deo oſtenditur, quia ipſe vendicat ſibi rationem vtriuſque cauſe, efficientis ſcilicet, & finalis, quatenus propter ſe ipſum operatur.

Poſterior item pars in Deo probatur: Deus propter finem aliquem creatum, nimirum hominem, operari poteſt, vt omnes concedunt: ergo tunc eſt ratio cauſæ efficientis reſpectu Dei, nobilior infinitè quàm finalis, cùm hæc reperiatur extra illam.

## PRIMA DIGRESSIO MORALIS,

*Pro dignitate hominis.*

LIcet antecedens huius argumenti ab omnibus magna animi conſenſione admittatur, lubet tamen eius veritatem, ad oſtendendam hominis dignitatem plenius confirmare, & primò quidem ſic Deus conſtituit hominem dominum vniuerſorum, ergo valdè conſentaneum eſt aſſerere Deum, omnia propter illum, tamquam propter finem, condidiſſe: Huius præterea enthymematis antecedens multis modis probari poteſt: primò ex illo Geneſis 1. vbi Deus primos parentes alloquẽs, ſic ait: *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli: & vniuerſis animantibus quæ mouentur ſuper terram.* Secundò ex Pſal. 8. *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues & vniuerſa pecora campi: volucres cæli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.* Tertiò ex authoritate clariſſima D. Auguſt. hæc Pſal. 8. verba expendentis in Soliloq cap. 20. *Omnia* (inquit) *pedibus hominis ſubieciſti, vt tibi totus ſubiiceretur: & vt tunc totus eſſet homo, ſuper omnia dominatus eſt homo: exteriora cuncta pro corpore creaſti, ipſum verò corpus pro anima, animam verò pro te, vt tibi ſoli vacaret, & te ſolum amaret: poſſidens te ad ſolatium, cætera verò ad ſeruitium.*

Secundò, idem antecedens præcedentis argumenti oſtenditur: homo eſt compendium totius vniuerſi, & ex omnibus participat: ergo ſignum eſt omnia ad ipſum tamquam ad finem fuiſſe à Deo ordinata. Antecedens patet primò ex præfatione Ethicæ, vbi latè hanc hominis cum toto mundo comparationem tractauimus: patet rurſus ex illo Marci vlt. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*: i. homini; vt euidens eſt ex illis verbis immediatè ſequentibus: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Quæ verba non poſſunt aliis ab homine conuenire, & ea etiam eſt communis expoſitio Patrum, præſertim D. Greg. & Aug hominem vocantium creaturam omnem, quòd, vt dixi, aliquid ex omnibus participet. Videre adhuc ſi lubet D. Auguſt. 7. Soliloq. *Non eram* (inquit) *& creaſti me: nihil fueram, & de nihilo me aliquid feciſti: quale autem, vel piſcem, non ſerpentem, vel aliquid ex brutis animantibus, non lapidem, vel lignum, non ex eorum genere quæ tantùm habẽt eſſe: vel ex eorum quæ tantum eſſe poſſunt, & creſcere, & ſentire poſſunt: ſed ſuper omnia hæc voluiſti me eſſe ex his quæ habent eſſe, quia ſum: & ex his quæ habent eſſe, & creſcere, quia ſum, & creſco: & ex his quæ ſunt, & creſcunt, & ſentiunt, quia ſum, creſco, & ſentio: & paulominus parem mandaſti Angelis, quia rationem te cognoſcendi cum ipſis à te communem accepi.* Hoc loco nemo non videt hominem à D. Auguſt totius vniuerſi ſummam & compendium cõſtitui, proindéque operum Dei omnem finem.

## SECVNDA DIGRESSIO MORALIS
*contra peccatum.*

SI homo ſit finis omnium creaturarũ, vt probatum eſt, certè creaturæ ad Deum redire non poſſunt, niſi per hominem. Hinc euidenter ſequitur per peccatum non ſolùm deſtrui hominẽ, ſed & totum vniuerſum, omnéſque creaturas fruſtra eſſe: ſequitur inquam hoc modo: res eſt fruſtrà, quæ finem ſuum non poteſt aſſequi: at per peccatũ creaturę non poſſunt finem ſuum aſſequi, nempe Deum, quia ad Deum tendere nequeunt, niſi per hominem, hoc eſt, niſi homo ad ipſum Deum tendat: proindéque cùm per peccatum homo recedat à Deo, tantùm abeſt vt tendat ad eum, profectò clarum eſt contingente peccato creaturas omnes inutiles reddi, & ita remanere quaſi non eſſent. cùm quęlibet res ſit propter vſum & finem aliquem. Quemadmodum ſi quis ſeruo ſuo alium ſeruum ſubieciſſet, vt primus ille ſeruus melius ſuum munus exequeretur, ipſique ſeruiret, proculdubio hoc primo ſeruo officium ſuum negligenti, vel omnimodè relinquenti, ſeruus ille ipſi à domino datus, omnino inutilis redderetur: ſic quia ex D. Aug. citato creaturæ omnes ſeruiunt homini, vt ipſe Deo ſeruiat; cùm per peccatum ſeruire Deo deſinit, ſed ſe vel dęmonis, vel mundi, vel carnis ſeruitio mancipat, certè reddidit inutiles, & fruſtrarias creatureas.

Quod verò ſpectat ad creaturas, in illis prior pars prędictę propoſitionis oſtenditur: fieri enim poteſt vt aliqua res creata propter ſe ipſam, vt propter finem, vel propter aliud, ei tamen in perfectione omnino ęquale operetur: ergo in eo caſu duę illę cauſę finalis & efficiens, erunt eiuſdem perfectionis etiam in creaturis.

Poſterior quoque pars demonſtratur. Poteſt agens naturale agere propter finem longè ſe nobiliorem: verbi gratia propter Deum: ergo in eo caſu efficiens & finis etiam in creaturis, erunt inæqualis perfectionis, & finis longe ſuperabit efficientem.

*Secunda propoſitio.*

SI cauſa efficiens & finalis ſumatur ratione ſuarum cauſalitatum, non erunt æquales perfectionis, ſed mutuò ſe vincent.

Probatur, quia in eo videtur finis cauſalitas præſtare cauſalitati cauſæ efficientis, quod cauſa efficiens non operetur niſi propter finem & dependenter ab illo: ex alia verò parte cauſalitas cauſæ efficientis præſtantior eſt, quia magis realis, reuera enim cauſa efficiẽs magis realiter influit in effectum quàm finis, qui mouet tantùm agens ad agendum. Si denique cauſas internas materialem & formalẽ inter ſe compares, facilè erit concludere formam primas tenere, cùm forma ſit actus, materia verò potentia; omnis autem actus ſit prior, id eſt præſtantior, potentia.

## DIGRESSIO MORALIS CONTRA
*peccatum per modum admonitionis.*

SI forma eſt perfectior materia, quia eſt eius actus, gratia cæleſtis erit perfectior anima, quia eſt eius actus, & ſumma perfectio Deum afferẽs ſecum: Et ſi gratia perfectior eſt anima, ſanè longè peius eſt peccatum quàm mors, cùm peccatum gratiam tollat ab anima, mors verò tantùm animam à corpore ſeiungat: & ſi flendũ eſt pro morte, magis lugendum eſt pro peccato: vnde piè & rectè D. Bernardus hominũ ſtultitiam increpans exclamat: *Súntne in te precor, Chriſtiana viſcera charitatis? Plangis corpus à quo receſſit anima: & non plangis animam à qua receſſit Deus?*

Digitized by Google

## MEMBRVM SECVNDVM.

*An causæ ſibi mutuò poſſint eſſe causæ.*

AFfirmat Ariſtoteles 2. Phyſicorum cap. 3. tex. 1 affértque exemplum: *Nam*, inquit, *exercitatio actus boni eſt finis habitus, & habitus eiuſdem cauſa efficiens*: vt autem hoc Ariſtotelis effatum melius intelligatur.

Notandum eſt illud poſſe duplicem ſenſum obtinere. Quæritur enim an cauſæ ſibi mutuò poſſint eſſe cauſæ, vel in eodem, vel in diuerſo genere cauſæ. Quo notato ſit.

*Prima propoſitio.*

CAuſæ ſibi mutuò poſſunt eſſe cauſæ, in diuerſo genere cauſæ. Ita Ariſtoteles ſup. & omnes communiter, patétque primò aſſignato Ariſtotelis exemplo de exercitatione boni actus, & habitus; Accedit & aliud exemplum de ſanitate, & potione: ſanitas enim eſt cauſa finalis potionis, potio verò cauſa efficiens ſanitatis.

*Secunda propoſitio.*

POſſunt aliquando duæ cauſæ ſibi inuicem eſſe cauſæ in eodem genere cauſæ.

Probatur: intellectus eſt propter operationem, tanquam propter finem & viciſſim operatio propter intellectum, vt finem ſuum: ergo intellectus, & eius operatio eodem genere cauſæ, nempe finalis, ſibi mutuò ſunt cauſæ: Eadem eſt ratio de habitu cõparatione actus, vtérque enim eſt propter ſe mutuò, & erga ſe inuicem exercet cauſalitatem finis.

Obiicies. Quod eſt cauſa cauſę, eſt cauſa cauſati, ex communi Philoſophorum axiomate: ergo cauſæ ſibi mutuò nequeunt eſſe cauſæ: Conſeq: patet. Si cauſæ ſibi mutuò poſſent eſſe cauſæ, cùm materia eſſet cauſa formæ, & rurſus forma cauſa materiæ, materia eſſet ſui ipſius cauſa, ex illo axiomate, quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati, quod tamen intelligi non poteſt.

Reſpondet Scot. 4. ſentent. diſt. 49. q. 2 axioma prædictum, quod in obiectione ponitur loco antecedentis, dũtaxat eſſe verum, quando eadem ſeruatur cauſalitatis ſeries in effectibus à verbi gratia Solẽ eſſe cauſam caloris, quia eſt cauſa efficiens luminis, à quo item eſt efficienter calor, & ſic de cæteris, non tamen quando variatur genus cauſę, vt in propoſito.

Aptius diſtinguo anteced. quod eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati; mediatè, & per accidens, concedo; immediatè, & per ſe, nego Et ſic neganda erit conſequentia, quia fieri poteſt, vt vnum & idem ſit ſui ipſius cauſa mediata, & per accidens, modò non ſit immediata, & per ſe.

Inſtabis contra ſolutionem, ſi vnum eſſet ſui ipſius cauſa, etiam mediata, & per accidens, vnũ eſſet ſeipſo prius, & poſterius: nam quatenus cauſa, eſſet prius; quatenus verò effectus, eſſet poſterius, quod eſt abſurdum: ergo nulla ſolutio.

Diſtinguo anteced. vnum eſſet ſeipſo prius & poſterius; diuerſa ratione, concedo, ſeu quatenus ſimul cauſa & effectus; vna verò eadémque nego: & in hoc nulla planè apparet contradictio.

## ARTICVLVS QVARTVS.

*De cauſis cum ſuis effectibus comparatis.*

## MEMBRVM PRIMVM.

*Vtrum omnis cauſa ſit prior effectu.*

REpetendum eſt ex doctrina Logicorum aliquid poſſe dici prius alio duobus potiſſimum modis, primò naturæ ordine, ſicuti gradus ſuperiores dicuntur priores inferioribus: verbi gratia gradus animalis gradu hominis. Secundò ordine temporis, ſicut homo hodie

Digitized by Google

hodie natus dicitur prior homine qui cras naſcetur: hinc ſit.

*Prima propoſitio*

Cauſa, & effectus ſunt ſimul natura, & tempore, ſi conſiderentur quatenus correlata: tota propoſitio patet ex doctrina de relatis in Logica.

*Secunda propoſitio.*

Omnis cauſa, quatenus cauſa, eſt ſaltem ordine naturæ prior effectu.

Probatur, quod dat eſſe alteri, debet eſſe prius illo, ſaltem ordine naturæ: ſed omnis cauſa tribuit eſſe effectui, ex prædictis: ergo, &c.

Obiicies Ariſtotelem 3. Metaphyſ. cap. 2. generaliter aſſerere cauſam in actu ſimul eſſe cum effectu in actu.

Reſp. Ariſt. tantùm loqui de ſimultate temporis, non autem naturæ.

*Tertia propoſitio.*

Cauſa ordine temporis aliquando prior eſt effectu, aliquando non.

Vtraque pars probatur exemplis, prior quidem, quia Deus qui eſt cauſa, etiam ab omni æternitate habuit tantùm effectum in tempore, quod etiam patet in humanis; pater enim, qui eſt cauſa filij eum temporis duratione anteceſſit.

Pars item poſterior oſtenditur exẽplis, Sol enim qui eſt cauſa efficiens luminis nõ priùs fuit in cælo collocat⁹, quam lumen ſparſerit: Angeli non priùs à Deo creati ſunt, quàm actus meriti, vel demeriti exercuerint, vt agnoſcunt Theologi tract. de Angelis, eadémque eſt ratio de cæteris, quibus conſtat cauſam aliquando ordine temporis non eſſe priorem effectu.

## MEMBRVM SECVNDVM.

*De comparatione Cauſæ cum effectu in dignitate.*

*Prima propoſitio.*

Si cauſa conſideretur vt cauſa eſt, & effectus vt effectus eſt, ſeu ratione cauſalitatis & effectibilitatis (ſi ita loqui fas ſit) cauſa erit ſemper nobilior effectu. Probatur, nobilius eſt dare quàm accipere & eſſe independens quàm dependere: ſed cauſa, vt cauſa, dat eſſe effectui: effectus verò, quatenus effectus recipit, cauſa eſt indepẽdẽs ab effectu, effectus autem à cauſa dependet: ergo, &c.

## DIGRESSIO MORALIS PRO *Eleemoſyna.*

Rectè dixit Iſaias cap. 12. *Notas facite in populis adinuentiones eius.* Mirabiles fuerunt omnes Chriſti inuentiones, ſed duæ potiſſimum, vna in myſterio Euchariſtiæ, vbi dona confert hominibus; altera in eleemoſyna, vbi munera accipit ab iiſdem hominibus: illic diuitias ſuas patefacit, & ſe hominibus ſuperiorem oſtendit: hîc hominem expectat diuitias (& ſi liceat dicere) ſe illis quaſi inferiorem videri vult: magna hæc eleemoſinæ vis quæ hominem Deo reddit ſuperiorem; ſuperioris eſt dare & inferioris accipere, in eleemoſina dat homo, recipit Deus, Matth. 25: *quod vni ex his minimis fratribus meis feciſtis, mihi feciſtis*, quare in hoc homo aliquantulum, ſumma tamen Dei miſericordia, Deo efficitur ſuperior, qui infinitè inferior eſt. Quæ tamen maior eleemoſyna cogitari poteſt, in qua Deus ab homine munera quærit temporalia pro quibus promittit æterna? Audiatur D. Auguſt. lib. 25. de verbis Domini: *Da mihi ex eo quod dedi tibi: de meo quæro: da & redde: habuiſti me largitorem, fac me debitorem, habeam te fœneratorem: temporalia mihi das, æterna tibi reſtituam. te ipſum tibi reddam, quando te mihi reddideris*: Et in Epiſtolis: *Si vis eſſe mercator optimus, fœnerator egregius, da quod non potes retinere, vt recipias quod*



Digitized by Google

*non poteris admittere: da modicum, vt recipias centuplum: da temporalem poſſeſſionem, vt conſequaris hæreditatem æternam.* Audiatur D. Chryſoſtom. ſuper illud Matth. 6. *Nolite theſaurizare*, &c. ipſam eleemoſymam tam efficaciter, licet alio nomine, ſcilicet prudentiæ & ſapientiæ commẽdans: *Quæ ſtultitia eſt illic relinquere, vnde exiturus es? & illic non præmittere, quo iturus es? Qui collocat theſaurum in terra, non habet quod ſperet in cælo: vt quid reſpiciat in cælum, vbi nihil habet repoſitum? Quidquid pro anima tua feceris, hoc tuum eſt: quod autem reliqueris, perdidiſti.* Audiatur tandem diuinus Chryſologus ſerm. 25. *Si regnaturos vos, ſi regnaturos, ſi iam vos diuites creditis in ſupernis, vbi futuri, quo migraturi, vbi regnaturi eſtis, vos illa quæ veſtra ſunt iam præcedant.* Et hoc iam aliunde actum, nempe ad moralia, iam ad propoſitum redeundum.

*Secunda propoſitio.*

Finis vltimus verus ſemper eſt nobilior effectu, non tamen exiſtimatus, & apparens.

Prior pars eſt in fide certiſſima, etenim Deus eſt finis ille vltimus verus, cuius effectus nullus tantæ poteſt eſſe dignitatis, vt eius perfectionem adæquet.

Poſterior verò pars patet, quia fieri poteſt vt aliquis vanum aliquod, & inſenſibile idolum ſibi tanquam finem vltimum ſtatuat, ac propter illud operetur, cùm tamen idolum eiuſmodi ſit longé ignobilius hominis operatione.

*Tertia propoſitio.*

Finis non vltimus aliquando nobilior eſt effectu, aliquando ignobilior.

Prior pars patet exemplo: Gratia diuina, verbi gratia, poteſt eſſe finis non vltimus actionum humanarum, quia homo illas propter gratiam exercebit, ſeu vt conſequatur gratiam: ſed gratia his actionibus longé nobilior eſt: ergo finis non vltimus aliquando nobilior eſt effectu.

Poſterior verò pars hoc exemplo illuſtratur: poteſt lucri cauſa quis in philoſophiæ ſtudium incumbere: atqui iſtud philoſophiæ ſtudium longe nobilius eſt quocumque lucro: ergo finis non vltimus poteſt eſſe ignobilior effectu.

*Quarta propoſitio.*

Cauſa omnis efficiens vniuoca, eſt eiuſdem perfectionis eſſentialis cum ſuo effectu.

Probatur, cauſa vniuoca ſemper intendit producere ſibi aliquid ſimile in ſpecie, numquam producit effectum eleuatioris ſpeciei: ergo cùm omnia eiuſdem ſpeciei indiuidua ſint eiuſdem perfectionis eſſentialis, cauſa vniuoca erit eiuſdem planè perfectionis eſſentialis cum ſuo effectu.

*Quinta propoſitio.*

Cauſa æquiuoca poteſt eſſe nobilior effectu, hoc tamen non eſt neceſſarium.

Prior pars oſtenditur exemp. quia Deus eſt cauſa æquiuoca prima, vt omnes ſciunt, & magis infrà conſtabit: Nulla autem res ad eius perfectionem accedere poteſt.

Poſterior verò pars ſimiliter patet: nam cœlum, & Sol ſunt cauſæ æquiuocæ multorum animalium quibus in dignitate cedunt.

*Sexta propoſitio.*

Cauſa inſtrumentalis poteſt eſſe ignobilior effectu: poteſt etiam è contrariò eſſe nobilior.

Prior pars eſt euidens, quia accidens poteſt eſſe cauſa inſtrumentalis ſubſtantiæ, verbi gratia, calor ignis: Conſtat autem accidens eſſe ignobilius

Digitized by Google

ſubſtantia.

Poſterior vero pars etiam declaratur Etenim poteſt Deus aſſumere naturam aliquam ſuperiorem, putà Angelicam, tanquam inſtrumétum ad creationem alicuius inferioris, vt potè lapidis, vel alterius depreſſioris adhuc ordinis:ergo in eo caſu cauſa inſtrumentalis erit nobilior effectu.

*Septima propoſitio.*

Compoſitum quod eſt effectus materiæ & formæ perfectius eſt alterutra ſolitariè ſumpta,nõ tamen vtráque collectiuè ſumpta.

Prior pars patet, quia compoſitum vtriuſque partis perfectionem complectitur, & non vnius tantùm.

Poſterior probatur ex communi illa ſententia quam ſuprà tradidimus, quod totum nihil ſit à parte rei pręter partes vnitas:ſic enim vt entitate eas non excedit, ita nec perfectione, quæ eſt entis proprietas, & cum illo recurrit.

*Vltima propoſitio*

Cauſa exemplaris poteſt eſſe perfectior effectu,& eiuſdem perfectionis.

Prior pars clara eſt exemplis: Diuina eſſentia eſt exemplar creaturarum ſecundùm communes perfectiones, vt ſuprà docuimus: Item, Rex depingendus,eſt exemplar ſuæ imaginis, quam pictor delineauit:ac certum eſt Deum creaturis,& Regem ſua imagine longè nobiliorem eſſe: ergo exemplar poteſt eſſe nobilius ſuo effectu.

Altera etiam pars probatur exemplo fieri poteſt, vt aliquis pictor habeat imaginem quandam, v. g. Cæſaris, tanquam exemplar alterius in eadem perfectione depingendæ: ergo tunc exemplar erit eiuſdem perfectionis eſt cum effectu.

*Hæc de Cauſis in communi.*

## SECTIO SECVNDA.

*De cauſis ſpeciatim.*

## QVESTIO PRIMA.

*De Cauſa materiali.*

De materia & forma egimus,quatenus ſunt interna generationis, & compoſitionis principia. Nunc de iiſdem breuiter agemus quatenus habét, rationem cauſæ: iniquiremúſque in quo earum conſiſtant cauſalitates.

Quod ſpectat ad materiam. dicendum eſt in ea duplicem eſſe cauſalitatẽ alteram reſpectu formæ quam ſuſcipit, alteram reſpectu compoſiti quod conſtituit.

Prior cauſalitas conſiſtit in actuali formæ ſuſceptione. Poſterior in conſtitutione partiali corporis naturalis: Ambæ autem illę cauſalitates non ſunt diſtinguendæ tanquam duæ res in materia ipſi ſuperadditæ, ſed duntaxat tanquam duo modi ab ea ſola ratione diſtincti,quos habere intelligitur,cum formã ſuſtẽtat, & cùm ipſa forma cõpoſitum naturale cõſtituit,fruſtra enim entia multiplicantur,quando nulla eſt neceſſitas, vt hoc loco.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*De cauſa formali.*

Vt in materia, ſic in forma, duplex aſſignari poteſt cauſalitas: altera reſpectu materiæ quam informat: altera reſpectu compoſiti quod cõſtituit.

Prior cauſalitas conſiſtit in actuali materiæ informatione. Poſterior in partiali conſtitutione compoſiti.

Vtráque cauſalitas concipienda tantum eſt tãquam duplex formæ modus, quem ſortitur cùm informat materiam, & ſimul compoſitum conſtituit.

Difficultas quædam eſt, vtrum hæc formæ cauſalitas reſpectu materiæ ſit vera & propriè dicta; & ratio difficultatis ex eo petitur, quòd forma nullum eſſe materiæ communicet, ſed ipſa materia habeat eſſentiam

& exiſtentiã independenter à forma, imò poſſit ſine forma in rerum natura conſiſtere, ſicut accidens, verbi gratia, quantitas vbi ſeparatur à ſubiecto, cum tamen omnis cauſa propriè dicta debeat ſuo effectui aliquod eſſe tribuere, vt ſuprà diximus.

Ob eam difficultatem nonnulli arbitrati ſunt cauſalitatem formę erga materiam non eſſe propriè dictam, ſed tantùm impropriè: Nec propriè materiam à forma dependere; ſed tantum impropriè. Satiùs tamen eſt aſſerere cauſalitatem formæ erga materiam eſſe propriam: etenim quantumuis materia habeat ſuam eſſentiam, & exiſtentiam diſtinctam ab eſſentia, & exiſtentia formę, ab ipſa tamen forma non deſiuit per ſe in ſuo eſſe dependere, quoniam ita fuit à natura conſtitutum vt numquam materia in natura permaneret, niſi formæ iuncta, ac proinde dependenter à forma, quod ſufficiens eſt vt forma dicatur cauſa materiæ, & circa illam cauſalitatem aliquam exercere cenſeatur.

## QVÆSTIO TERTIA.

*De cauſa efficiente.*

### ARTICVLVS PRIMVS.

**De nomine & varia acceptione Cauſæ efficientis.**

CAuſa efficiens bifariam ſumitur: Primò generatim pro qualibet cauſa. Secundò ſpecialius & magis propriè, pro illa ſpeciali cauſa quæ vocatur efficiens, & ab aliis in eo diſtinguitur, quòd ab efficiente res fit, vt mundus à Deo, & filius à patre, non itẽ à reliquis cauſis materiali, formali, finali, & exemplari, vt ſupra dixmus.

### ARTICVLVS SECVNDVS.

*De exiſtentia Cauſæ efficientis.*

TOtius vniuerſi creatio, cauſam efficientem exiſtere palam teſtatur: teſtatur inquam exiſtere cauſam efficientem, ſed primam & ſupremam, à qua omnia, & in fieri, & in conſeruari dependent.

Sed difficultas eſt; Vtrum præter cauſam illam efficientem primam, nempe Deum Opt. Max. dentur aliæ inferiores. Naſcitur difficultas ex eo quòd dicat D. Paul. *Deum omnia operari in omnib*. ex his enim verbis deducunt nonnulli ſolum Deum eſſe cauſam efficientem omnium rerum, nullámque aliam inferiorem eſſe admittendam.

Verùm hoc malè deducitur: ſi quidẽ ex illis Apoſtoli verbis dumtaxat colligitur Deum ad omnes effectus neceſſariò debere concurrere, non tamen ſe ſolo abſque aliis inferioribus cauſis omnia efficere.

Qua propter concludendum eſt præter cauſam illam primam efficientem alias inferiores eſſe admittendas quæ ad ſpeciales ſuos effectus concurrãt.

Probatur, efficientia intellectionis tribuitur homini, & non lapidi: ignis dicitur ignem producere, non aqua ignem, & ſic de aliis: præter cauſam primam efficientem, admittendæ ſunt aliæ inferiores, verbi gratia homo tanquam efficiens cauſa intellectionis & ignis tãquam efficiciens cauſa alterius ignis, & calefactionis.

Confirmatur, ſi daretur tãtùm cauſa prima efficiens, & nulla alia ſecunda, homo nihil ageret, ſed Deus eſſet qui in homine ageret: atqui hoc valdè abſurdum eſt, ergo, &c. Maior patet. Nam ſi homo nihil agit, non poteſt peccare, quia tantùm poteſt peccare agendo aliquid contra diuinam volũtatem & legem, & ſic non fuit Iudas qui tradidit Chriſtum Dominum, ſed Deus qui in Iuda ipſum tradidit: non fuerunt Iudæi qui ipſum Chriſtum apprehenderunt, vinculis ligauerunt, flagellauerunt, cruci affixerunt, transfixe-

Digitized by Google

erunt, ſed Deus in Iudæis, & ita nec Iudas & Iudæi peccauerunt: ſed ſi quod ſit peccatum in hoc, Deo tribuendum eſt, maléque, & iniuſtè, & Iudas & Iudæi in inferno puniuntur, quæ omnia abſurda ſunt.

Ad hunc articulum ſpectant diuiſiones cauſæ efficientis, quarum hæc.

Prima eſt in cauſam efficientem per ſe; & cauſam efficientem per accidẽs; illa eſt à qua per ſe pendet oritúrque effectus, vt architectus reſpectu ædificij: Cauſa verò per accidens ea dicitùr, à qua vt talis eſt non pendet effectus, vt eſt medicus reſpectu domus, & Logicus reſpectu ſtatuæ.

Secunda diuiſio eſt in cauſam phyſicam: & moralem.

Cauſa efficiens phyſica illa eſt quæ realem, & phyſicum habet influxum in effectum, vt pater reſpectu filij, Sol reſpectu eorum quæ ab ipſo generantur, & ſic de cæteris.

Cauſa verò moralis illa eſt quæ non quidem influit realiter in effectum, ſed tantùm mouet agens, vt producat illum, quo fit vt ei tribuatur talis effectus: quomodo docent Theol. 3 parte, incarnationem eſſe cauſam moralem gratiarum, quæ Chriſto collatæ ſunt, quia licet realiter ad illas conferendas nõ concurrerit, moraliter tamen concurrit, in quantum mouit diuinam bonitatem; vt ſpectata dignitate ipſius vnionis hypoſtaticę, quæ in Chriſto erat, illi conferret eiuſmodi gratias.

Tertia diuiſio eſt in cauſam principalem, & inſtrumentalem.

Principalis cauſa ea dicitur, quæ virtute propria producit effectum, vt homo hominem, & equus equum.

Cauſa verò inſtrumentaria, quæ non propria virtute, ſed in virtute principalis cauſæ producit effectum, non quòd non habeat virtutem aliquam ſibi intrinſecam ad talem effectum producẽdum, hoc enim experimento quod habetur de calore ignis, & aliis eiuſmodi inſtrumentis repugnat: ſed quod virtus illa quam habet, ſit inſufficiens, & improportionata ad effectum producendum, tantúmque ipſa inſtrumẽta vim habeant operandi iuxta menſuram virtutis principalis agentis, vt expreſſis verbis obſeruat Suarez 1. tomo Metaphyſicæ, diſput. 13. ſect. 2. numer. 19.

Porrò cauſa illa inſtrumentaria duplex: altera quæ non agit niſi mota, vt calamus: altera quæ per ſe agit, vt calor ignis qui calefacit.

Quarta diuiſio eſt in cauſam *vniuocam, æquiuocam*.

Vniuoca eſt illa quę producit effectum ſibi ſecundum ſpeciem, & naturam ſimilem, vt homo hominem, leo leonem, & ſic de cæteris.

Æquiuoca verò illa dicitur quæ cõcurrit ad productionem multorum effectuũ ſibi ſecundum ſpeciem diſſimilium, vt Deus, Sol, & cæteræ cauſæ vniuerſales. Ad quam diuiſionem reuocari poteſt illa quæ traditur in cauſā *ſingularem & vniuerſalē*: Illa enim eadem eſt cum *vniuoca*: hæc coincidit cum *æquiuoca*.

Quinta diuiſio eſt in *proximam & remotam*. Proxima dicitur quæ immediatè, hoc eſt nullâ aliâ intermediâ cauſa producit effectum, vt pater filium. Remota verò quæ aliqua principali cauſa interiecta concurrit ad productionem effectus, vt Sol comparatione caloris quam mediante lumine producit.

Sexta eſt in cauſam *primam & ſecundam*.

Cauſa prima eſt ſolus Deus, ſub ſecũda comprehenduntur omnes aliæ inferiores.

Vltima diuiſio eſt in cauſam *tota-*



Digitized by Google

*lem & partialem.*

Totalis eſt quæ ex ſe ſola poteſt producere effectum, nec ad hoc exigit miniſterium alterius cauſæ eiuſdem ordinis, vt equus ſe ſolo currum trahens. Dixi eiuſdem ordinis: nam reuera non deſinit haberi totalis cauſa, tamet ſi primæ cauſæ ope indigeat ad productionem ſui effectus, quia videlicet ipſa cauſa prima eſt alterius ordinis à ſecunda.

Partialis verò contrà, illa eſt quæ cū alia cauſa, & non ſe ſola producit effectum, vt equus cum altero equò currum trahens, quem per ſe ſolum trahere non poſſet.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De eſſentia cauſæ efficientis.*

### MEMBRVM PRIMVM.

*De eius definitione.*

HAc definitio Cauſæ efficientis legitur apud Ariſtotelem 2. Phyſicorum c. 3. & 5. Metaphyſicorum cap. 1. Cauſa efficiens eſt id vnde primum eſt mutationis, & quietis principium, ſeu *Cauſa efficiens*, eſt primum principium, vel cauſa, à qua primò eſt, oritúrque mutatio, vel quies.

Principium generis partes tenet.

Additur *primum*, ad diſtinctionem formę, quę potius videtur terminus mutationis quàm primum eius principium.

Poſtea adiungitur, à quo primò eſt, oritúrque mutatio & quies, vt ſtatuatur diſcrimen inter cauſam efficientē, & alias cauſas, putà materiam, formā, finem & exemplar, à quibus propriè non fit mutatio, ſed in materia recipitur, ad formam terminatur, propter finem peragitur, & ad exemplar fit.

Per mutationem aptiùs intelligerem actionem, vt hæc definitio cauſę efficientis conueniat etiam primę cauſæ creati: nam creatio propriè mutatio non eſt, vt ſuo loco dicetur.

### MEMBRVM SECVNDVM

*De cauſalitate cauſæ efficientis.*

DE ea occurrunt duæ oppoſitę Philoſophorum ſententiæ.

Prior ſatis communis Alberti Mag. lib. 1. Phyſicorum tract. 2. cap. 6. D. Thomæ 5. Metaphyſicæ c. 2 Suaris 1. tom. Metaphyſicæ diſp. 18. num. 5. Conimbr. in c. 7 lib. Phyſic qu. 7. art. 2. & multorum aliorum, cauſalitatem cauſæ efficientis in actione conſiſtere.

Contraria tamen ſententia, quam docuerunt Herueus quodlib. 2. q. 1. Iauell. 5. Metaphyſic. q 4. & alij nobis videtur longè probabilior. Cauſalitatē cauſæ efficientis nequaquam in actione conſiſtere, ſed in ipſo influxu in effectum.

Quòd non in actione conſiſtat, his modis confirmatur: in eo non conſiſtit cauſalitas cauſæ efficientis, ſine quo cauſa efficiens eſt formaliter cauſa: atqui ſine actione cauſa efficiens intelligitur formaliter eſſe cauſa: ergo in actione non conſiſtit eiuſmodi cauſalitas cauſæ efficiētis. *Maior eſt ſine dubio vera. Probatur minor primo*: Cauſa efficiēs eſt formaliter cauſa reſpectu actionis, ipſáque actio eſt effectus cauſæ efficientis: ergo ſine actione cauſa efficiens eſt formaliter cauſa.

Probatur ſecundò, ſine eo cauſa efficiens intelligitur eſſe formaliter cauſa, quòd ab illa realiter natura & eſſentia diſtinguitur; atqui actio eſt realiter natura & eſſentia à cauſa efficiente diſtincta: verbi gratia calefactio ab igne: tùm quia ex dictis eſt eius effectus: tùm quia actio eſt idem realiter çum ipſo termino qui producitur à cauſa efficiente, vt infrà probabitur: vt talis terminus eſt realiter diſtinctus à cauſa, ſaltem terminus actionis tranſeuntis, vt calor reſpectu calefactionis: ergo ſi-

Digitized by Google

ne actione poteſt cauſa efficiens eſſe formaliter cauſa; ergo in ea non cõſiſtit eius cauſalitas, ſed in ipſo influxu, qui reſidet in cauſa, & quo mediante cauſa ipſa prorumpit in actum. Quod ſatis deducitur ex dictis, cùm dempta actione nihil aliud poſſit intelligi quo efficiens cauſa dicatur eſſe formaliter cauſa, præter ipſum influxũ & virtutem, cuius beneficio valet ſuos actus producere.

Rogabis qui ſit ille influxus?

Reſp. illum ſpectari dupliciter, vel in actu primo: vel in actu ſecundo. Si ſpectetur in actu primo, nihil eſt aliud quàm *virtus ipſius cauſæ per quam efficienter concurrit ad productionem effectus*: Si verò conſideretur in actu 2. nihil actuale eſt aliud quam *modus aliquis, ſeu applicatio cauſæ efficientis ad opus & actionem exercendam*: atque in contrarium nihil eſt quod vrgere videatur, vt patebit.

Obiic. tamen pro contraria ſentent. cauſalitas cauſæ efficientis, eſt id per quod ipſa cauſa efficiens formaliter denominatur efficiens: atqui per ſolam actionem cauſa efficiens formaliter denominatur efficiens: ergo ſola actio poteſt eſſe cauſalitas cauſæ efficientis.

Reſpondeo negatione minoris, nã reuera oſtendimus cauſam efficientem eſſe formaliter cauſam ante ipſam actionem, & in ordine ad illam, tamquam ad effectum.

Rurſus obiic. cauſalitas cauſæ efficiẽtis eſt id cuius interuentu attingitur effectus à cauſa: atqui ſola actio talis eſt, nam quælibet alia intermedia entitas inter actionem & cauſam, ipſa actione intermedia attinget effectum: ergo actio eiuſmodi rectè ſtatuetur cauſalitas cauſæ efficientis.

Diſtinguo maiorem, cauſalitas cauſę efficientis eſt id cuius interuentu attingitur effectus à cauſa, tam immediatus, nimirum actio, quàm mediatus, ſcilicet terminus, concedo; mediatus tantùm nego. Et ſic ad minorem dico iufluxum cauſæ efficientis eſſe id cuius interuentu vtrumque effectum, actionem ſcilicet, & terminum producit, non verò actionem; ideoque influxum eſſe cauſalitatem cauſæ efficientis, non actionem: fateor certè vtrámque ſententiam eſſe difficilem: priorem, quia contra eam pugnant fortiſſima argumenta, vt patet: poſteriorem vero noſtram, quia in explicando illo influxu nonnihil habet negotij. Sed melius eſt ſub difficili explicando modo rem certam tenere, quàm ſub facili falſam, & facile argumentorum impetu frangendam ſuſtinere.

## ARTICVLVS QVARTVS.
*De affectionibus cauſæ efficientis.*

### MEMBRVM PRIMVM.
*Vtrum poſſit dari effectus à pluribus cauſis totalibus.*

HÆc quæſtio non ſolùm ſtatuitur de cauſis efficientibus, ſed etiam de aliis: ad cuius explicationem.

Notandum eſt primò, cauſas totales vel eſſe eiuſdem ordinis, vt duo ignes; vel diuerſi, vt Sol, & homo, hinc duplex præſentis quæſtionis ſenſus. Prior, an idem effectus poſſit eſſe à pluribus cauſis totalibus eiuſdem ordinis. Poſterior, an poſſit à pluribus eiuſmodi cauſis totalibus, ſed diuerſi ordinis proficiſci.

Notandum ſecundò cauſas alias dici eiuſdem generis, quæ nimirum ſpectant ad aliquod determinatum genus cauſæ, vt omnes efficientes, vel finales: alias diuerſi generis, quæ ſcilicet pertinẽt ad diuerſa cauſarum genera, v.g. finalis, & efficientis: & hæ cauſæ à cauſis

diuerſi ordinis in eo diſcriminantur, quòd cauſę diuerſi ordinis poſſint eſſe eiuſdem generis, vt pote Sol, & homo pertinentes ad genus cauſę efficientis, ideò tantùm diuerſi ordinis, quòd vel non ſunt æquè proximæ effectui, vel vna ſit vniuoca, altera æquiuoca.

*Prima propoſitio.*

POteſt produci idem numero effectus à duabus cauſis totalibus eiuſdem generis, efficientibus ſcilicet, vel finalibus, diuerſi tamen ordinis.

Probatur, ad productionem eiuſdē effectus concurrunt prima cauſa, & cauſa ſecunda, quæ quidem ſunt diuerſi ordinis, & in ſuo ordine totales: item Sol & homo generant hominem, ex Ariſtotele paſſim in libris de ortu cùm tamen Sol ſit cauſa æquiuoca, & homo vniuoca: ergo, &c.

Porrò cùm non dentur cauſæ materiales, & formales diuerſi ordinis, facilè intelligis eas non comprehendi in noſtra propoſitione quæ eſt tantum de cauſis totalibus eiuſdem generis, ſed diuerſi ordinis.

*Secunda propoſitio.*

DE abſoluta Dei potentia nequit idem nemero effectus à duabus cauſis efficientibus totalibus eiuſdem ordinis reduci, v. g., eadem calefactio à duobus ignibus totalibus.

Probatur, cauſa totalis ea dicitur quæ ſe ſola producit effectum ſine adminiculo alterius eiuſdem ordinis: atqui de potentia Dei abſoluta fieri non poteſt vt idē effectus ſit à duabus cauſis, quarum vtraque ſigillatim ſumpta producat illum totum ſine adminiculo alterius eiuſdem ordinis: Nam aut vnica tantùm producit, aut vtraque; ſi vnica, habetur intentum: ſi vtraque, ergo neutra ſe ſola, & ſine adminiculo alterius totum producit effectum: ergo per abſolutam Dei potentiam non poteſt idem numero effectus eſſe à duabus cauſis efficientibus totalibus eiuſdem ordinis.

Obiicit Suarez prim. tom. Metaphyſicæ, diſt. 26 ſect 4 num. 6. & ſequētibus, poſſunt duo homines ſimul ferre aliquod pondus, quod vnus tantùm ſeparatim ſumptus ferre potuiſſet: item poſſunt duo ignes eandem ſtupam cōburere, quam vterque ſolitariè ſūptus, etiam comburere potuiſſet: ergo eiuſdem effectus duæ dantur cauſæ totales efficientes eiuſdem ordinis.

Alij reſpondent ad antecedens, ex hypotheſi, quòd ſi cauſę illę ſint totales numquam ab illis futuros eſſe effectus, verbi gratia facta ſuppoſitione, quòd duo homines ſint ambo cauſæ totales ad ferendum pondus, & duo ignes ad efficiendam ſtupæ combuſtionem, nec ferri poſſe vnquam pondus illud ab ipſis hominibus, nec ſtupam appoſitam à duobus ignibus comburi. Quòd ſi dicas hoc videri paradoxum, & contra communem ſenſum.

Reſpondent nihil eſſe mirum; cùm ex principio magis paradoxo deducatur, quod nimirum eorum effectuum ſtatuantur plures cauſæ totales.

Alij reſpondent reuera ferri poſſe pondus à duobus illis hominibus, & ſtupam in medio duorum ignium poſitam ab ipſis comburi: ſed negant in hoc caſu cauſas eſſe totales propter rationem ſuperiùs allatam: dicūntque effectus illos ab altera ſuarum cauſarū ſeparatim ſumpta partialiter tantùm dependere. Hæ duæ ſolutiones eidem principio innituntur, quòd plures cauſæ totales non poſſint producere eundem numero effectum. Prior ideo negat productum, quia talis ponitur hypotheſis: poſterior admittit illum effectum, ſed tollit hypotheſim quòd dentur duæ cauſæ totales. Quæ vobis

magis

Digitized by Google

458



magis placuerit, illam eligite.

## MEMBRVM SECVNDVM.

*An effectus ille qui ab vna cauſa efficiente totali productus eſt, poterit idem numero ab alia produci.*

NOtandum primò effectum eſſe à cauſa dupliciter, primò per ſe & natura ſua, quo modo ignis eſt ab igne, homo ab homine. Secundò ex accidente, quo modo forma cadaueris eſt ab inferente mortem: neque enim qui mortem intulit per ſe, formam cadaueris intendebat producere, ſed tantũ rem de medio tollere, ad cuius interitum ipſa ſecuta eſt forma cadaueris.

Notandum ſecundò extra controuerſiam eſſe effectum qui ab aliqua cauſa per accidens productus eſt, eumdem numero ab alia produci potuiſſe: ſi quidem Petrus interimat Ioannem, ex hoc interitu ſequitur forma cadaueris in materia ipſius Ioannis interfecti, quæ pariter conſecuta fuiſſet, etſi Paulus vel Petrus ipſi Ioanni mortem intuliſſet. Tantùm igitur difficultas eſt de effectu qui ab aliquo cauſa per ſe producitur; an ab alia idem numero proficiſci potuiſſet, v. g. an Iſaac qui ab Abrahamo tanquã à cauſa totali productus eſt, potuerit idem numero ab alio homine, puta Loth, produci. Duæ ſunt ſententiæ: Prior affirmat id fieri poſſe, quam non pauci ſequuntur. Poſterior negat, quam multi amplectuntur. Nos abſolutè neutri fauemus, ſed tertiam aliquam longè faciliorem & probabiliorem eligimus, hácque duplici propoſitione explicamus.

*Prima propoſitio.*

VIrtute naturæ, effectus qui ab vna cauſa totali efficiente productus eſt, non potuit idem numero ab alia produci.

Fauet primò experientia, & communis conſenſus omnium, qui id, quod ſunt, patris eſſe fatentur; ita vt pro certo habeant, ſe nunquam generari potuiſſe niſi tales parentes extiterint.

Confirmatur, ſi idem numero effectus qui ab vna cauſa totali productus eſt, potuiſſet ab alia produci, ille à cauſa à qua productus eſt, non per ſe, ſed tantùm per accidens dependeret, quod eſt contra rationem effectus. Id verò ſequi facilé ſuadetur. Effectus ab illa cauſa per ſe non dependet, à qua non eſt determinatè productus, ſed effectus non eſt ab aliqua cauſa determinatè productus, qui naturaliter ab illa produci potuiſſet, vt conſtat: ergo effectus ille per ſe non dependet à cauſa qui naturaliter ab alia idem numero produci potuiſſet.

Obiicies, poſſunt dari duæ cauſæ conſeruantes quæ ita ſeſe habeant, vt quem effectum vna conſeruat, altera etiam conſeruare poſſit, verbi gratia, aër eſt cauſa conſeruans animalis, fieri poteſt vt Deus aliquid procreet ad eiuſdem animalis conſeruationem diſtinctum ab aëre, vel illud per ſe ipſum immediatè conſeruet; ergo ſimili modo fieri poteſt vt qui effectus ab vna cauſa efficiente totali productus eſt, ab alia produci potuerit.

Reſpondeo negando conſequens & negati ratio hæc eſt, quod multò plura ad productionem alicuius effectus requirantur, quàm ad eius conſeruationem, múltáque effectus ab aliis cauſis conſeruentur, quam ab iis à quibus ortum ſuum acceperunt, vt patet in animalibus, quæ per aërem conſeruantur, à quo tamen minimè producta ſunt.

Rurſus obiicies. Poſſunt aſſignari duę cauſæ, quarum vtraque ex æquo poſſit mortem inferre: ergo à pari fieri poteſt, vt quem effectum vna cauſa effi-



Digitized by Google

ciens producit, illum eumdem numero alia potuerit producere.

Neganda eſt cõſequẽtia Notum enim eſt omnibus longè plura eſſe requiſita ad eſſe conferendum quàm auferendum, faciliúſque eſſe hominem deſtruere, quàm adſtruere.

*Secunda propoſitio.*

PEr diuinam potentiam, effectus qui ab vna cauſa totali productus eſt, potuit idem numero ab alia produci.

Probatur: Deus vel per ſe ipſum immediatè, vel per aliquam creaturam, tanquam inſtrumentum, id omne præſtare poteſt, & omnem effectum producere, quem intermedia qualibet alia ſecunda cauſa, & particulari producit: ergo effectus ab aliqua cauſa efficienter productus, vt hic calor ab hoc igne, per diuinam potentiam potuit ab aliqua alia cauſa efficiente idem numero produci.

## APPENDIX AD HANC *ſectionem de actionibus cauſæ primæ.*

## SECTIO PRIMA.

*De Creatione*

## QVÆSTIO PRIMA.

*An creationem cognouerint Philoſophi.*

QVod attinet ad alios Philoſophos ab Ariſtotele, valdè probabile eſt eos creationem ignoraſſe, perpetuò negantes aliquid fieri poſſe ex nihilo; & propterea licet illi noluerint mundum ab æterno extitiſſe, aſſeuerarunt tamen materiam aliquam informem, quam Chaos appellarunt, Deo fuiſſe coæternam, & ex illa materia formas omnes fuiſſe eductas, ipſáque compoſita naturalia conſtituta.

Quod verò ſpectat ad Ariſtotelem mens illius de rerum creatione valdè videtur ambigua: Interdum enim eam videtur penitùs tollere, cùm docet mundum ab æterno extitiſſe, proindéque numquam ex nihilo fuiſſe productum: & cùm paſſim admittit vulgatum illud Philoſophorum naturalium axioma, ex nihilo nihil fit, quod eſt creationi contrarium: Interdum verò, & certè frequentius videtur illã admittere, vt cùm. 12. Metaphyſicorum tex. 38. docet cælum, & naturam à Deo pendere: vtique quia ab illo producuntur, cùm antea non eſſent, quod eſt creationi proprium. Idem etiam clariſſimè tradit 8 lib Phyſicorum de motore diſputans, quem ponit vnum rerum omnium principium quod non aliter dici poteſt, quàm quia ab illo primo motore omnia planè entia ortum acceperunt, cùm antea non eſſent, quod propriè eſt creari: denique totum iſtud expreſsè tradit in lib. de mundo ad Alexand. his verbis. *Vetus inquit, fama eſt, & quidem hæreditaria mortalium omnium, vniuerſa à Deo, & per Deum nobis eſſe conſtituta.*

Quibus omnibus exiſtimant aliqui ſe ſatis facere diſtinguentes duplicem creationem: vnam propriam, quæ includit nouitatem eſſendi, dicitque priùs rem non fuiſſe, quàm exiterit, quam ignoraſſe Ariſtotelem materiam mundumque ipſum ab æterno conſtituentem aſſerunt: Alteram latiùs ſumptam, vt non quidem dicit eſſendi nouitatem, ſed ſolam æternam dimanationem, eámque naturalem, & hanc volunt fuiſſe Ariſtoteli notam, vt patet ex locis ſupra citatis.

Verum licet iſtud de alijs rebus ab anima rationali probabiliter ſuſtineri poſſet, quãtũ tamen ad illam ſpectat, alia ratio in medium proferenda eſt: aut enim voluit ſimpliciter illam educi ex poteſtate materiæ, ſicque eſſe ma-

Digitized by Google

terialem quod maior pars Philoſophorum ab eius mente alienum eſſe arbitratur, vel propriè dictam eius creationem, & non ſolam æternam dimanationem à DEO, agnouit, quia conſtat non poſuiſſe ipſas animas rationales omnino improductas, nec etiam voluiſſe eas ab æterno extitiſſe ante infuſionem in corpora: proindeque cum nouitate eſſendi, & propriè loquendo creatas fuiſſe, ideoque probabilius arbitramur exploratam Ariſtoteli rationem non ſolum impropriam; ſed etiam propriam.

Sed ſtatim oritur difficultas. Ariſtoteles non potuit cognoſcere potentiam aliquam agendi infinitam, Deum enim eſſentialiter, & quidditatiue cognouiſſet, quod conſequi non potuit: Atqui ad creationis intelligentiam, potentiam aliquam infinitam noſſe oportet; quia creationem non poteſt ab alia potentia, quàm infinita, proficiſci: ergo non potuit Ariſtoteles creationem cognoſcere.

Quidquid ſit de minore, de qua ſtatim, Reſpondeo infinitam agendi potentiam non fuiſſe Ariſtoteli medium inueniendæ creationis, ſed eam alia via inueſtigaſſe, ex eo quòd videlicet res omnes ex ſe ipſis non fuerint, proindeque ab aliqua ſuprema cauſa produci debuerint: an verò ad hoc debuerit eſſe potentia aliqua agendi infinita in illa ſuprema cauſa, necne, relinquitur ex neceſſitate creationis inferendum.

## QVÆSTIO SECVNDA.

### *An Creatura aliqua poſſit eſſe cauſa creationis.*

NOtādū primò cauſā creationis eſſe duplicem: vnam inſtrumentalem, quæ non operatur in virtute ſua, ſed principalis agentis: quo modo à Theologis ſacramēta dicuntur cauſæ gratiæ: eò quòd ad illā producendam ab ipſo Deo aſſumantur. Alteram principalē quæ virtute ſibi intrinſeca & congenita producit effectum; ſiue interim virtus illa ſit naturalis, vt eſt vis in igne calefaciendi; ſiue ſupernaturali, vt eſt lumen gloriæ in beatis ad Deum clarè videndum.

Notandum ſecundò, creationem poſſe bifariam ab aliqua cauſa principaliter proficiſci. Primò independenter ab vlla alia ſuperiori cauſa, quo pacto creatio ad ſolum Deum pertinet, qui non modò creat, ſed etiam operatur omnia independenter à quocumque alio. Secundò dependenter à concurſu alterius cauſę ſuperioris; quo pacto tantùm quæri poteſt, an creatio poſſit eſſe à creatura tanquam à cauſa principali.

Notandum tertiò creationem vel eſſe totius entis creabilis, vel alicuius tantùm in particulari, ſicque dupliciter quęri poſſe, an creatura poſſit eſſe cauſa principalis creationis, ſcilicet vel totius entis creabilis, vel alicuius tantum in particulari. His ita notatis ſit.

*Prima propoſitio.*

CReatura poteſt eſſe cauſa inſtrumētalis creationis.

Probatur facilè non modo Philoſophorum, & Theologorum omnium conſenſu, ſed ipſa ratione clariſſima: Cauſa inſtrumenraria ea dicitur quæ non quidem propria, & naturali virtute, ſed virtute ſuperioris principaliſque cauſæ attingit effectum: atqui aliqua creatura, ſi non virtute ſibi naturali, ſaltem virtute Dei, tanquam cauſæ ſuperioris & principalis, poteſt opus creationis attingere, vt ex ſe patet, ergo, &c.

Confirmatur illis rationibus quibus infrà probabimus creaturam poſſe



Digitized by Google

ſe cauſam principalem creationis, multò enim fortius probatur poſſe eſſe inſtrumentalem.

*Secunda propoſitio.*

NVlla creatura, etiam dependenter poteſt incidere in opus creationis totius entis creabilis.

Probatur, ſi creatura aliqua poſſet exercere creationem totius entis creabilis, ſeipſam creare poſſet, quia ſub ambitu entis creabilis, comprehenditur; at nulla creatura ſeipſam creare poteſt: ergo &c.

*Tertia propoſitio.*

CReatura poteſt eſſe cauſa principalis creationis alicuius entis creabilis.

Hæc propoſitio eſt contra D. Th Schot. Ochamum, Suarem & alios. Propugnatur verò à paucioribus, ſed hac in re ſolidioribus.

Probatúrque hac ratione fundamentali, quod ad opus cuiuſcúmque creationis non requiratur virtus infinita, proindéque creatura ad illud promoueri poſſit. Non requiri verò ad quodlibet opus creationis vim aliquam agendi infinitam.

Probatur primò. Ex eo tantum effectu arguitur infinita potentia qui aliqua ratione poteſt dici infinitus: ſed effectus creationis alicnius nequit haberi infinitus, qnia eſt ens finitum & limitatum, ergo ex eo non poteſt argui potentia agendi infinita.

Secundò, ſi quæ eſſet ratio propter quam infinita agendi potentia ad quamlibet creationem exigeretur, eſſet illa potiſſimum, quod ens & nihil à quo deducitur infinité diſtent: Ideóque potentia infinita deſideretur quæ ex nihilo aliquid efficiat: atqui hæc ratio planè nulla eſt, nec inter ens quod creatur, & nihilum ex quo educitur, infinita reperitur diſtintia: ergo nulla ratio eſt propter quam requiratur vis agendi infinita ad quodlibet opus creationis.

Minor probatur primò, quia vt optimé argumentatur Durand. 2. ſent. diſt. 1. q. 4. num. 25. Ens & nihil propriè non diſtant, ſicut nec Propriè differunt, diſtantiæ enim, & diſcriminis ratio inter entia propriè dicta ſpectari debet, & ideò cœlum & nihil ſeu ſpatium imaginarium quod extra cœlum cogitatur, veré nec diſtare nec differre creduntur.

Deinde eſto, propriè diſtarent ens creatum & nihil, illa tamen diſtantia non eſſet infinita, quia ens creatum nó poſſet infinitis gradibus à nihilo diſtare, cum eos in ſe non habeat: at verò quæ propriè diſtant infinité ſecundum gradus infinitos diſtare debent.

Denique ea diſtantia non poteſt dici infinita, ſi maior aſſignari poteſt: atqui maior diſtantia poteſt aſſignari quàm entis creati & nihili diſtantia: quia vt Deus plures entis gradus vendicat, quam ens creatum: ita etiam magis eſt remotus, & diſtans à nihilo, quàm ipſum ens creatum: Ergo non videtur diſtantia entis creati & nihili (ſi illa ſit propriè dicta) eſſe infinita.

Confirmatur, ſolutione obiectionum quæ à variis Philoſophis proponuntur, vt oſtendant repugnare quo minus creatura aliqua ſit principalis cauſa creationis alicuius entis.

Prima obiectio petitur ex ſacris literis & ſanctis Patribus, hoc modo: creatio ſoli Deo attribuitur: ergo non poteſt creaturæ competere, exigitque potentiam agendi infinitam. Antecedens his teſtimoniis probatur, Deuteronomij 32. Hæccine reddis Domino popule ſtulte, & inſipiens? Nunquid ipſe eſt pater tuus, qui fecit te, & creauit te? Eccleſ. 1. Vnus eſt altiſſimus creator om-

Digitized by Google

nipotens, & 2. *Machab.* 7. vbi mater illa ſeptem filiorum martyrum, poſtremum ſic ad patientiã adhortatur: Peto, nate vt aſpicias ad cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt, & intelligas quia ex nihilo fecit ea Deus, & hominum genus, vt non timeas carnificem iſtum. Quod etiam apertè docuerunt Patres, D. Cyrillus Alexand. lib. 2. in Iulianum: Inacceſſa naturæ ſunt ea quæ propria ſunt ſolius, & omnium ſummæ ſubſtantiæ, quorum vnum eſſe dicimus efficaciter operari poſſe vt creatorem, & producere res quæ aliquando non erant. D. Auguſt. lib. 5. de Geneſi ad litteram. cap. 15. Creare naturam tam nullus Angelus poteſt, quã creare ſeipſum: & in Soliloquiis cap. 9. Omnipotens manus tua Domine creauit in cœlo Angelos, & in terra vermiculos, non inferior in his, non ſuperior in illis: ſicut enim nulla alia manus potuit in cælo Angelos, ſic nulla alia potuit in terrâ creare vermiculos. D. Athanaſ. ſerm. 3. contra Arianos. Adminiſtrare creaturarum eſt, condere autem & create ſolius Dei, eiúſque Verbi & ſapientiæ.

Diſtinguo antecedens: creatio ſoli Deo attribuitur, actualis concedo, de qua loquuntur citata ſcripturę teſtimonia, poſſibilis nego.

Aliter diſtinguo, creatio ſoli Deo tribui poteſt, independenter à concurſu alterius cauſæ, verum eſt, & ſolum intentum à Patribus citatis; dependenter verò à concurſu Dei, falſum.

Adhuc alio modo diſtinguo, ſoli Deo creatio tribuitur totius entis creabilis, concedo; alicuius tantùm, nego.

Secunda obiectio eſt D. Thomæ, vt ſumitur 1. part. qu. 45. art. 5. Effectus vniuerſaliſſimus debet tantum referri ad cauſam vniuerſaliſſimam, nempe Deum, ſed creationis effectus eſt vniuerſaliſſimus: eſt enim ens in quantum ens: ergo debet reuocari ad cauſã vniuerſaliſſimam, nempe Deum, & ſic à creatura proficiſci non poteſt.

Diſtinguo minorem, effectus creationis eſt vniuerſaliſſimus; ſi ſit totius entis creabilis, concedo, quo modo ad ſolam cauſam vniuerſaliſſimam, putà Deum pertinet: ſi ſit alicuius tantùm entis creabilis nego: & hoc pacto dicimus creationem ab aliqua creatura eſſe poſſe.

Confirmatur hæc reſponſio, quia ſi effectus creationis alicuius tantum entis creabilis eſſet vniuerſaliſſimus, creatio totius entis creabilis non eſſet vniuerſalior, quia ſuperlatiuo nihil addi poteſt, quod tamen apertè falſum eſt.

Tertia obiectio ita habet, requiritur virtus ad creandum ſine proportione maior, quàm ad educendum aliquid ex paſſiuâ potentia ſubiecti ſeu materię: ergo vis creandi in infinita eſſe debet.

Probatur antecedens: eo maior requiritur potentia ad agendum, quo minor eſt potentia paſſiua ſubiecti: ergo cùm nulla eſt potentia paſſiua vt in creatione, quę fit ex nihilo, requiritur virtus, ſine proportione maior, quàm ad educendum aliquid ex paſſiua ſubiecti, ſeu materiæ potentia.

Reſpondeo conceſſo antecedenti negatione conſequentiæ, non enim requiritur vt quæ improportionata ſunt, à ſe inuicem infinitè diſtent, ſed ſatis eſt quod ſint diuerſi ordinis, quia proportio inter res tantum eiuſdem ordinis attenditur, ideóque lumen gloriæ quo beati clarè Deum intuentur, eſt quidem improportionatum cuilibet lumini naturali, ab eo tamen infinitè non diſtat: à pari, quod vis creandi ſit ſine proportione maior,



Digitized by Google

ſe cauſam principalem creationis, multò enim fortius probatur poſſe eſſe inſtrumentalem.

*Secunda propoſitio.*

NVlla creatura, etiam dependenter poteſt incidere in opus creationis totius entis creabilis.

Probatur, ſi creatura aliqua poſſet exercere creationem totius entis creabilis, ſeipſam creare poſſet, quia ſub ambitu entis creabilis; comprehenditur; at nulla creatura ſeipſam creare poteſt: ergo &c.

*Tertia propoſitio.*

CReatura poteſt eſſe cauſa principalis creationis alicuius entis creabilis.

Hæc propoſitio eſt contra D. Th Schot. Ochamum, Suarem & alios. Propugnatur verò à paucioribus: ſed hac in re ſolidioribus.

1. Probatúrque hac ratione fundamentali, quod ad opus cuiuſcúmque creationis non requiratur virtus infinita, proindéque creatura ad illud promoueri poſſit. Non requiri verò ad quodlibet opus creationis vim aliquam agendi infinitam.

Probàtur primò. Ex eo tantum effectu arguitur infinita potentia qui aliqua ratione poteſt dici infinitus: ſed effectus creationis aliénius nequit haberi infinitus, qnia eſt ens finitum & limitatum, ergo ex eo non poteſt argui potentia agendi infinita.

Secundò, ſi quæ eſſet ratio propter quam infinita agendi potentia ad quamlibet creatiónem exigeretur, eſſet illa potiſſimum, quod ens & nihil à quo deducitur infinité diſtent: Ideóque potentia infinita deſideretur quæ ex nihilo aliqnid efficiat: atqui hæc ratio plané nulla eſt, nec inter ens quod creatur, & nihilum ex quo educitur, infinita reperitur diſtintia: ergo nulla ratio eſt propter quam requiratur vis agendi infinita ad quodlibet opus creationis.

Minor probatur primò, quia vt optimé argumentatur Durand. 2. ſent. diſt. 1. q. 4. num. 25. Ens & nihil proprié non diſtant, ſicut nec proprie differunt, diſtantiæ enim, & diſcriminis ratio inter entia proprié dicta ſpectari debet, & ideò cœlum & nihil ſeu ſpatium imaginarium quod extra cœlum cogitatur, veré nec diſtare nec differe creduntur.

Deinde eſto, proprié diſtarent ens creatum & nihil, illa tamen diſtantia non eſſet infinita, quia ens creatum nó poſſet infinitis gradibus à nihilo diſtare, cum eos in ſe non habeat: at verò quæ proprié diſtant infinité ſecundum gradus infinitos diſtare debent.

Denique ea diſtantia non poteſt dici infinita, ſi maior aſſignari poteſt: atqui maior diſtantia poteſt aſſignari quàm entis creati & nihili diſtantia: quia vt Deus plures entis gradus vendicat, quam ens creatum: ita etiam magis eſt remotus, & diſtans à nihilo, quàm ipſum ens creatum: Ergo non videtur diſtantia entis creati & nihili (ſi illa ſit proprié dicta) eſſe infinita.

Confirmatur. ſolutione obiectionum quæ à variis Philoſophis proponuntur, vt oſtendant repugnare quo minus creatura aliqua ſit principalis cauſa creationis alicuius entis.

Prima obiectio petitur ex ſacris literis & ſanctis Patribus, hoc modo: creatio ſoli Deo attribuitur: ergo non poteſt creaturæ competere, exigítque potentiam agendi infinitam. Antecedens his teſtimoniis probatur, Deuteronomij 32. Hæccine reddis Domino popule ſtulte, & inſipiens? Nunquid ipſe eſt pater tuus, qui fecit te, & creauit te? Eccleſ. 1. Vnus eſt altiſſimus creator om-

Digitized by Google

nipotens, & 2. Machab. 7. vbi mater illa ſeptem filiorum martyrum, poſtremum ſic ad patientiā adhortatur: Peto, nate vt aſpicias ad cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt, & intelligas quia ex nihilo fecit ea Deus, & hominum genus, vt non timeas carnificem iſtum. Quod etiam apertè docuerunt Patres, D. Cyrillus Alexand. lib. 2. in Iulianum: Inacceſſa naturæ ſunt ea quæ propria ſunt ſolius, & omnium ſummæ ſubſtantiæ, quorum vnum eſſe dicimus efficaciter operari poſſe vt creatorem, & producere res quæ aliquando non erant. D. Auguſt. lib. 5. de Geneſi ad litteram. cap. 15. Creare naturam tam nullus Angelus poteſt, quā creare ſeipſum: & in Soliloquiis cap. 9. Omnipotens manus tua Domine creauit in cœlo Angelos, & in terra vermiculos, non inferior in his, non ſuperior in illis: ſicut enim nulla alia manus potuit in cælo Angelos, ſic nulla alia potuit in terra creare vermiculos. D. Athanaſ. ſerm. 3. contra Arianos. Adminiſtrare creaturarum eſt, condere autem & creare ſolius Dei, eiuſque Verbi & ſapientiæ.

Diſtinguo antecedens: creatio ſoli Deo attribuitur, actualis concedo, de qua loquuntur citata ſcripturę teſtimonia, poſſibilis nego.

Aliter diſtinguo, creatio ſoli Deo tribui poteſt, independenter à concurſu alterius cauſæ, verum eſt, & ſolum intentum à Patribus citatis; dependenter verò à concurſu Dei, falſum.

Adhuc alio modo diſtinguo, ſoli Deo creatio tribuitur totius entis creabilis, concedo; alicuius tantùm, nego.

Secunda obiectio eſt D. Thomæ, vt ſumitur 1. part. qu. 45. art. 5. Effectus vniuerſaliſſimus debet tantum referri ad cauſam vniuerſaliſſimam, nempe Deum, ſed creationis effectus eſt vniuerſaliſſimus: eſt enim ens in quantum ens: ergo debet reuocari ad cauſā vniuerſaliſſimam, nempe Deum, & ſic à creatura proficiſci non poteſt.

Diſtinguo minorem, effectus creationis eſt vniuerſaliſſimus; ſi ſit totius entis creabilis, concedo, quo modo ad ſolam cauſam vniuerſaliſſimam, puta Deum pertinet: ſi ſit alicuius tantùm entis creabilis nego. & hoc pacto dicimus creationem ab aliqua creatura eſſe poſſe.

Confirmatur hæc reſponſio, quia ſi effectus creationis alicuius tantum entis creabilis eſſet vniuerſaliſſimus, creatio totius entis creabilis non eſſet vniuerſalior, quia ſuperlatiuo nihil addi poteſt, quod tamen apertè falſum eſt.

Tertia obiectio ita habet, requiritur virtus ad creandum ſine proportione maior, quàm ad educendum aliquid ex paſſiua potentia ſubiecti ſeu materię: ergo vis creandi in infinita eſſe debet.

Probatur antecedens: eo maior requiritur potentia ad agendum, quo minor eſt potentia paſſiua ſubiecti: ergo cùm nulla eſt potentia paſſiua vt in creatione, quę fit ex nihilo, requiritur virtus, ſine proportione maior, quàm ad educendum aliquid ex paſſiua ſubiecti, ſeu materiæ potentia.

Reſpondeo conceſſo antecedenti negatione conſequentiæ, non enim requiritur vt quæ improportionata ſunt, à ſe inuicem infinitè diſtent, ſed ſatis eſt quod ſint diuerſi ordinis, quia proportio inter res tantum eiuſdem ordinis attenditur, ideòque lumen gloriæ quo beati clarè Deum intuentur, eſt quidem improportionatum cuilibet lumini naturali, ab eo tamen infinitè non diſtat: à pari, quod vis creandi ſit ſine proportione maior,



Digitized by Google

quàm virtus educendi aliquid ex paſſiua ſubiecti potentia, arguit tantùm virtutem illam eſſe alterius, altiorisque ordinis, non verò eſſe infinitam & infinitè à virtute educendi aliquid ex potentia paſſiua ſubiecti diſtantem.

Confirmatur hęc reſponſio, tantò augetur potentia ad agendum ſine ſubiecto, quantò diminuitur potentia paſſiua ſubiecti, illa enim ex eius decremẽto ſumit incrementum: atqui potentia paſſiua ſubiecti non poteſt infinitè diminui, aliàs eſſet infinita: ergo nec potentia ad agendum ſine ſubiecto, ſeu creandum, poterit augeri infinitè, ſicque nunquam deſiderabitur infinita.

Quarto obiectio deſumitur ex Scoto in 4. ſent. diſt. 1. q. 1. ſi aliqua creatura creare poſſet, vel materialis, vel immaterialis, ſeu ſpiritalis, neutra creare poteſt: ergo nulla.

Probatur minor quantum ad priorẽ partem: Si creatura materialis creare poſſet, vel ratione materię, & hoc nõ, quia materia eſt tantùm paſſiua, non actiua; vel rationę formæ, & hoc non: tùm quia forma non poteſt nobiliorem agendi modum ſortiri quàm eſſendi: proindéque cùm modus eius eſſendi ſit à materia & ſubiecto dependens, nõ poteſt habere modum agendi ſine ſubiecto & materia: nec conſequenter creandi: tùm quia forma vim tantùm habet producendi formam ſibi ſimilem, proindéque cùm forma rei materialis ſit dependens à ſubiecto & materia, non poteſt aliam formam producere, quàm à materia dependentem, ſicque nunquam dicetur creare.

Probatur item eadem minor quoad poſteriorẽ partem, quòd ſcilicet creatura ſpiritalis creare nequeat, vel enim crearet immediatè per ſuam ſubſtantiã, & hoc non: quia nulla ſubſtantia creata agit immediatè per ſe, ſed mediis accidentibus, vel crearet per intermedia accidentia, & hoc etiam dici non poteſt, quia vel illa accidẽtia eſſent principium actionis, quę ad effectum creationis terminatur, vel ipſa actio; non prius, quia inquit Scotus, nullum accidens poteſt eſſe principium ad producendum ſubſtantiam, non etiam poſterius, quia actio rei ſpiritalis eſt in ipſo principio à quo manat; eſt enim vel intellectio, vel volitio, quarum illa in intellectu, hęc in volũtate remanet: actio verò quæ terminatur ad effectum creationis debet eſſe in ipſo ente quod creatur, & ideò extra principium à quo proficiſcitur.

Reſpondeo negando minorem ſecundum vtramque partem: ad probationem prioris partis dicendum eſt rem materialem aliquid creare poſſe ratione ſuæ formę, tanquam principij ſubſtantialis, & ratione virtutis alicuius ſupernaturalis, ipſi intrinſecè ſuperadditę, cuius ope formam, vel ſupernaturalem, vel quidem in entitate ſimilẽ creabit, ſed altiori modo, quàm ſi nulla eſſet qualitate ſupernaturali addita: ſicut voluntas per gratiam ſupernaturalẽ ſibi à Deo conceſſam ipſámque intrinſecè perficientem, eò perducitur, vt poſſit actum ſupernaturalem elicere, in quem nunquam aliàs poſſet prorumpere.

Ad probationem verò minoris, ſecundum poſteriorem partem eodem modo reſpondeo. Subſtantiam ſpiritalem per ſuam ſubſtantiam. i. per ſe principaliter, & ſubſtantialiter, & per virtutem ſuperadditam inſtrumentaliter, & accidentaliter concurrere ad productionem entis ex nihilo, falsúmque eſſe illud quod aſſumit Scotus, nullum accidens poſſe eſſe principium ad producendam ſubſtantiam, vt agendo de forma demonſtrauimus, eodem-

Digitized by Google

modo anima beata dicitur eſſe cauſa principalis & ſubſtantialis viſionis beatificæ: lumen verò gloriæ, inſtrumentalis, & accidentaria: Quo verò pacto à ſubſtantia ſpiritali oriatur actio quæ terminetur ad creaturam productam, & egrediatur extra principium à quo manat: eadem eſt ratio ac de ipſa creatione, quatenus à Deo proficiſcitur, ſtatimque explicabitur.

poſtrema obiectio eſt Ochami in 2. ſentent, q 7. ſi creatura aliqua vim creandi haberet principaliter, vel neceſſariò ageret, vel liberè; ſi neceſſariò, ergo ſimul crearet quidquid creare poſſet, ſicque infinitum actu, cùm nulla finita multitudo aſſignari queat, vltra quam non poſſit creare: ſi liberè, ergo, quicquid creare voluerit, id totum creare poterit. Quapropter cùm poſſit velle infinita creare, poterit & illa actu creare. Igitur nulla creatura poteſt habere virtutem creandi principaliter.

Reſpondeo ad anteced. quod creatura creet liberè, & quod creet neceſſariò, numquam ſequi ipſam infinitam creaturam eſſe, tùm quia non poteſt res creare aliter quàm res ipſæ ſint creabiles. At verò non ſunt ita creabiles vt poſſint poni infinitæ ex inf. dicendis: immò nec id velle poteſt niſi in efficaci voluntate, & velleïtate, vt loquuntur, tùm quia ſiue creatura illa deliberatè, ſiue neceſſariò creet, ſemper pendet à concurſu diuino; quare cum hîc non applicetur ad infinita, ſimul fieri nequit vt creatura actu infinitè creet.

## QVÆSTIO TERTIA.

*Quomodo ſe habeat creatio tam reſpectu Dei, quàm reſpectu ipſius rei, quæ creatur.*

RESpondeo creationem actiuè ſumptam pro principio, eſſe ipſammet diuinam voluntatem, vel potentiã executiuam, vt alij volunt: & hac in re nulla eſt diſſenſio. Nota verò nos loqui de actuali creatione, quæ à ſolo Deo peracta eſt, proportione verò idẽ iudicandum eſſe de creatione, quæ à creatura proficiſceretur, ſi illi creaturæ virtus à Deo communicaretur.

Si autem creationem pro actione accipias, quæ ex tali principio manat: Dico creationem tunc nõ eſſe in Deo, ſed in creatura producta. Hanc partem ſuſtinent graues Philoſophi, Aureol. apud Capreol. 2. ſent. diſput. 1. quæſt. 2. Ægid. ibid. parte 1. quæſt. 3 art. 2. & alij contra D. Th. 1. part. quæſt. 45. art. 3. & eius diſcipulos, qui volunt creationem, vt actio eſt, eſſe actum diuinæ voluntatis in ſe immanentem, & virtualiter ſolum tranſeuntem, quâ potens eſt ponere effectum ad extra, in creatura autem nihil aliud eſſe præter ipſam relationem ad Deum vt creatorem.

Probatur tamen. Actio eſt idem realiter cum termino ad quem tendit, vt infrà probabimus, ſed creatio eſt actio, vt concedunt omnes: ergo erit idem realiter cum ſuo termino ad quẽ tendit, nimirum creatura: proindéque non in ipſo Deo, ſed in ipſamet reſidebit creatura.

Vnum tamen (ex quo facilè erit ferre iudicium de cæt.) obiiciunt Thomiſtæ: Si creatio ſit in creatura, & non in Deo, cùm ſit actio tranſiens, prior ipſo termino ſeu creatura, quæ producitur, dabitur accidens ſine ſubiecto, nempe creatio, quod tamen nullus dixerit.

Reſpondent alij, licet creatio ſit accidens eam tamen poſſe eſſe ſine ſubiecto, & tantum poſtulare vt ſit à principio, vnde, inquiunt, habet creatio per quod diſtinguitur ab aliis actionibus,

quòd aliæ actiones non ſint ſolùm à principio, ſed præterea verſentur circa ſubiectum, ipſa verò creatio à ſolo principio eſſe requirat.

Alij dicunt ipſam habere terminum pro ſubiecto, nec ipſum antecedere temporis ordine, ſed ſolùm naturæ: ideóque cùm accidens tantùm egeat ſubiecto, reali quadam temporis duratione, vt ab eo ſuſtineatur, optimè poſſe creationem ordine naturæ ſuum terminum, nempe creaturam antecedere, illam tamen habere pro ſubiecto: vtraque ſolutio optima eſt, & poteſt eligi.

## DIGRESSIO MORALIS
*pro iuſtificatione peccatoris.*

EX hac tota doctrina de creatione apparet creationem in eo eſſe diſtinctam à generatione naturali, quòd ex nihilo fiat, generatio verò naturalis præſupponat ſubiectum, & materiam ex qua educatur.

Si creatio ſit ex nihilo, iuſtificatio animæ à peccato creatio eſt, quia eſt productio gratiæ ex nihilo, id eſt peccato: peccatum enim nihil eſſe formaliter, ſeu vt peccatum eſt, docuimus in moralibus agendo de malo, & probauimus teſtimonio D. Auguſt. exponentis verba illa D. Ioan. 1. Et ſine ipſo factum eſt nihil, de peccato: rationē ipſe D. Aug. adfert loco ibi citato, nēpe in Soliloq cap. 4. *Tu es verbum, & non tamen tecum per quem facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt: ideo ſine te factus ſum nihil, quia nihil eſt, quod ad nihilum ducit.* Ideò vult D. Aug. peccatum ducens ad nihilum, ſcilicet mortem, eſſe nihil, quia ſine verbo factum eſt à quo, & per quod omnia facta ſunt. Quod clarius adhuc poſtea explicat eodem cap. Quid eſt (inquit) ſeparari à verbo? ſi hoc ſcire quæris quid eſt verbum: verbum dicit, ego ſum via, veritas & vita: ſeparari ergo à verbo eſt eſſe ſine via, ſine veritate, ſine vita: & ideo malum nihil eſt, quia ſeparatur à verbo per quod omnia facta ſunt: & hoc etiam eſt quod docuit Propheta regius Pſal. 50. Cùm gratiam & iuſtificationem à Deo quærens, verbo creandi vtitur: *Cor mundum crea in me Deus*, præcedenti verſiculo rogauerat Deum, vt peccata ſua deleret: *Auerte faciem tuam peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* In hoc quærit gratiam qua cor eius renouetur, & hoc, nempe delere peccatum, & gratiam infundere, creare dicit, docens in hoc clare iuſtificationem animę à peccato verè creationem eſſe, tantò creatione ordinaria quæ communiter vocatur creatio (vt creatio mundi & animarū rationalium) eſſe excellentiorem, quantò gratia excellentior eſt natura, & difficiliorem, quantò difficilius ſit id quod eſt ſupernaturalis ordinis, & in ſe & in modo producendi, eo quod eſt ordinis duntaxat naturalis in ſe, & ſolum ſupernaturalis in modo quo producitur, vt natura quæuis.

Itaque ſi miramur diuinam in creatione communi potentiam longè magis eam debemus in iuſtificatione admirari, magiſque gratitudinis titulo Deo obſtringimur propter iuſtificationem à peccato, quàm propter creationem, tum quòd per iuſtificationem gratiam recipiamus, quæ maius eſt bonum, quàm natura, quæ nobis per creationē communicatur, vt diximus, tum quòd gratia nos ad beatitudinem ordinet; natura verò, ſine gratia, nunquam frui beatitudine poſſit, imò in ſtatu rerum qui nunc eſt, æternis ſit deſtinata ſuppliciis.

## SECTIO SECVNDA.
*De Conſeruatione.*

QVÆSTIO

Digitized by Google

## QVÆSTIO PRIMA.

*An neceſſaria ſit Conſeruatio, vt res producta à Deo in ſuo eſſe maneant.*

RESpondeo affirmatiuè, id enim expreſsè habetur in ſacris literis, Sapientiæ 7. Omnibus nobilibus nobilior eſt ſapientia, attingit vbique fortiter, & diſponit omnia ſuauiter: & *cap.* 11. Quomodo poſſit aliquid permanere, niſi tu voluiſſes, id eſt conſeruaſſes? *Ioan.* 5. Pater meus vſque modo operatur, & ego operor: *ad Colloſſenſ.* 1. Omnia in ipſo conſtant; *ad Hebr.* 1. dicitur Deus verbo virtutis ſuæ omnia portare; id eſt conſeruare.

Eadem eſt doctrina ſanctorum Patrum, D. Gregorii homil. 17. in Ezechiel: Deus, inquit, incomprehenſibiliter regit quæ incomprehenſibiliter creauit, D. *Anſel.* in Monologio *cap.* 13. Sicut nihil factum eſt niſi per creatricem præſentem eſſentiam, ita nihil viget niſi per eius ſeruatricem potentiam. D. *Auguſt. lib.* 4. *de Geneſ.* ad literam. Quæ virtus, inquit, ab iis quæ creata ſunt regendis, ſi aliquando ceſſaret, ſimul & illorum ceſſaret ſpecies; omniſque natura concideret; *Et in ſoliloquijs cap.* 6. Sicut enim omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo facta ſūt nihil, ſic per ipſū cuncta conſeruantur; quæcumque ſunt.

Accedit ratio. Deus eſt cauſa ens per eſſentiam; omnis verò eius effectus eſt ens per participationem & dependentiam ab illo: ergo debet ſemper ab illo dependere, non quidem ratione creationis, proindéque ratione conſeruationis.

Obiicies vbi creatura accepit ſuum eſſe à Deo, non ſeipſam interimet, licet ab illo deſinat conſeruari: ergo poterit in ſuo eſſe permanere.

Reſpondeo conceſſo antecedenti, negando conſeq. creatura enim illa non perſiſtet defectu diuini auxilij cōſeruantis, à quo neceſſariò, & eſſentialiter dependet, non verò quòd ſeipſam interficiat, ſicut destructo aëre viuens cogeretur mori defectu reſpirationis, etſi nulla ei inferetur violentia.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*Quomodo conſeruatio à Creatione diſtinguatur.*

NOn eſt dubium quin conſeruatio diſtinguatur ab actione qua res fit, quando cauſa efficiens, ſeu conſerens diſtinguitur realiter à cauſa conſeruante, quia vtraque agit actione ſibi propria, verbi gratia pater generans filium actione ſua generatiua; & calor naturalis, vel alia ſimilis cauſa conſeruans ſua calefactione, aut ſimili actione conſeruatrice.

Si verò conſeruatio ſit ab eadem cauſa qua eſt rei affectio, verbi gratia ſi ſermo ſit de conſeruatione illa per quam Deus res à ſe productas in ſuo eſſe conſeruat, maior eſt difficultas: in quo ſita ſit eius eſſentia, & an ſit actio diſtincta ab ipſa creatione, nécne?

D. Tho. 1. par. q. 104. art. 1. & eius diſcipuli cum Suare 1. tomo Metaphyſicæ, diſp. 20. q. 2 aſſerunt conſeruationem, & creationem eſſe eandem actionem eſſentialiter, virtualiter tamen duplicem creationem dici quatenus eſt via ad productionem termini, dicítque rem *in fieri*, conſeruationem appellari, cùm iā rē ſupponit exiſtentē, eámque ſolum in ſuo eſſe conſeruat.

Probabilior tamē eſt contraria ſententia noſtra, Creationē illā qua Deus, res primò ex nihilo producit, eſſe actionē diſtinctā, ſaltē ex natura rei à cōſeruatione: ita Henricus Gandauēſis quodlibeto 1. q. 7. Greg. Ariminenſis in 2. diſp. 1. q. 6. & alij.

Probatur primò, creatio, vt creatio eſt, dicit tātùm rē in fieri; cōſerua-

tio verò, vt conſeruatio, eſt actio poſitiua, qua res iam facta præſeruatur, ergo creatio, & conſeruatio ex natura rei differunt.

Secundò, ſi creatio, & conſeruatio eſſent vna, & eadem eſſentialiter actio, id potiſſimum diceretur quia oriuntur ab eodem principio,& terminantur ad eundem eſſentialiter terminum, nempè ad rem quæ creatur, & creata in ſuo eſſe perſeuerat.atqui hæc ratio nulla planè eſt:ergo, &c.

Probatur minor.Ab eodem principio proficiſci poſſunt multæ actiones non tantùm ex natura rei,ſed re ipſa diſtinctæ, vt ab eodem intellectu, actio ſcientiæ, & actio opinionis, etiam reſpectu eiuſdem rei, & termini, quatenus medio neceſſario, & ſcientifico, vel probabili, & opinatiuo tantùm apprehenditur: ergo etiam ſi creatio, & conſeruatio ab eodem principio oriantur, nimirum à Deo, & terminentur ad eundem eſſentialiter terminum: ſcilicet ad rem quæ fit & præſeruatur; poterunt tamen ad minus ex natura rei diſtingui.

Confirmatur hæc minor. Nemo vnquam negauit aliam eſſe actionem, quâ Deus creat quantitatem in materia, & alia quam conſeruat, poſtquam à ſubiecto ſeparata eſt,ne ruat in nihilum: ergo extra dubium eſt ab eodem principio poſſe oriri actiones ex natura rei diſtinctas quæ terminentur ad eundem eſſentialiter terminum: Ideóque creationem,&conſeruationem poſſe eſsētialiter à ſe mutuò ſeparari, quamuis idem principium eundémque terminum habeant.

Obiicies breuiter: Eadem eſt viſio beatifica,etiam ſi infinita annorum ſerie protrahatur: ergo & erit eadem eſſentialiter actio qua Deus rem ipſam creat, eámque in ſuo eſſe conſeruat.

Negāda eſt cōſequentia:diſpar enim eſt ratio viſionis beatificæ infinitis ſæculis continuatæ,& creationis rei,ac cōſeruationis eiuſdem. Nam viſio beatifica, quantumque longa & permanens, ſemper habet eandem rationem reſpicitque eundem terminum omnimodè, & ſub eadem penitus ratione: at contrarium planè eſt in creatione rei, & eius conſeruatione, quia creatio reſpicit rem, vt eſt *in fieri*; conſeruatio verò, vt ipſa iam facta in ſuo eſſe perſeuerat.

## SECTIO TERTIA.

*De concurſu Dei cum Cauſis ſecundis.*

### QVÆSTIO PRIMA.

*An concurſus Dei ſit neceſſarius ad omnes actiones creaturarum*

Concurſus generatim eſt duplex: vnus mediatus, ſicut Sol dicitur concurrere ad productionem alicuius rei in quantum producit aliquas qualitates quæ mediatè ad eam cōcurrunt:alter immediatus, quo modo intellectus concurrit ad intellectionem, volūtas ad volitionē,& ſic de cæteris.

Porrò concurſus mediatus dupliciter explicari poteſt. Primò enim videtur mediatus,quia Deus dedit virtutē agendi creaturis ab initio ſuæ creationis. illámque conſeruat: cuius virtutis beneficio ſine alio ſpeciali auxilio, & concurſu Dei, ipſæ creaturæ in ſuas operationes incidunt.

Secundò, dici poteſt mediatus concurſus;quia prius applicatur creaturis, tanquam conditio neceſſaria,vt agant, quàm ipſæ operentur. An concurſus Dei hoc poſteriori modo mediatus admitti debeat, quæſtione ſequēti explicabitur. Hîc tātùm agimus de priori, an admitti debeat:ſeu an Deus in tantùm dicatur cum creaturis concurrere in quantum illis dedit virtutem agēdi, illámque conſeruat ſine vllo alio ſpeciali concurſu:An verò Deus adiquam-

Digitized by Google

libet actionem creaturæ neceſſariò cõcurrere debeat.

Prior ſententia eſt quorumdam, nominatim Durandi in 2. diſt. 1. q. 5. Poſtquam Deus ab initio creationis ipſis creaturis conceſſit ſufficientem agendi virtutem, nihil amplius eò illis operari, verùm hæc ſententria non ſatis in fide tuta, ſed à multis iudicatur temeraria, & erronea,

Qua propter cõtraria lõge apertior, & verior eſt, iuxta quam.

Concludimus Deum cum creaturis ad quamlibet actionem debere concurrere.

Hanc propoſitionẽ confirmant primò ſacræ ſcripturæ teſtimonia. Iſa. 26. Omnia opera noſtra operatus eſt in nobis Dominus. Ioan. 1. Omnia per ipſum facta ſunt. Actorum 27. In ipſo viuimus, mouemur & ſumus: & prioris ad Corin. 12. Operatur omnia in omnibus.

Fauent ſancti Patres, & inter cæteros D. Aug. cùm alibi, tum maximè lib. 5. de Geneſ. ad literam cap. 2. vbi hæc aurea habet verba: Mouet Deus occultâ potentiâ vniuersã creaturã ſuã, cõque motu illa verſata dum Angeli iuſſa perficiũt, circumeunt ſydera, dũ alternãt vẽti, dũ abyſſus aquarũ lapſibus agitatur dũ vireta pullulant, ſuáque ſemina euoluũt, dũ animãtia gignuntur, dũ iniqui iuſtos exercere permittũtur, explicat ſæcula, quæ illis cùm primùm cõdita sũt tanquam implicita indiderat, quæ tamen in ſuos curſus haud explicarentur, ſi ille ipſe qui condidit adminiſtrare ceſſaret. Iem docent D. Greg. Mag. lib. 6. Moral. cap. 8 D. Greg. Nazianz. oratione 2. de Theol. &c.

Poſtremò accedit ratio, ſpectat ad diuinã perfectionem, vt omnium rerũ ſit cauſa actualis: ergo debet concurrere ad omnes omnium creaturarum actiones,

Mitto quòd actiones illæ eſſent à Deo independentes, ſaltem in fieri, & cùm par videatur eſſe ratio de productione & conſeruatione, ſine Deo conſeruari poſſent: quod eſt abſurdum.

Obij. primò, concurſus Dei eſt ſufficientiſſimus ad omnem effectum producendum: ergo ſi ille admittatur, ſuperfluus erit creaturæ concurſus.

Neganda eſt conſeq. licet enim Dei concurſus per ſe ſufficiat ad omnem creaturæ effectum producendum, tamẽ ipſius creaturæ concurſus non eſt ſupervacaneus, quia ſtatuit Deus nunquã concurrere, niſi & ipſæ creaturæ concurrant.

Obij. ſecundò. Cauſa prima non poteſt agere cum cauſa ſecunda, neque per eandem actionem, neque per diuerſam: ergo nullo pacto aget.

Prior pars antecedentis probatur, quia ſicut non poſſunt dari duo fines immediati & perfecti eiuſdem rei, ita nec dari poſſunt eiuſdem actionis duæ perfectę cauſæ efficientes, & immediatæ, quales eſſent prima, & ſecunda.

Poſterior item pars, nempe cauſam primam non poſſe agere per actionem diſtinctã ab actione cauſæ ſecundæ, oſtenditur. Quia actio cauſæ primæ deberet antecedere actionem cauſæ ſecũdę, quod infra refellemus. Hęc cõſecutio patet. Nã ſi actio cauſæ primæ non antecedat actionẽ cauſę ſecundæ, ergo vel concomitatur, vel ſubſequitur: non concomitatur, quia ſimul eſſent duæ actiones ad vnum terminum, quod eſt inauditũ: ſi ſubſequitur, ergo cauſa ſecunda produxit aliquid, nempe talem actionem ſine concurſu Dei: ergo non eſt neceſſe, vt ad quamlibet actionem cauſæ ſecundę Deus ipſe concurrat.

Reſpondeo ad anteced. ſi per ean-



Digitized by Google

dem actionem agere intelligatur eadē cauſalitate, concedendum eſt non poſſe cauſam primam agere eadem actione cū ſecunda, quia vt ſunt duæ cauſæ realiter diſtinctæ, ita quoque habent cauſalitates realiter diuerſas, nempe influxus diuerſos, in quibus diximus probabile eſſe conſtitui cauſalitatem cauſæ efficientis: ſi verò agere per eandem actionem ſit, eandem planè actionem & eius terminum producere verbi gratia in igne calefactionem & calorem producere: affirmandum eſt cauſam primam, & ſecundam agere eadem actione & non diuerſa. Ad inſtantiam dicendum eſt, duos fines eiuſdem rei aſſignari poſſe in ſuo genere perfectos, quorum vnus alteri ſubordinetur, verbi gratia eiuſdem dilectionis Dei conſecutionem, gratiæ & gloriæ adeptione: ideoque à pari poſſe eſſe eiuſdem actionis duas cauſas efficientes perfectas, totales diuerſi ordinis, quarum vna ſit ſecunda, altera prima; vna alteri ſubordinetur, nimirum ſecunda primæ.

Denique obiicitur, fruſtra fit per plura quod poteſt fieri per pauciora æquè benè: atqui per ſolam virtutem cauſæ ſecundæ poteſt eius actio produci ergo fruſtra requiritur concurſus cauſæ primæ. Minor probatur. Nam cum actio illa ſit aliquid finitum, & finitatum, requirit tantum virtutem finitam, qualis eſt in cauſa ſecunda.

Reſpondeo negando minorem, longè enim congruentius eſt, immo neceſſarium eſt Deum cū cauſis ſecundis ad omnes actiones concurrere vt actiones illæ ab ipſo Deo per ſe in fieri dependeant, vt filius à patre, & non tantùm per accidens, vt nepos ab auo: adde quod alioquin Deus non poſſet actiones cauſarum ſecundarum impedire, niſi opponendo obſtacula, & non ad ſimplicem nutum ſuæ voluntatis, quod abſurdum eſt.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*An concurſus Dei antecedat concurſum cauſarum ſecundarum.*

AFfirmant D. Thomæ diſcipuli, volúntque concurſum illum diuinum prius applicari cauſis ſecundis, quam ipſæ cauſæ ſecundæ operentur, vnde & præmotiones phyſicas, ſiue prædeterminationes introducunt. Præmotiones autem illæ ideo ſic vocantur quod illis excitetur homo priuſquam agat: Phyſicæ verò quod illis excitatus ita determinetur ad agendum, vt renuere nullo modò poſſit; & hanc præmotionem phyſicam nuncupant, ſiue eius nomine præuium Dei concurſum, ſiue gratiam excitantem intelligant. Ad totius quæſtionis ſolutionem, ſit:

*Prima propoſitio.*

NVllæ planè ſunt admittendæ Phyſicæ prædeterminationes.

Probatur, prædeterminatio phyſica talis eſt ex ſententia Thomiſtarum qui illam introducunt; vt ſine ea non poſſit voluntas ſupernaturalem actum, verbi gratia dilectionem Dei ſuper omnia elicere, eâ verò poſita abſolutè neceſſe ſit voluntatem ſupernaturaliter operari: atqui nihil tale admitti poteſt: ergo nullæ ſunt, ſed planè fictæ (ne dicam amplius) iſtæ phyſicæ prædeterminationes.

Probatur minor multis modis, primò ſi admitteretur talis prædeterminatio phyſica, ſine qua voluntas actionem ſupernaturalem nullo pacto elicere poſſet; voluntas non haberet amplius ſufficiens auxilium ad illam actionem ſupernaturalem eliciendam, nec conſequenter ad ſalutem: at conſequēs falſum, nam cùm Deus ex confeſſione aduerſariorum non det omnibus

Digitized by Google

hanc prædeterminationem phyſicam, alias omnes benè operarentur, ipſe Deus omnibus non tribueret gratiam ſufficientem, quod repugnat Theologis tract. de Gratia, necnon etiam rationi aduerſatur, quia alioquin non omnes poſſent ſaluari, nec illis imputaretur ad peccatum ſi malè agerent à pręceptis Dei diſcederent contra expreſſa Scripturę ſacræ teſtimonia.

Probatur ſecundò, ſi prędeterminatio illa phyſica admitteretur, quia in voluntate poſita neceſſe eſſet ipſam voluntatem operari, non poſſet illi voluntas reſiſtere: atqui hoc dici non poteſt: ergo, &c.

Probatur minor, primò illis Scripturæ ſacræ teſtimoniis, quæ homines adhortantur ad conuerſionem, audita Dei voce, id eſt promotione Pſal. 91. *Si vocem eius audieritis nolite obdurare corda veſtra.* Zach. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Et alibi paſſim.

Probatur ſecundò ex Concilio Senonenſi cap. 15. vbi ita concludit, *Nec denique tale ſit eiuſmodi trahentis Dei auxilium cui reſiſti non poſſit:* & paulò poſt: *Trahit quidem Deus, ſed in eius odorem currimus, non vi, non vinci rapiamur:* & ex Trident. ſeſſ. 6. Canon. 4 *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil operari aſſentiendo Deo excitanti; neque poſſe diſſentire, ſi velit, anathema ſit.*

Probatur tertiò authoritate D. Auguſt. ſermone 13. de verbis Apoſtoli: *Quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi filij Dei ſunt: dices ergo non agimus; ſed agimur: immò agis, & ageris; & benè agis, ſi à bono ageris.*

Denique hæc minor ratione oſtenditur. Si voluntas illi præmotioni, & prędeterminationi phyſicæ reſiſtere non poſſet, amplius non remaneret libera: At hoc hereticum eſt: ergo debet volũtas poſſe reſiſtere illi prædeterminationi phyſicæ.

Probatur conſecutio maioris, de ratione libertatis eſt indifferentia ad agẽdum, vel non agendum, & in eò à neceſſitate diſtinguitur: ergo ſi voluntas nequeat reſiſtere illi præmotioni & prædeterminationi phyſicæ, amplius libera remanere non poterit.

Hoc argumentum valdè torſit aduerſariorum ingenia. Vt illud ſaltem eluderent.

Dixerunt alij, quamquam voluntas nõ poſſit reſiſtere Phyſicæ prædeterminationi, ipſam tamen remanere liberã, quia prædeterminatio illa accommodatur naturæ, & inclinationi voluntatis.

Sed hoc non eſt ad rem. Quidquid enim ponitur in voluntate, licet illi valdè congruat, non deſinit tamen eius auferre libertatem, ſi tollat potentiam ad agendum vel non agendum, vt patet ex prædictis: ergo tametſi prædeterminatio phyſica congruat voluntati, attamen eius perimit libertatem, ſi voluntas illi reſiſtere non poſſit.

Alij reſpondent voluntatem remanere liberam, etiam ſi nequeat reſiſtere prædeterminationi phyſicæ, ſed illam neceſſariò ſequitur, quia talis neceſſitas eſt in ſenſu compoſito & hypothetico, facta nimirum ſuppoſitione quòd prædeterminatio ſit in voluntate, quæ neceſſitas hypothetica non tollit libertatem, cùm ego liberè loquar, etiam ſi non poſſim non loqui in ſenſu compoſito, ex hypotheſi ſcilicet quòd loquar.

Verùm hæc reſponſio facilè refellitur. Nam quotieſcumque aliqua actio neceſſario fit, ex ſuppoſitione alicuius ipſam actionem antecedentis, tollitur libertas à tali actione, & ſimpliciter habetur neceſſaria, vt patet in beatis

qui non liberè, ſed neceſſariò Deum amant, quamquam illum in ſenſu compoſito, ſeu facta ſuppoſitione, quod ipſum clarè & apertè intueantur non poſſint non amare: quæ quidem hypotheſis claræ viſionis Dei antecedit actũ amoris: atqui illa hypotheſis, ratione cuius dicunt aduerſarij voluntatem neceſſariò operari, eſt hypotheſis alicuius antecedentis ipſam operationẽ voluntatis, nimirum ipſius prædeterminationis phyſicæ quam in voluntatate conſtituunt antequam operetur: ergo non deſinit voluntas neceſſariò & ſine libertate operari, quamuis tamen agat neceſſariò, ex hypotheſi.

Inſtabis, ſi neceſſitas illa hypothetica antecedens tollat libertatem, ſequitur Chriſtum Dominum non liberè mortuum, & paſſum fuiſſe, quia non potuit non mori, ex hypotheſi vnionis hypoſtaticæ, & inuigilantiæ quam habebat diuinum Verbum circa actiones Chriſti, ne fierent contra diuina præcepta, quę quidem vnio, & inuigilantia præceſſerunt non modò mortem, & paſſionem Chriſti Saluatoris, ſed quãcumque illius actionem, quod tamen eſt contra ſcripturam ſacram expreſsè teſtantem Chriſtum ſeſe morti, & paſſioni liberrimè expoſuiſſe. *Oblatus eſt quia ipſe voluit.*

Reſpondeo neceſſitatem hypotheticam antecedentem tollere liberum arbitrium, quando illud antecedẽs quod præſupponitur, eſt principium influens in actionem, quia tunc eſt cauſa actionis, & proinde cur neceſſario fiat: cùm ex ſuppoſitione illius non poteſt non fieri: ſicuti gratia illa efficax phyſicè prædeterminans eſt principium influẽs in conſenſum ex ſententia Thomiſtarũ quam refellimus, non autem quando illud quod antecedit nihil realiter influit ad actionem: cuiuſmodi eſt vnio hypoſtatica & inuigilantia Verbi diuini reſpectu actionum Chriſti: quia vnio hypoſtatica non influebat realiter in actiones ipſius Chriſti, ſed moraliter tantùm illis dando meritum infinitum, nec inuigilãtia Verbi pariter influebat realiter, ſed tantùm peccati occaſiones remouebat, & ita Chriſti voluntatem regebat, vt ſemper ad bonum ſumma propenſione ferretur, malum verò nuſquam appeteret.

Alij tamen reſpondent ſeruari libertatem in voluntate, licet non poſſit reſiſtere prædeterminationi phyſicæ, ſed cum illa infallibiliter operetur, quia ſemper remanet indifferentia in intellectu, ad hoc vel illud ferendum iudicium de obiecto ſibi propoſito.

Sed hæc reſponſio omnium peſſima eſt, facileque confutatur. In eo indifferentia eſſe debet in quo eſt libertas formaliter, cùm indifferentia ſit de eſſentia libertatis, vt diximus; ſed libertas eſt in ſola voluntate formaliter, in aliis verò potentiis radicaliter tantùm, & quatenus reguntur à voluntate, vt in moralibus dictũ eſt: Ergo indifferẽtia voluntatis ad libertatem exigitur, & non ſufficit illa indifferentia iudicij in intellectu, ad quem confugiunt aduerſarij, vt retineant voluntatis libertatẽ poſita prædeterminatione phyſica.

Multa obiiciunt Thomiſtæ, primo varia Scripturæ & Patrum & Conciliorũ teſtimonia, quæ ſuadent Deum nos trahere ad bonum. Ioannis 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus, qui miſit me, traxerit eum*: & efficere vt bonum operemur, Ezechielis 30. *Faciã vt in præceptis meis ambuletis*. Ad Philip. 2. *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere*: & ad Rom. 9. *Non eſt volentis neque currentis, ſed Dei miſerentis*: ſuper quæ verba exclamat Doctor Eccleſiæ Diuus Auguſtinus: *Non eſt volentis neque currentis,*

Digitized by Google

*ſed tui miſerentis, quòd te diligamus Domine, tuũm eſt hoc donũ, à quo eſt omne bonũ: Iubes te diligi, da quod iubes, & iube quod vis.* His ſimilia frequẽter Cõcilia, & alijPatres.

Verum horum omnium teſtimoniorũ facilis eſt ſolutio: Probãt enim tantùm Deum noſtrã voluntatẽ præmouere, vt operetur, illámque trahere tractu morali & metaphorico, quo ſẽſu dicit Poëta:

*trahit ſua quemque voluptas:*

& nuces dicuntur trahere puerum: non verò illum phyſicè prædeterminare, ita vt reſiſtere non poſſit, & in contrarium ferri, itáque non negamus dari aliquas præmotiones quibus voluntas excitetur, quę propterea excitãtis gratiæ nomine donantur, quia luce clarius in Sacris litteris, Conciliis & Patribus habentur; ſed negamus has præmotiones eſſe Phyſicas prædeterminationes, id eſt ita voluntatem efficere, vt ipſa renuere non poſſit, quamuis non diffiteamur has præmotiones ita aliquãdo efficater excitare voluntatem, vt ipſa infallibiliter, ſaltem moraliter loquendo, benè operetur, quia à Deo concedũtur eo tempore, eo loco, & in illis circumſtantiis ſecundùm quas præuidit futurum vt volũtas conſentiret, & tunc téporis dicuntur efficaces. Negamus tamen illas ita impellere voluntatem vt ſemper non remaneat in eius libertate contrarium operari.

Secundò obiiciunt, ſi aliquis poſſet non ſequi præmotionẽ illam ſibi à Deo immiſſam de bono opere exercendo, nulla eſſet certitudo prædeſtinationis, ipſéque prædeſtinatus, vt prędeſtinatus, poſſet damnari: quia poſſet bonum illud opus ad ſalutem neceſſarium nõ agere, ad quod prę moueretur à Deo: at conſeq. falsũ eſt, prædeſtinatio enim debet eſſe infallibilis: ergo nullus poteſt non ſequi pręmotionem ſibi à Deo immiſſã, & conſequẽter illa phyſica eſt.

Diſtinguo conſecutionẽ maiorem: ſi aliquis poſſet non ſequi pręmotionem ſibi à Deo immiſſam, nulla eſſet certitudo prędeſtinationis, & importans neceſſitatem, concedo, inferens, infallibilem euentũ moraliter loquendo, ita vt numquam de facto aliter contingat, nego: reuera enim prædeſtinatio nõ eſt talis, vt inferat neceſſitatem in prędeſtinato ad ſalutẽ conſequendam: alias tunc non liberè ſed neceſſariò ſaluaretur: ſed talis eſt, vt importet infallibilẽ ſalutem in eo qui prædeſtinatur: ſaltem moraliter loquendo. Vnde quando dicitur prædeſtinatus, vt prędeſtinatus nõ poteſt damnari, diſtinguendũ eſt: moraliter loquendo concedo, abſolutè & phyſicè nego: neque enim, cùm Deus aliquem prædeſtinat vult illum abſolutè, & neceſſariò ſaluari, ſeu per media abſoluta, & neceſſitatẽ inferentia, ſed tantùm moraliter, hoc eſt, per media ſuauia, & ipſi benè attẽperata atque cõgrua, quib⁹ futurũ præuidit ſpectata propria ipſi⁹ inclinati one vt benè operaretur, & benè operãdo ſalutẽ cõſequeretur.

Denique obiic. Si Deus voluntates non prædeterminaret phyſicè, ſed illę cuilibet motioni diuinæ repugnare poſſent, incarnatio nõ potuiſſet à Deo abſolutè decerni, quia pendet à conſenſu beatiſſimæ Virginis quę potuiſſet Deo illam ad conſentiendũ excitanti repugnare: Atqui hoc valdè abſurdũ videtur. Ergo Deus volũtates phyſicè prædeterminat.

Reſpondeo ad maiorẽ, ſequi tantùm ex quòd Deus voluntates phyſicè non prædeterminet ipſum non decreuiſſe ab æterno decreto abſoluto, & quod neceſſitatem inferret, executionem incarnationis, ſed tali decreto, quod ſupponeret liberum beatiſſimæ Virginis conſenſum, præuiſum tamen à Deo infallibiliter futurum, quod nullum infert incommodum. Adde

quòd potuiſſet illam etiam decernere ſine eius conſenſu, ſed tamen non fecit quia ſuauis eſt vniuerſis.

*Secunda propoſitio.*

CONcurſus Dei non antecedit concurſum cauſæ ſecundæ. Ita omnes Philoſophi & Theologi qui phyſicas prædeterminationes reiiciunt.

Probatur ſi Deus concurreret cum creaturis antecedenter: ideò tantùm hoc diceretur, quia produceret aliquã actionem in ipſa creatura, vel tanquã principium complens propriam ipſius virtutem ad agendum, vt plerique exiſtimant, vel tamquam conditionem in ea cauſa ſecunda neceſſariò requiſitam vt agat, ſicuti ſentire videtur Capreolus in 2. diſtinct. 1. quæſt. 2. Ferrarienſis 3. contra Gentes, cap. 6. & alij: atqui talis actio neutro modo eſt requiſita: ergo, &c.

Probatur minor, quantum ad vtramque partem nulla actio à Deo immiſſa poteſt in creatura recipi, niſi in ea aſſignetur aliquis terminus talis actionis: at nullus eiuſmodi terminus aſſignari poteſt, ergo, &c.

Rurſus huius argumenti minor probatur: aut enim terminus ille eſſet locus; & hoc non, quia talis actio non fit per motum localem, cùm Deus, à quo procedit, ſit vbique præſentiſſimus, & poſſit creatura in eodem loco remanẽs tales actiones à Deo recipere: vel eſſet quãtitas, & hoc nõ, cũ nulla acquiratur, vel deperdatur quantitas, ex eo quòd Deus præmoueat, & concurrat, imò Deus concurrere poſſit cum Angelis qui ſunt omnis quantitatis incapaces: vel tertiò eſſet qualitas, & hoc non, cùm quæuis eiuſmodi qualitas ſit ſuperflua in cauſa ſecunda, vt producat effectum: illam enim ſtatuere tanquam complementum virtutis actiuæ cauſæ ſecundæ, aut tamquam conditionem ad agendum neceſſariam, non eſt vlla ratione probabile, ſi quidem tunc primam cauſam agere cum ſecundis, eſſet ſolummodo dare cauſis ſecundis ad agẽdum, vimque illam conſeruare, quod incidit in ſententiam Durandi ſuperius confutatam: nec eſt primam cauſam in effectus cauſarum ſecundarum vllã veram, ac realem efficientiam obtinere, quod omnes tanquam falſiſſimum reiiciunt, & ibidem impugnatum fuit: ergo cùm nihil aliud ſuperſit, quod aſſignetur pro termino actionis præuiæ Dei, ſignum eſt nullum eiuſmodi terminum dari, & ex conſequenti nullam dari actionem Dei antecedentẽ actionem cauſæ ſecundæ.

Probatur ſecundo eadem minor ſecundùm vtramque partem in cauſis liberis: aut enim tali actione poſita tãquam principio, vel conditione omninò ad agendum neceſſaria, poteſt cauſa ſecunda agere, & non agere, ſi voluerit, aut neceſſariò agit: prius dici non poteſt, quia Deus actionem, illam immittit ad agendum, proindéque debet finem ſuum, & effectum ſortiri, & hoc non negant authores contrariæ ſententiæ: & ſic dicunt ſecundò, quo tamen admiſſo tota corruit libertas voluntatis: ergo nulla actio Dei præuia ad actionis cauſæ ſecũdæ admitti poteſt & conſequenter diuinus concurſus non antecedit concurſum cauſarum ſecundarum.

Obiiciunt aduerſarij verba Scripturæ ſacræ, Patrum & Conciliorum teſtimonia, quæ palam teſtantur Deum mouere cauſam ſecundam ad agendum, Prouerbiorum 21. *Cor regis in manu Dei eſt: & quocumque voluerit, flectet illud.* Hieremiæ 10. *A Domino greſſus hominis diriguntur.* Et ad Hebræos 13. *Deus paris aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem,* Idem habent Concilia, Arauſicanum

Arauſicanum 2. can. 9. *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur, operatur*: & Trid. ſeſſ. 6. cap. 16. vbi ait, *Chriſtum in iuſtificatos iugiter virtutem influere: quemadmodum caput influit in membra, & vitis in palmites.* Denique accedit authoritas D. Gregorij 16. Moral. cap. 18. vbi docet, *Nullam rem creatam poſſe mouere niſi occulto Dei inſtinctu diſponatur*, i. niſi Deus illam ad agendum præmoueat.

Sed hæc teſtimonia parum vrgent, poſſunt enim facilè intelligi de ipſa præmotione & excitatione ſuaui, quā Deus immittit in voluntatem, vt ipſi bonum ſuadeat ab ipſa liberè amplectendum, de qua iam actum eſt: non verò de concurſu Dei generali, de quo hîc ſermo eſt.

Secundò obiiciūt, cauſa prima non poteſt dici prima reſpectu cauſarum ſecundarum, niſi quia prius ſaltem natura operatur quàm cauſæ ſecundæ, ita vt eas ad agendum applicet, vt videtur docere Ariſtoteles libro de Cauſis, Propoſitione 16. docent virtutem diuinam eſſe virtutem cauſarum ſecundarum; ergo, inquiunt, cauſa prima prius concurrit quàm cauſa ſecunda.

Reſpondeo negando antecedens: diximus enim cauſas ſecundas ad agēdum applicari à prima, non propriè, ſed tantùm metaphoricè, quatenus ab ipſo concurſu primæ cauſæ dependēt: docet autem Ariſtoteles duntaxat virtutem primæ cauſæ eſſe virtutem aliarum cauſarum ſecundarum, tum quòd eam virtutem ipſis largita ſit, tū quòd virtutem eam in illis conſeruet, tum demum quòd cauſas illas ſuo concurſu adiuuet, non verò quòd prius illis operetur.

Denique obiiciunt cauſam primam determinare ſecundam ad agendum: atque adeò prius illa operari.

Sed falſum eſt antecedens, vt hac quæſtione ſequenti explicatum eo.

## QVÆSTIO TERTIA.

*Vtrum cauſa prima determinet cauſas ſecundas ad agendum, an verò ab illis determinetur.*

Notandum eſt triplicem eſſe determinationem cauſæ: prima dicitur quoad ſpecificationem actus, quando ſcilicet aliqua cauſa redditur determinata ad producendum actum talis ſpeciei, & non alterius, v. g. voluntas actum iuſtitię, & non miſericordię, vel alterius virtutis in ſpecie.

Secunda eſt quoad exercitium actus, quando ſcilicet aliqua cauſa determinatur ad eliciendum hic, & nunc aliquē actum, v. g. voluntas in hoc loco, & hoc tempore aliquem actum iuſtitiæ.

Tertia dicitur quo ad ſingularitatem actus, cùm cauſa nod ſolùm redditur determinata ad agendum de facto, & ad producendum actum talis ſpeciei, ſed hunc, & non alium: v. g. manus ad tangendam cathedrā hoc ictu in particulari, & non alio Hoc poſito, ſit.

### *Prima propoſitio.*

Cauſa ſecunda determinat primam quoad ſpecificationem & exercitium actus.

Probatur: cauſa prima de ſe eſt indifferens ad omnes actus cuiuſcumque ſpeciei, ad agendum quolibet tempore, ſoláque cauſa ſecunda eſt ratio, cur talis ſpeciei actum producat, & non alterius: cur hic, & nunc agat, tali modo, & non alio, tali tēpore, & non alio: verbi gratia, ignis calefaciens facit vt Deus concurrat ad calefactionem & non ad frigefactionem: facit item, vt hic & nunc tali modo agat, quia cùm Deus accommodet ſeſe cauſis ſe-

cùndis, vt in omnium ore verſatur, cùm illæ cauſę volunt agere, efficiunt vt Deus quoque cum illis agat, totáque effectuum diuerſitas ſe tenet ex parte cauſarum ſecundarum & non ex parte primę cauſæ, quæ *uniformiter omnia operatur*, vt ſcribit D. Dionyſius lib. 4. de diuinis nominibus: ergo ſecunda cauſa determinat primam quoad ſpeciem, & exercitium actus.

Confirmatur in cauſis ſecundis liberis. Cauſæ ſecundæ liberæ modò bene, & modò male operantur, ergo non accipiunt à prima cauſa quòd talis, taliſque ſpeciei iuſtitię, verbi gratia vel iniuſtitię, fortitudinis, vel timiditatis actus de facto eliciant, alioquin nefandum illud Caluini dogma ſequeretur, Deum non ſolum bonarum actionum, ſed etiam malarum & peccatorum omnium eſſe authorem, quia ad bonum & malum cauſas ſecundas determinaret, contra Patrum omnium doctrinam, qui docent omne peccatum, omnémque defectum eſſe à noſtra voluntate, & non à Deo, vt videre eſt apud D. Auguſtinum in Soliloquiis, cap. 15. *Si quando ſteti, per te ſteti; ſed quando cecidi, per me cecidi*: capite ſequenti: *Factis digna recipimus, cùm ad nihilum deuenimus tanquam aqua decurrens: & quia ſine te factum eſt nihil, nos faciendo nihil, nihil facti ſumus*: ergo cauſę ſecundę potius primam cauſam ad ſpecificationem & exercitium ſuorum actuũ determinãt quàm ab ipſa determinẽtur.

Obiicies primò de cauſis liberis. Cauſę liberæ ſunt de ſe indifferentes ad hos, & illos actus: igitur egent aliqua cauſa qua determinentur ad talem actum, & talis ſpeciei: cauſa autem eiuſmodi non poteſt alia aſſignari quam prima, cui reliquæ eſſentialiter ſubordinantur: ergo prima cauſa determinat cauſas ſecundas ad ſpecificationem & exercitium ſuorum actuũ, tantũ abeſt vt ab illis determinetur.

Reſpondeo negando conſequentiam, cauſæ enim liberæ ex ſe & ex natura ſua libertate, aſque vlla alia extrinſeca cauſa de ſe ad ſuos actus determinant.

Secundò obiicies, ſi cauſa ſecunda libera ſeipſam determinaret, vel per actionem ſibi propriam, & à concurſu Dei minimè dependentem; vel per actionem à Deo & libero ipſo arbitrio dependentem: prius dici non poteſt, quia cùm talis determinatio ſit aliqua vera res, & effectus aliquis realis, daretur aliqua vera res & effectus aliquis realis qui non depẽderet à Deo, & non reduceretur ad aliquam primam cauſam, quod tamen manifeſtè falſum eſt; ſi ergo dicatur ſecundum, quæro quid determinauerit Deum ad concurrendum cum ipſa cauſa ſecunda libera ad talem ſuam determinationem, non fuit ipſamet determinatio, quia iam ſupponit Deum ipſum determinatum, & actu concurrentem: nec eadem vt ſolum pendet ab ipſa cauſa ſecunda, & ab ea producitur, quia actio cauſæ ſecundæ prior eſſet actione primę cauſæ, nec denique dici poteſt quod ſit alia actio ab ipſa determinatione, quia iam de illa eadem quæſtio recurreret, ac de ipſa determinatione; & ſic in infinitum, quod eſt impertinens: ergo ſecunda cauſa libera non ſeipſam determinat, ac proinde determinari debet ab aliquo alio, ſcilicet à prima cauſa.

Ad hoc argumentum aliqui reſpondent cauſam ſecundam determinare primam per ſuam actionem à Deo quidem concurrente dependentem, ſed non à Deo determinatam, & cùm infertur: ergo debet aſſignari aliquid quo Deus fuerit determinatus, ad



Digitized by Google

concurrendum cum tali cauſa ſecunda ad ſuam determinationem, quod fieri non poteſt: Reſpondent nihil debere aſſignari præter ipſammet determinationem, quæ quia eſt id quo Deus ad actionem, & effectum cauſæ ſecundæ determinatur, ſe ipſa Deum determinat, vt ad ſui ipſius productionem concurrat, ſicut quia vnitas eſt id quo ens vnum eſt, ſe ipſa, & ſine vlla alia vnitate vna eſt.

Aliter & magis conſentaneè noſtris fundamentis reſpondemus cauſam ſecundam determinare primam per influxum quem præbet ad producendam ſuam actionem, non autem per ipſam actionem, quia cùm promiſerit Deus creaturis ſe numquam illis ſuũ neceſſarius defuturum, vbi illas videt opera ſua intendere, ſimul cum illis influit ad eorum productionem.

Tertiò obiicies, cauſa prima non poteſt eſſe indeterminata, quia eſſe indeterminatum includit manifeſtam imperfectionem: ergo prima cauſa non poteſt determinari à ſecunda.

Diſtinguo antecedens, prima cauſa non poteſt eſſe indeterminata, ex indigentia, quaſi ſola non poſſit agere, niſi determinetur, concedo: ex plena & admirabili ſua bonitate, qua voluit numquam ſeſe determinare ad hunc & illum concurſum exhibendum niſi tali modo cauſæ ſecundæ agerent, nego, & hoc modo cauſam primam eſſe indeterminatam non arguit imperfectionem, ſed ſummam potius bonitatem commendat, quod ſcilicet modo ita ſuaui, cum creaturis ſeſe geſſerit, vt omnibus ſimul concurſum promiſerit, ſi quando agere vellent, & non aliter: ex quo fit vt tunc cauſa ſecunda agere debeat, vt prima cum illa concurrat, eodem modo: ac ſi ego dixiſſem meis auditoribus, quotieſcumque aderitis, adero & ipſe, Logicam, vel Ethicam, vel Phyſicam, vel Metaphyſicam explicaturus vobis, ex me quidem generaliter oriretur quod ipſi ſcholam ingrederentur; ex ipſis verò poſtea, quod ſcholam ingrediens eſſem, Logicam, vel Ethicam, vel Phyſicam, vel Metaphyſicam docturus. Nec ſequitur primam cauſam à ſecunda dependere, ſi quidem quòd determinari debeat ab ipſa, non manat ex indigentia, quaſi ſine ipſa cauſa ſecunda agere non potuiſſet, ſed ex ſingulari ſua erga cauſam ſecundam bonitate, qua illi deeſſe noluit; ſed promiſit auxilium eo tempore, quo ipſa ſeſe ad agendum determinaret, vt ſtatim dicebamus.

Quartò obiiciunt authoritatem Philoſophi 8. Phyſic. cap. 5. dicentis dari vnum primum motorem qui cætera moueat ad agendum, & 2. Metaph. cap. 2. cauſam ſecundam non mouere, niſi motam, i. determinatam.

Verùm hæc teſtimonia facilè explicantur. Primum aliqui ſic exponunt, vt cùm primus motor dicitur cuncta mouere, idem ſit ac neceſſariò cum illis concurrere, vt poſſunt operari. Eodem modo ſecundum explicant, non poteſt cauſa ſecunda mouere niſi mota, id eſt niſi concurſu Dei adiuta, non verò determinata. Addo & aliud, primum motorem cuncta mouere, idem eſſe ac cũcta agendũ ordinare, & ſecũdam causã mouere niſi motam, id eſt niſi fuerit ad agendum ordinata, & acceperit à prima cauſa virtutem illã operãdi ab initio ſuæ creationis, vnde dici poteſt primam cauſam generali determinatione cauſã ſecũda determinare, ab ea verò determinari ſpeciali determinatione & quoad exercitium.

*Secunda propoſitio.*



Google

Cauſa ſecunda non determinatur à prima, quoad ſingularitatem actus ſed à circumſtantiis, & conditionibus indiuiduantibus obiecti, & diſpoſitionum: verbi gratia ignis ad producendā hanc numero calefactionem non determinatur à concurſu cauſæ primæ, ſed ab hac numero materia, ab hoc loco, & aliis circumſtantiis ac diſpoſitionibus quæ ſunt in ipſa materia. Hæc propoſitio directè pugnat contra Conimbricenſes ad cap. 7. lib. 2. Phyſ. q. 13. art. 2.

Probatur, concurſus Dei eſt omnino vniformis ex D. Dionyſio ſuprà citato, ergo non eſt cauſa diuerſitatis, quæ cernitur inter effectus numero differētes cauſarum ſecundarum, ergo prima cauſa ad ſingularitatem actus nequit determinare ſecundam.

Cōfirmatur, ſi ad quālibet actionē in particulari, & in indiuiduo Deus determinaret cauſā ſecūdā, eā pariter ad actus malos in particulari, & indiuiduo determinaret, verbi gratia, ad hoc in particulari homicidium, quod tamen impium eſt: ergo hæc determinatio quoad ſingularitatem actus, non fit à prima cauſa, ſed potius ſumenda eſt ex parte talis obiecti in particulari, & talium numero diſpoſitionum, ita vt dicamus ignem verbi gratia, tunc hanc numero, & non aliam calefactionem producere. quia calor agit in talem numero materiam, talibus numero diſpoſitionibus affectam, talémque numero formam expoſcentem quæ illi à Deo determinata eſt, vbi his modis ſe habebit, tunc enim neceſſarium illi eſt hanc in particulari actionē, & nō aliā exercere, quā talis forma producatur, & non alia in tali materia, talibus diſpoſitionibus affecta, ſicut enim ad formam aliquam in ſpecie requiritur actio aliqua in ſpecie, ſic non eſt difficultatum quin ad aliquam formam in particulari, & in indiuiduo producendā ſaltem ſecundum naturæ curſum, requiratur pariter talis actio in particulari, & in indiuiduo.

## QVÆSTIO QVARTA, ET POSTREMA.

*De Cauſa finali.*

Philoſophi morales ex profeſſo agūt de fine, & explicant quòd ſit, quotuplex, an omne agens agat propter finem, & quomodo. Statuendum hic tantùm eſt, an finis ſit cauſa realis, & quænam ſit eius cauſalitas: pro hac re ſit.

*Prima propoſitio.*

Finis eſt cauſa realis.

Probatur, omne bonum eſt reale: ſed finis eſt bonus, imò optimus, ex 2. Phyſ. cap. 3. ergo finis debet eſſe ens reale, & conſequenter cauſa realis.

Probatur rurſus, cauſa realis dicitur quæ realiter cauſat; ſed finis realiter cauſat, ergo, &c. Minor probatur: finē cauſare realiter eſt mouere realiter: ſed finis realiter mouet agens ad agendum, ergo realiter cauſat.

Obiicies primò finis mouet tantùm metaphoricè, ergo non realiter, & ita non eſt cauſa realis.

Neganda eſt conſequentia, quando enim dicimus finem mouere metaphoricè: non excludimus realitatem, ſed ſolum ponimus diſcrimen inter cauſalitatem finis, & efficientis, quod efficientis cauſalitas longè æquiori iure videatur realis, & realiter attingens effectum, quàm finis, quæ propterea comparatè metaphorica dicitur, eo quod ſolum attingat productionem effectus alliciendo, & excitando agēs, vt prorumpat in actum determinatione, & quoad exercitium.

*Secunda propoſitio.*

Obiicies ſecundò, cauſa realis debet realiter exiſtere, atqui ſaltē vt plurimū finis eſt cauſa, cùm adhuc nondum exiſtit, vt videre eſt in ſanitate quæ ſtatuitur finis ægrotantis, antequam illi reſtituatur: ergo finis non eſt cauſa realis.

Maior neganda eſt ſatis enim eſt ad cauſam realem, quòd realiter cauſet, poteſt autem finis realiter cauſare antequam exiſtat, per apprehenſionem ſuæ bonitatis, & conuenientiæ, vt exemplo ſanitatis oſtendimus.

Denique obiicies, finis non eſt principium, ergo nec cauſa: conſequentia bona eſt, quia omnis cauſa eſt principium: antecedens verò leui opera demonſtratur, nam finis & principium opponuntur, finis enim dicitur quod vltimum eſt, principium verò quod initium.

Diſtinguo antecedens: finis non eſt principium, ſecundum executionem quo pacto eſt quid vltimum, concedo: ſecundum verò intentionē, quo modo eſt quid primum, nego.

*Secunda propoſitio.*

Finis non mouet ſecundum eſſe intentionale ſolum, ſeu intelligibile, ſed reale.

Probatur, finis ſecundum illud eſſe mouet agens ad agendum ſecundum quod ab ipſo agente deſideratur obtineri, atqui finis non deſideratur obtineri ab agente, ſecundum eſſe ſolum intentionale, ſeu vt intelligat quid ille ſit, ſed ſecundum eſſe reale: verbi gratia morbidus non mouetur ad ſanitatē, vt illam obtineat ſecundū eſſe intentionale tantum, ſed potius vt eſſe eius reale, realem bonitatem conſequatur, ergo finis, &c.

*Tertia propoſitio.*

Tametſi finis non moueat ſecundū eſſe intentionale, illud tamen eſſe neceſſarium eſt, vt agens per intellectum in ipſum feratur.

Probatur, illud eſt neceſſarium vt agens per intellectum in ſuum finem tendat, ſine quo ipſius finis deſiderio, & amore non raperetur: atqui ſine eſſe intentionali, ſeu intelligibili, finis agens per intellectum non detineretur ipſius finis amore, quia vt docet D. Aug. 1. de Trinit. cap. 1. & 2. rem prorſus ignotam nullus amare poteſt: ergo eſſe intentionale finis eſt neceſſarium vt agens per intellectum in ipſum tendat.

*Poſtrema propoſitio.*

Eſſe reale finis ſecundum quod mouet, non eſt præſens, ſed futurum, vel poſſibile.

Probatur ſecundum illud eſſe reale finis mouet, ſecundum quod obtineri intenditur: at non intenditur obtineri ſecundum eſſe præſens, ſed ſecundum eſſe futurum, vel poſſibile, vt patet: ergo, &c. Conſule ea quæ hac de re dicta ſunt in Moralibus.

## APPENDIX GENERALIS.

*de Cauſis per accidens.*

### SECTIO PRIMA.

*De Fortuna, & caſu.*

Mitto vana & ſtulta de fortuna Poetarum figmenta, dicóque *Fortunam eſſe cauſam per accidens in iis quæ per electionem, alicuius gratia fiunt, ad quem rarò ſequitur effectus*: etenim cum aliquando oriantur effectus improuiſi quorum cauſæ determinatæ non ſunt, neceſsū eſt ad cauſas per accidens recurrere, & quidem ſi fiant ab agente per electionem, vt eſt inuentio theſauri à fodiente terram, aſſignanda eſt fortuna, ſi oriantur ab agente rationis & electionis experte, vt cum equus confecto



Digitized by Google

certamine domum Domini reuertitur, tunc caſus appellatur.

Sed rogabit aliquis an ſi data opera quiſpiam theſaurum in terra deponeret, & theſaurus ille ab aliquo terram iſtam defodiente inueniretur, eiuſmodi inuentio theſauri diceretur ne fortunæ effectus vel fortuitus euentus?

Reſpondeo affirmatiuè, ſi modò fodiens terram de ipſa depoſitione theſauri in terra nihil vnquam audiuiſſet; licet enim poſito quod fuerit ibi theſaurus reconditus & terra aperta infallibiliter, ac neceſſariò orta ſit eius inuentio, fuit tamen præter intentionem agentis, nimirum hominis fodiantis terram, quod inueniretur, & ita æquiſſimo iure inter fortunæ effectus numeratur: ex quo patet fortunam modo explicato, eſſe neceſſariò admittendam.

Sed obiicies D. Aug. 1. lib. Retractationum, ſemetipſum reprehendere quòd aliquando fuerit vſus nomine fortunæ.

Reſpondeo D. Aug. ideo fuiſſe pœnitentia ductum quod aliquando fortunę nomen vſurpaſſet, propter abuſum Ethnicorum, non autem propter vſum quem habet in ſcholis Chriſtianorum Philoſophorum, ſcilicet pro cauſa per accidens, quæ non opponitur, ſed potius ſubiicitur ſuperiori prouidentiæ quæ omnia penitus regit & ordinat, neque enim vt eleganter D. Aug. 3. de Trinit. cap. 4. *Quidpiam fit ſenſibiliter & viſibiliter quod non de interiori, inuiſibili atque intelligibili aula ſummi imperatoris iubeatur, aut permittatur, ſecundùm ineffabilem iuſtitiam ſuam.*

Ex his quæ de fortuna diximus facile eſt de caſu ferre iudicium, nempe *eſſe cauſam per accidens in his quæ libertate carent*, vt exemplo ſuprà demonſtrauimus.

Cæterùm cùm tam ex fortuna quàm ex caſu dixerimus raro debere ſequi effectum, particula illa *raro*, non eſt accipienda ſic, vt tantum negat frequentem poſitionem effectus quocumque modo, quia multa rariſſimè contingũt, vt Solis & Lunæ defectus, quæ tamen non dicuntur effectus fortuiti & caſuales, ſed naturales, & neceſſarij, cum habeant cauſas determinatas, ex quibus certò & neceſſariò conſequuntur; ſed illa particula, *raro* accipienda eſt habita ratione cauſæ à qua procedit effectus, quæ raro debet, non autem regulariter talem effectum producere, vt apertio terræ reſpectu inuentionis theſauri vel lapidis pretioſi, caſus lapidis reſpectu vulneris, quòd infligitur deambulanti in via, raro enim contingit, vt ex talibus cauſis tales oriantur effectus, vt omnes intelligunt.

Rogabis an fortuna dicatur reſpectu Dei?

Reſpondeo negatiuè, probóque, eius tantum reſpectu fortuna admittitur præter cuius intentionem aliquid contingere poteſt: atqui nihil poteſt contingere præter Dei intentionem: ergo, &c.

## SECTIO SECVNDA.

### *De effectibus Fortunæ & Caſus, potiſſimum de monſtris.*

EFfectus fortuiti, & caſuales, aut oriuntur ex concurſu cauſarum efficientium, aut ex concurſu cauſæ efficientis cum materiali: priores ſunt illi quos numerauimus, vt inuentio theſauri à fodiente terram, læſio capitis à lapide cadente, & ſimiles. Poſteriores verò ſunt illi, qui raro in tali materia fiunt ab agente, vt quòd generans producat monſtrũ, & ex ſemine deſtinato ad productionem integri, & abſoluti corporis, fiat vel deminutũ, vel nimio exceſſu portentoſum, & hi effectus mõ-

ſtra vocantur, de quibus duabus quæſtionibus explicabimus quod magis erit ſcitu dignum.

## QVÆSTIO PRIMA.

*Quid ſit Monſtrum.*

VAriæ monſtri deſcriptiones proferuntur: prima deſumitur ex ſecundo Phyſ. cap. 8. textu 92. *Monſtrum eſt error eius qui propter finem agit*: Secunda deſumitur ex lib. 4. de generatione animalium cap. 4. *Monſtrum eſt oblæſio rei præter naturam eius, in his quæ non ſemper, ſed ut plurimum, eodem modo agunt*: Poſtrema, quæ magis probabilis, hęc eſt, *Monſtrum eſt naturalis effectus à recta, & ordinaria ſecundum ſpeciem diſpoſitione degenerans.*

Dicitur, *Naturalis effectus*, ad diſtinctionem eorum qui ex Philoſopho ſuprà in rebus artificioſis contingunt, vt cùm Grammaticus non rectè ſcribit, & Medicus non rectè ſanat: quæ exépla ſunt Ariſtotelis, hæc enim artis peccata propriè monſtra appellari non debent, ſed metaphoricè tantū, & analogicè analogia ſumpta à rebus naturalibus in quibus monſtra propriè locum habent.

Secunda particula *degenerans à diſpoſitione ordinaria* adiungitur vt intelligamus monſtra tantum conſurgere, quãdo aliquid præter ordinem intentū ab agente oritur, & extraordinariè fit cõtra diſpoſitionem rectam, vt ſi in Gallia pygmęi naſcerentur, & in pygmæorum patria gigantes.

Vltima particula eſt *ſecundum ſpeciē*, quę ſignificat tunc monſtrum dici, cùm aliquid deflectit ab integritate ſuæ ſpeciei, vt homo monoculus & biceps, quia integritas humanæ ſpeciei duos oculos, vnicum verò caput, poſtulat.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*De Cauſis Monſtrorum.*

PRima eſt nimia materiæ & ſeminis copia, hinc enim monſtra illa oriũtur quæ exceſſu à recta ſuæ ſpeciei diſpoſitione degenerant, vt cùm naſcitur aliquis biceps, multáque habent membra ſuperflua, aut ad altioré magnitudinem excreſcit.

Secunda cauſa eſt materiæ penuria ex qua oriuntur diminuta corpora, vt homines monoculi, vnipedes, & nimia ſua paruitate portentoſi.

Tertia cauſa eſt materiæ ſeu ſeminis confuſio, cùm videlicet diuerſarũ ſpecierum ſemina inter ſe miſcentur, ſicut plerumque fit, tam in mari vbi diuerſi piſces coëunt & ſæpius congrediuntur, quã in Africa vbi aquarum penuria ad paucos omnes cõgregãt ſeſe feræ, & vbi ſemina ſua cõmiſcent, vnde ortum eſt prouerbiũ, *Africa ſẽper aliquid noui habet.*

Huius confuſionis ſeminum cauſas fortaſſe rogabit aliquis, ſi homo & bellua ſimul congrederentur, an quod fieret, eſſet eſſentialiter homo, vel bellua, an denique aliqua alia tertia ſpecies: licet enim eſſet monſtrum ratione ſuorum defectuum, nihilominus tamē foret verum aliquod ens reale, & cõpletum, proindéque alicuius ſpeciei. Hæc interrogatio duo proponit ſoluenda: primum, cuius determinatæ ſpeciei eſſet fœtus ille ex duplici eiuſmodi ſemine hominis, & belluæ productus: ſecundum, an ex duabus ſpeciebus poſſit tertia conſurgere.

Quod ſpectat ad primũ, reſpõdeo hac de re nihil certò poſſe ſtatui: dicũt enim aliqui ſe de facto experientia didiciſſe quòd ex cõgreſſu hominis & bellųę verus homo fuerit aliquãdo genitus, alij verò nõ modo iſtud in dubium reuocant, ſed penitus negant, hac ratione ducti, quod *Bonum ex integra tantum cauſa fit, malum verò ex minimo defectu, & effectus ſẽper ſequatur debiliorem partem ſuæ cauſæ:*

Nam ex primo concludunt hominem ex mixtione humani & belluini ſeminis non poſſe naſci, eo quod mixtum illud ſemen nō poſſit omnes conditiones ſeminis ad generationem hominis idonei obtinere, ſed ſemper in quadã deficiat, ideòque non ſit integra & immaculata cauſa ipſius hominis, ſed defectuoſa: ex poſteriori verò propoſitione & principio inferunt, quod naſceretur ex coïtu hominis & belluæ potius belluam fore, quàm hominem.

Si tamen velit aliquis prioris opinionis autoribus credere, ad primam rationem poſterioris ſententiæ dicet, illam dumtaxat vim habere contra eorum ſententiam qui inficiantur tertiã ſpeciem produci poſſe ex congreſſu duarum diſtinctarum, qua de re, ſtatim.

Ad alteram rationem reſpondendũ erit, effectum non ſequi debiliorem partem ſuæ cauſæ, niſi quando contingit ſuperiorem illam partem vinci à deteriori, non verò quando contrariũ accidit, & potius pars ſuperior inferiorem, ac deteriorem vincit. Itaque ſi miſcerentur ſemina hominis & belluæ, homo oriretur, ſi ſemen hominis præualeret, belluã è contrà, ſi belluinũ ſemen victoriam reportaret. Vt argumenta, ita ſolutiones probabilitate tantùm nituntur, & liberum manet vnicuique quod voluerit iudicare.

Quod vero attinet ad poſterius dubium, nimirum vtrum ex duabus ſpeciebus ſimul congredientibus oriatur tertia ſpecies, certum eſt id tantum poſſe continere, quando ſemina illa quæ ab ipſis immittuntur talia ſunt, vt vnum non omnino alterum ſuperet, & ſuis diſpoſitionibus imbuat, tunc enim quod naſceretur eſſet illius ſpeciei à qua fortius ſemen emanaſſet, ſed id poſſe contingere cùm vel neutrum ſe mutuo vincit, vel alterat, vel certè cùm vnum ab altero parum alteratur: ita vt nec amplius cum ſuis omnibus diſpoſitionibus ad ſuum effectum requiſitis permaneat, nec tamen imbuatur omnibus illis quæ debent ineſſe ſemini alterato, ex quo naſci poſſit effectus alterius ſpeciei: nam cùm tunc effectus ad nullam ſpeciem pertineat, quæ ſemen emiſit, inferunt illam debere eſſe alterius. Quam rationem ſi quis probare velit.

Reſpondeat ad dubium affirmatiuè; ſi verò contradicere velit, dicat in propoſito caſu, vel certè produci effectum deterioris ſpeciei, quia effectus ſequitur ſemper debiliorẽ partem ſuę cauſæ, vel neget tunc fieri generationem viuentis ex ipſis ſeminibus, quia ad nullum habent conditiones neceſſarias, ſed ſemper in aliquo deficiunt.

Quarta monſtrorum cauſa tenet ſe ex parte loci in quo recipitur ſemen concurrens ad generationem fœtus, contingit enim aliquando vt ea de cauſa materię non benè diffundatur, nec ſingulæ corporis partes membratim exprimantur. Item contingit ob loci diuerſitatem ſemina ſeparari, & poſtquam generatio cœpit inter ſe cõfundi ex priori defectuoſa corpora, ex hoc verò poſteriori naſcuntur bimembres & ſimiles monſtruoſi fœtus.

Quinta cauſa eſt virtus formatrix quæ ſemini ineſt, cum membra articulatim efformare, ac diſtinguere non ſtudet, aut debilitata non poteſt: hinc oriuntur omnis ferè generis imperfectiones in corpore fœtus, vt quod diuerſæ ſpeciei membris conſtetur, verbi gratia capite arietino & reliquis humani corporis partibus. Item quòd partes indiſcretæ relinquantur, ac proinde ineptę ſit quæ muneribus ſuis naturalibus rite defungantur. Tertiò

Digitized by Google

tiò quòd partes ſuis locis non diſponantur, iecur in ſiniſtro latere, lien verò in dextro conſiſtat, denique quòd hermaphroditæ prodeant, cùm nimirum ad vnum determinatum ſexum non intendit virtus ipſa formatrix in fœtus delineatione.

Sexta cauſa cenſetur qualitatum temperies, quæ cùm apprimè ad generationem fœtus requiratur, quando non ſeruat menſuram requiſitam, varias inducit deformitates, & obliquitates: ſic poteſt contingere, vt calore ſuprà modum æſtuante infantes in vtero barbati ſint: è contrario vero nimis creſcente humiditate ac vltra rationem calore deficiente aliqui infantes cum canitie oriantur, quæ omnia mònſtra ſunt, ac præter intentionem agentium naturalium.

Septima cauſa ſolet numerari patriæ ac loci naturalis conſtitutio, quā multum ſibi arrogare in rerum generatione nemo dubitat, efficit enim vt ſi variis temperamentis ſubiaceat, interdum obliquis, ac peregrinis formis fœtus induantur.

Addunt alij cœlum ſtellarúmque influxum inter monſtrorum cauſas, eo quòd influxus ille multum ſibi vendicet in rerum inferiorum productione; propterea enim poteſt varias formas illis imprimere, alias naturales & cōgruas; alias deformes, & vitioſas, ex quibus poſterioribus monſtra contingunt.

Denique & ipſa parentum imaginatio radix obliquitatis & deformitatis ſtatuitur, quatenus in cauſa eſt, cur virtus formatrix munera ſua imperitè exequatur circa fœtus formationem, cuius rei multi multa exempla proferunt, vnde & mulieres admonentur, ne aliquid peregrinum firmius animo concipiant. Plura de monſtris videri poſſunt apud D. Aug. 15. de ciuit. cap. 9. & 16. c. 8. Albertū magnum lib. 2. phyſ. tract. 3. capite 3. Ariſtotelem 4. de generatione animalium cap. 4. & alios non infimæ notę Philoſophos.

## SECTIO TERTIA.

### *De Fato.*

DE Fato multa ſcribit Tullius lib. 1. de Diuinatione verſus finem; quorum nonnulla ſatis videntur accōmoda, alia verò omnino falſa: priora ſunt quibus fatum ſic deſcribit: *Fatum eſt ordo ſeriéſque cauſarum*: quod certè verum eſt, ſi connexio cauſarum ſit etiā in ordine ad ſupremam cauſam, omnes alias ad agendum pro ſuaui ſua prouidentia diſponētem, vt dicetur infra: At falſum aliud habet, quod videlicet omnia à fato neceſſariò eueniant quē ſecutus Seneca. *Fatum* ait *eſſe neceſſitatem rerum actionúmque quam vis nulla rumpit*: vel vt aliis placet, *Fatum eſt indeclinabilis rerum ſeries, & catena quæ ſeſe per æterna conſequentiæ ordines implicat.* Denique & ipſi Poëtę nugarum architecti & fabularum interpretes, hāc doctrinam ſecuti de facto plurima fabuloſè narrarūt, illi non mortales ſolū, ſed Deos ipſos ſuos verè mortalibus deteriores ſubiiciētes. Verùm vt cōſtet qua ratione factū ſit admittendum, & qua reiiciendū, iuxta catholicum dogma; ſit.

### *Prima propoſitio*

SI fatum accipiatur pro cauſa aliqua ineuitabili, & quæ inferat neceſſitatem ad agendum, nullo pacto eſt admittendum: tum quia tolleret omnem libertatem ab agentibus, & omnem contingentiam effectuum: tum quia auferret neceſſitatem diuini concurſus ad producendos effectus cauſarum ſecundarum, quia eo ſemel poſito neceſſariò, ſequeretur effectus, quod tamen prius fuit à nobis impugnatum.



Digitized by Google

*Secunda propoſitio.*

SI fatum accipiatur pro diſpoſitione cauſarum ſecundarum, quatenus diuinæ prouidentiæ ſubordinantur, qua diſpoſitione poſita cauſæ illæ infallibiliter operantur, erit ſine periculo & catholicè recipiendum, tam in cauſis neceſſariis, quàm liberis ſed diuerſa ratione.

Probatur prior pars propoſitionis, etenim certum eſt ex diſpoſitione cauſarum ſiue neceſſariarum, ſiue liberarum, per diuinam prouidentiam infallibile eſſe, vt omnes illę cauſæ effectus ſuos habeant, alias fallibilis eſſet & irriſoria Dei prouidentia, quod dicere impium eſt.

Poſterior verò pars declaratur, ſiquidē vt diuerſa ratione cauſæ neceſſariæ & liberæ infallibiliter operantur, etiam cùm referuntur ad diuinam prouidentiam eas ad agendum ordinantem, quia cauſa neceſſaria ita agit, vt poſitis omnibus ad agendum requiſitis ex cōſtitutione diuinę prouidentię non poſſit non agere, cauſa verò libera poſſit actum ſuſpendere, vel omnino non agere: ſic etiam alia ratione fatum admittitur in cauſa neceſſaria, & libera.

Confirmatur hæc ratio: nam cauſam neceſſariam agere infallibiliter ex diſpoſitione diuinæ prouidentiæ, dicit ex vi aliqua intrinſeca ſuum effectum ita producere, vt ab eo producendo ſeſe abſtinere non poſſit, cauſam verò liberam infallibiliter agere ex eo quòd diſponatur per Dei prouidentiā, non eſt per vim aliquam ſibi impreſſam in actum prorumpere, ita vt ab eo ceſſare non poſſit: ſed tantum eſt poſito hoc & illo ſtatu, in quo præuidit futurum, vt cauſa libera actu operaretur, eam infallibiliter eſſe operaturam, quæ infallibilitas non imponit neceſſitatē, nec obſtat quominus cauſa ſecunda ſeſe liberè ad operandum accingat, poſſitque non operari

Neque ex hoc ſequitur fallibilem eſſe diuinam prouidentiam, & præſcientiam, quia Deus non diſpoſuit cauſas liberas ad agendum neceſſariò, nec præuidit illas ita eſſe, ſcilicet neceſſariò operaturas, ſed liberè, adeo vt poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis agere poſſint, & non agere, vt in ſermone de concurſu Dei cum cauſis ſecundis demonſtrauimus: ergo diuerſa ratione admittitur fatum in cauſis neceſſariis & liberis.

Fatum igitur catholicè ſumptum, ſic poteris definire: *Fatum eſt ordo cauſarum ſecundarum diuina prouidentia decreta exequentium.*

Ex quo primò intelligis fatum neque ſimpliciter eſſe cauſas naturales, neque ſimpliciter diuinam prouidentiam: ſed cauſas naturales, quatenus ad diuinam prouidentiam, cui ſubſunt, habitudinem dicunt.

Secundò intelligis fatum ne quidem hac poſtrema ſignificatione dici comparatione Dei, nam ſicut non poteſt neceſſitari ad agendum extra ſe, nec ita cum aliis cauſis connecti, vt tunc non poſſit non agere: quia hæc ſuprema cauſa nulli alteri ſubordinata eſt, ipſamet prouidentia nulli ſuperiori prouidentiæ ſubiecta, à nulla alia cauſa dependens, ſed omnes alias ad agendum diſponens: ita etiam dici non poteſt quòd in agendo ſit de illarum cauſarum numero, quæ connectuntur inter ſe ad decretum diuinæ prouidentiæ cui ſubſunt, exequendum.

*Hæc de Cauſis.*

Google

CORTEX

# PHYSICÆ ARBORIS.

## SEV AFFECTIONES ET accidentia corporis naturalis.

## TRACTATVS PRIMVS.

*De Quantitate, vnica diſputatione contentus.*

### SECTIO PRIMA ET SECVNDA.

*De nomine & exiſtentia Quantitatis.*

HIc breuiter reſumimus quę fuſius in Logica explicata ſunt, *Quantitatem* generatim eſſe eam, *à qua res magna dicitur*; vel ob virtutem aliquam, & perfectionem. & tunc. *Quantitas virtutis & perfectionis* vocatur; vel ob aliquã molem, & tunc *Quantitas molis* nuncupatur, cuius tres tantum legitimas ſpecies licebit agnoſcere, lineam ſuperficiẽ & corpus: reliquis vt numero, oratione, loco (ſi à ſuperficie diſtinguãtur) tempore & motu reiectis.

De exiſtentia propriè dictæ quantitatis nulli fas erit dubitare, niſi oculorum & ſenſuum omnium iudicio penitus careat, cùm ipſis ſenſibus lineæ ſuperficies, & corpora, quæ ſunt illæ legitimæ quantitatis ſpecies, ſufficienter pateant.

### SECTIO TERTIA.

*De eſſentia Quantitatis.*

### QVÆSTIO PRIMA.

*An omnis extenſio ſit de eſſentia Quãtitatis?*

REſpõſio eſt negatiua, iuxta ea quæ in Logica dicta sũt, cõſtat enim extẽſionẽ localẽ nõ eſſe de eſsẽtia quantitatis, quia ab illa auellitur, vt oſtẽdimus exemplo Dominici corporis in altari exiſtentis.

Solum difficultas eſt, an illa extenſio, quã entitatiuã vocauimus, etiã deriuetur à quantitate, ſanè nõ manare in Logica cõcluſũ eſt, quia ibi dicimus ſolã extẽſionẽ quantitatiuã in ordine ad ſe eſſe eſſentialem quantitati. Hanc verò in eo ab entitatiua diſtinximus, quod quantitatiua non tantum ponat ſubſtãtiæ partes extra ſe mutuo, ſed præterea illis conferat vim ad ſeſe extendendum localiter, & ſimul quodlibet aliud corpus à ſuo proprio loco expellẽdũ: *Entitatiua verò duntaxat ſubſtantiæ conferat partium diſtinctionem, ſine virtute expellendi aliud corpus, ab eo loco in quo erit.*

Difficultas autẽ aliqua naſcitur circa hãc entitatiuã extenſionẽ, nã ſi admittatur in ſubſtãtia materiali, vel erit ſubſtãtia, vel accidẽs: ſi ſubſtãtia, iã nõ erit tantũ proprietas ſubſtãtiæ materialis, quod falſum eſt: ſi ſit accidens, aut erit quãtitas aut qualitas, aut relatio, aut alterius cuiuſdã ſpeciei accidens, nullũ tamẽ cõueniẽtius à quãtitate aſſignari poteſt: igitur sẽper illa extẽſio, quã entitatiuã vocamus, à quãtitate manabit, ſicque erit quãtitatiua, cõtra prædicta.

Reſpõdeo ad maiorẽ, hãc entitatiuã extẽſionẽ propriè nec eſſe ſubſtãtiã nec accidens ſed modũ ſubſtãtialẽ, ab ipſa ſubſtãtia corporea ratione ratiocinata diſtinctũ, ſeu eſſe ipsã ſubſtãtiã materialẽ, quatenus diſtinctis ſuis partibus cõſtat, quarũ vna nec alia eſt, nec neceſſario in alia, v. g. entitatiuã extenſionẽ humani corporis non eſſe ipſam corporis ſubſtantiam, vt ſic, nec aliquod accidẽs, ſed ſubſtãtiã illius corporis quatenꝰ omnibꝰ ſuis partibꝰ inter ſe diſtinctis, capite, brachiis, pedibuſq;



Digitized by Google

coaleſcit, ſic vt ſubſtantia capitis non ſit ſubſtantia pedis, aut brachiorum, nec in illa neceſſario exiſtere debeat.

Addo neceſſariò, quia reuera fieri poteſt vt multæ ſubſtantiæ partes intra ſe conſtituantur per impenetrationem tum illa impenetrabilitas oriatur à quantitate, & adiungatur ſupra entitatiuam extenſionem, vt in Logica dictum eſt.

Secunda difficultas contra hanc entitatiuam extenſionem eſt, quòd ſi illa admittantur in ſubſtantia materiali illi quantitatiua adueniente, duæ erunt in eadem ſubſtantia extenſiones, vna entitatiua: altera quãtitatiua, quod eſt ſuperfluum, cùm vna res vna extenſione ſufficienter extendatur, & etiam impoſſibile, cum ex Ariſtotele, *duæ dimenſiones nequeant eſſe ſimul.*

Reſpondeo ſine incommodo in eadem ſubſtantia corporea poſſe admitti duplicem extenſionem, vnam entitatiuam, alteram quantitatiuam, nec vnam efficere quod vtraque præſtat; quoniam entitatiua dat tantum ſubſtantiæ quòd entitatiuè extendatur, id eſt diſtinctas habeat partes, & impermixtas, non quòd aliud corpus à loco in quo eſt expellere poſſit, hanc verò impenetrabilitatem ortum accipere à quantitatiua extenſione, nec etiam repugnare duas dimenſiones eſſe ſimul maximè cùm ſint diuerſi ordinis, vna entitatiua, altera verò quantitatiua, vt in propoſito: Ariſtotelem autem dicimus negare tantum duas dimenſiones ſimul eſſe poſſe, ſi duæ ſint quantitatiuæ; non verò loqui de illis, quarum vna ſit entitatiua, altera verò quantitatiua.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*An termini Quantitatis illam componant.*

VT clarior relinquatur propoſitæ difficultatis ſtatus, hæc ſunt præſupponenda fundamenta.

Primum, dari aliquos in continua quantitate (de illa enim tantum agitur) terminos, hoc enim conſtat ex Ariſtotele cap. de quantitate in Categ. vbi in eo ſeiũgit continuam quantitatem à diſcreta, quod illius partes communi aliquo termino copulentur & cõtinuẽtur vt partes lineæ pũctis, partes ſuperficiei lineis, partes denique corporis ſuperficieb⁹, illi⁹ verò minimè.

Secundum fundamentum eſt terminos illos quantitatis continuæ eſſe in duplici differentia: alios vocari continuantes, alios ſolùm terminantes. Priores dicuntur, quibus duæ partes alicuius magnitudinis connectuntur, poſteriores verò ſunt illæ extremitates quibus aliqua magnitudo concluditur.

Tertium fundamentum eſt, terminos illos quantitatis, quatenus tales ſunt, eſſe indiuiſibiles, vt punctum quod eſt lineæ terminus, linea quæ ſuperficiem terminat, ſuperficies quâ corpus terminatur: etſi enim linea & ſuperficies habeant aliquam diuiſibilitatem, linea ſecundum longitudinem, ſuperficies ſecundum longitudinem & latitudinem, vt tamen ſunt termini quantitatis, linea ſuperficiei, & ſuperficies corporis, omnimodam indiuiſibilitatem ſortiuntur, eſt enim linea terminus ſuperficiei, quatenus ſecundum latitudinem indiuidua eſt, & ſuperficies corporis, quatenus ſecundum profunditatem diuidi nequit.

Quartum fundamentum eſt, compoſitionem quæ refert ad preſens inſtitutum, eſſe duplicem, vnam eſſentialem, ex genere & differentia, materia & forma, qualis eſt in homine ex animali & rationali, ex anima & corpore, aliam entitatiuam, & integralem, quæ fit ex partibus integrantibus, quomodo homo componitur

Digitized by Google

ex capite, brachijs, pedibus, & aliis corporis partibusquæ vulgò integrantes nuncupantur.

Poſtremum fundamentum eſt, vt notat Suarez 2. T. metaph. diſp. 40. ſect. 5. n. 35. continuum ex duobus conſtari, & ex partibus continuis, à quibus accipit vt ſit extenſum, & ex indiuiſibilibus tamquam ex terminis à quibus habet vt continuetur.

Difficultas igitur eſt an illa indiuiſibilia, verbi gratia puncta, non tantùm ſint termini, ſed etiam poſſint dici partes ipſius continuæ quantitatis, ſeu (quod in idem recidit) an continuum conſtet ex indiuiſibilibus, tanquam ex partibus, linea ex punctis, ſuperficies ex lineis, corpus ex ſuperficiebus; vel tempus ex inſtantibus, & motus ex mutatis eſſe.

De hac re vetus olim extitit Pythagoræ, & Stoicorum ſententia, reuera continuum ex ſolis indiuiſibilibus, verbi gratia lineam, ex punctis, tanquam ex partibus conſtari. Verùm poſtquam ille error vetus ſepultus eſt, huius veritatis cœpit radius effulgere, nullum continuum ex indiuiſibilibus, tanquam ex partibus coaleſcere, ſed iis ſolùm terminari: variis autem ſententia hæc rationibus poteſt demonſtrari.

Prima eſt, nullum indiuiſibile additum indiuiſibili facit aliquid diuiſibile, imo non videtur per quid immediatè iungi poſſint duo indiuiſibilia, cùm nullas extremitates habeant in quibus vniantur: ergo ex indiuiſibilibus nullum diuiſibile, & quantum poteſt conſurgere.

Secunda, ſi continuum conſtaret ex ſolis indiuiſibilibus, vt pote linea ex punctis, non omnis linea eſſet diuiſibilis in partes æquales, quod eſt contra Euclidem lib. 1. Elementorum, propoſitione prima; vel ſi eſſet diuiſibilis in partes æquales, punctum eſſet diuiſibile, quod eius definitioni repugnat: *Dicitur enim punctum id cuius pars nulla eſt*: ergo continuum non poteſt conflari ex ſolis indiuiſibilibus. Probatur ſequela antecedentis: Detur linea nouē conſtans punctis, & diuidatur in duas partes, vel vna pars conſtabit quinque punctis, altera quatuor, & ſic non erit diuiſa linea in partes æquales, quod eſt primum incommodum; vel vtraque pars conſtabit quatuor punctis cum dimidio puncti, & ſic punctum diuidetur, quod eſt ſecundum incommodū: ergo ſi linea ſolis indiuiſibilibus ſeu punctis conficeretur, vel non omnis eſſet diuiſibilis in partes æquales, vel punctum eſſet diuiſibile.

Tertia ratio omnino mathematica eſt, ſi continuum ex ſolis indiuiſibilibus, tamquam ex partibus coaleſceret, tot eſſent partes in vno latere quadrati quot in diametro, ſicque æqualis omnino eſſent magnitudinis latus quadrati & diameter eiuſdem atqui hoc ſenſui repugnat, ergo, &c.

Probatur conſecutio maioris; à latere quadrati ad oppoſitum latus, per eiuſdem quadrati aream ab omnibus punctis ducantur lineę; proculdubio, tota ipſius quadrati area replebitur: atque adeo ipſemet totus diameter, & quidem his punctis quæ ab vno latere quadrati per ipſum diametrum ad oppoſitum latus tranſierunt, ergo diameter non plures habet partes, quàm latus quadrati: & ſic inter vtrumque omnimoda erit æqualitas.

Quarta ratio pariter mathematica eſt, ſi continuum conſtet indiuiſibilibus tanquam partibus, minor circulus infra maiorem deſcriptus erit ipſi maiori æqualis, & totidem partibus conſtabit. Probatur iſtud; ducantur lineæ ab omnibus punctis maioris circuli ad



Digitized by Google

centrum, illæ omnes lineæ per minorem tranſibunt, atque adeo tot in eo minori circulo puncta & partes reperientur, quot in maiori circulo.

Neque poteſt aliquis reſpondere multas lineas à punctis maioris circuli deductas confluere ad idem punctum minoris circuli, ſicque ſemper pauciora puncta, paucioreſque partes fore in minori circulo, quàm in maiori; ſiquidē omnes lineæ à circumferentia circuli ad centrum ductæ, æquales eſſe debent, omnium Mathematicorum iudicio, quod tamen non fieret, ſi multæ lineę à circonferentia maioris circuli ad centrum ductæ, in idem punctum minoris circuli confluerent, ſed vna eſſet obliqua, atque adeo longior altera, & ipſi inęqualis.

Obiicies primò locum Ariſtotelis 1. Top. cap. 14. vbi ſtatuit punctum ad lineam eodem modo ſe habere quo vnitas ad numerum, atqui conſtat vnitatem eſſe partem numeri, ergo & punctum lineæ.

Reſpodeo ad maiorem, punctum ad lineam ſe habere eo modo quo vnitas ſe habet ad numerum in ratione principij, quod nempe punctum ſit lineæ principium, ſicut vnitas numeri, non tamen eamdem in omnibus rationem eſſe puncti ad lineam, & vnitatis ad numerum, maximè in eo quod vnitas poſſit habere ratione partis in numero, punctum verò lineæ pars eſſe nequeat, vt rationibus propoſitis confirmatum fuit.

Obiicies ſecundò ex eodem Ariſtotele 1. Poſt. cap. 4. indiuiſibilia eſſe prædicata per ſe primò de continuo, vt pote ſuperficies de corpore, linea de ſuperficie, & punctum de linea, ergo inferes, putat Ariſtoteles, indiuiſibilia ſpectare ad eſſentiam continui, & eſſe illius partes.

Reſpondeo negando conſequentiā nam ſub prædicato per ſe primo modo complectitur Ariſtoteles non tantum ea quæ ſpectant ad eſſentialem conſtitutionem, ſed etiam ea quæ intrinſecè concurrunt ad integritatem eſſentiæ, & ſine quibus eſſentia nequit conſiſtere, quomodo ſe habent indiuiſibilia reſpectu continui; puncta verbi gratiā reſpectu lineæ, vt habetur declaratum in ſuperioribus, maximè ex poſtremo fundamento.

Obiicies tertiò, ſphæra ſuper planū mota deſcribit ſpatium continuum & quantum indiuiſibilium decurſu, illud enim neceſſariò in puncto & indiuiſibili tangit, aliàs nō erit perfecta ſphæra; ergo ex indiuiſibilibus continuum componitur.

Hoc ſanè argumentum non caret neruis, & difficultate; vnde alij negato antecedenti dicunt mobile quando mouetur correſpondere ſpatio ſemaiori, ideòque licet ſphæricum corpus tangat planum in puncto, dum quieſcit, illud tamen cùm mouetur in linea tangere. Sed hæc reſponſio non ſatis concipi poteſt, nec cadit ſub intellectum, quomodo corpus quod mouetur eo ipſo, quòd mouetur ſpatium aliquod ſe maius occupare poſſit, cùm in ſpatio non ſit niſi per ſui exiſtentiam & præſentiam in illo.

Rectius igitur alij negato pariter antecedenti aiunt ſphæricum corpus non tangere planum in puncto, ſed in tam exigua parte, vt propter tenuitatem ſenſum fugiat, & inſtar puncti iudicetur indiuiſibilis.

Vrgebis, corpus illud quod non tanget planum in puncto non futurum perfectè ſphæricum, ſed aliquo pacto planum, quod eſt contra hypotheſim.

Reſpondeo, corpus illud fore ſphæricum, quantum corpus mobile ſphæri-

Digitized by Google

cum eſſe poteſt; quòd ſi ita eſſet (ſphæricum, vt deberet planum in puncto contingere, vel fortè illud de facto nō poſſet contingere, eo quod contactus corporum debet eſſe quãntus, ille verò eſſet indiuiſibilis, vel ſi contingeret, quod eſt probabilius, non fieri motum continuum & diuiduum; cùm motus continuus & diuiduus debeat fieri per tranſitum partium diuiduarum, quod non fieret, ſi mobile contigeret ſola indiuiſibilia corporis ſupra quod mouetur.

Fieri autem contactum corporis perfectiſſime ſphærici in plano demonſtrat inter cæteros Suarez 2. tomi metaph. diſp. 4. ſect. 5. numero 11. detur globus perfectus, & ſphæra perfectiſſima, quæ ſua grauitate deorſum deferatur, ſi contingat (quod fieri poteſt) vt corpus planum obuiam occurrat, impedietur ab illo ne deſcendat inferius, vel ſi vincat ſuo pondere, planum ipſum deorſum deuehet, quæ omnia ſine contactu reali intelligi non poſſunt.

## QVÆSTIO TERTIA.

*An indiuiſibilia ſint in continuo actu, necne.*

Qvæſtio eſt de indiuiſibilibus, tam terminantibus, quàm copulantibus & continuantibus, an realiter habeant locum in continuo.

Abſolutè negat Durandus, contenditque puncta in linea, verbi gratia, nihil aliud eſſe quàm negationes longitudinis vlterioris.

Alij diſtinctione vtuntur, reiiciunt indiuiſibilia continuantia, & ſola terminantia retinent.

Fonſeca in 5. metaph. cap. 13 q. 6. ſect. 5. putat nulla dari puncta, lineas nullas, ſuperficiéſque; præter eam ſuperficiē quæ exterius apparet in corpore.

Omnium optima & communiſſima quam docent D. Thomas opuſculo 13. cap. 2. *Scotus* in 2. diſt. 1. q. 3. & latè explicat Suarez loco citato, numero 9. & ſequentibus his noſtris propoſitionibus explicanda eſt.

*Prima propoſitio.*

Indiuiſibilia ſaltem terminantia ſunt neceſſariò admittenda in continuo, tanquam entia quædam realia & poſitiua.

Probatur, continuum non eſt interminatum & infinitum: ergo realiter terminatum & ſuis finibus concluſum: ergo dantur in eo termini, non quidem diuiſibiles, quia iam per aliquid ſui terminarentur, & non ſimpliciter terminarent, ergo concedendi ſunt in cōtinuo termini indiuiſibiles.

Obiicit Durandus, ideò tantum requiritur punctum terminans in linea, vt per illud linea ipſa reddatur finita & limitata: atqui ad hoc non exigitur punctum, ergo nullo pacto. Minor probatur, linea ſecluſo omni puncto terminante finita remanet, & limitata, nō autem infinita, cum additione aut detractione puncti, nec minuatur, nec augeatur linea: ergo punctum non eſt neceſſarium vt per illud linea finita reddatur.

Reſpondeo diſtinctione maioris, pūctum in linea exigitur, vt ipſa reddatur finita poſitiuè, id eſt per realem terminum ipſam realiter finientem, cōcedo, vt ſit finita negatiuè, id eſt per negationem vlterioris magnitudinis, nego atque ſecundum hanc deſtinctionem minor neganda eſt, punctum videlicet in linea non requiri vt finiatur.

Ad probationem eius dicendum eſt ablato puncto à linea ipſam nec poſitiuè remanere finitam nec infinitam: ſed finitam, & infinitā negatiuè: finitā, quia habet negationē vlterioris magnitudinis: infinitā verò, quia habet negationē termini poſitiui eā poſitiuè finiētis

Digitized by Google

*Secunda propoſitio.*

IN diuiſibilia continuantia, tanquam entia realia & poſitiua, ſunt neceſſariò in continuo admittenda.

Probatur primò, quando corpus perfectè ſphæricum vel pyramidale cadit ſuper perfectiſſimè planum, illud tangit in aliquo reali, alioqui non tangeret realiter: ergo cùm tangat in puncto, neque ſemper extremo, dantur puncta quædam realia continuantia.

Secundò partes continui realiter vniuntur & continuantur, ergo per aliquid reale in illis exiſtens, & quidem indiuiſibili (ſi enim diuiſibile, haberet partes coniunctas, & non eſſet ſimplex copula, quod eſt contra hypotheſim) ergo fatendum eſt dari in continuo indiuiſibilia continuantia.

Obiicies, indiuiſibilia non poſſunt vnire partes continui, niſi & ipſa vniantur, atqui intelligi non poteſt quo pacto indiuiſibilia vniantur, deberent enim habere aliquas extremitates per quas vnirentur, quod dici non poteſt: ergo nulla ſunt indiuiſibilia vnientia ſeu continuantia.

Reſpondeo negando minorem, ſatis enim intelligimus indiuiſibilia quæ connectunt lineę partes, ſeipſis & immediatè illis vniri: eodem modo ac inhærentia quæ coniungit accidens cum ſubſtantia, per ſe & immediatè accidẽti & ſubſtantiæ vnitur.

Secundò obiicies, ſi dentur indiuiſibilia continuantia, illa erunt numero infinita, ergo & infinitæ partes quę cõtinuabuntur, quod non videretur aſſerendum.

Verùm huius obiectionis ſolutio facilius infra aſſignabitur, vbi oſtendemus quo ſenſu infinitę partes in continuo reperiantur.

Tertiò obiicies, ſed ſimul contra vtramque concluſionẽ, nullius indiuiſibilis, ſiue continuantis ſiue terminãtis ſubiectum aſſignari poteſt, ergo nulla ſunt admittenda. Probatur antecedens: ſi aliquod ſubiectum puncti ſiue indiuiſibilis aſſignari poſſit, vel illud erit accidens; & hoc non, quia accidens non eſt proprium ſubiectum accidentis, cuiuſmodi eſt indiuiſibile, ſiue continuans, ſiue terminans: vel erit ſubſtantia, & hoc etiam non poteſt dici, aliàs admittenda quoque eſſent indiuiſibilia ſubſtantialia, quæ correſpõderent quantitatiuis, quod abſurdum eſt. Abſurdum verò eſſe oſtenditur, ſi enim in ſubſtantia (intellige materiali) admitterentur indiuiſibilia, concedendum eſſet quando ſecatur aliquod corpus certæ cuiuſdam magnitudinis, verbi gratia corpus bipedale in duas partes, ſicut in quantitate deperditur illud indiuiſibile quod duas partes copulabat, & duo alia terminantia reſultant, ſic etiam in ipſa ſubſtantia materiali entitatem aliquam deperdi, & duas alias de nouo exurgere, atque adeò cùm materia per ſolam annihilationem deſtruatur, & per ſolam creationem fiat, perpetuam annihilationẽ & creationem fieri; quod videtur incommodum.

Reſpondeo negando antecedens, ad eius probationem dicendum eſt indiuiſibilia illa quantitatis habere pro ſubiecto indiuiſibilia in ſubſtantia materiali: ad inſtantiam contrariam reſpondeo nullum videri incommodum, ſi admittamus annihilationem alicuius entitatis indiuiſibilis, & creationẽ aliquarũ, rerũ maxime cũ Deus ſuauiter in omnibus operetur, nec deficiat in neceſſariis, teneatúrque non minus ad annihilandam entitatem illam indiuiſibilem quæ duas corporis bipedalis partes copulabat, concurſus quem ad talis corporis diuiſionem præbuit, & creationem

creationem aliarum quæ eas partes terminent, vi actionis quæ materiam in ſuo connaturali ſtatu conſeruat, quàm ad creandam animam rationalem in corpore organizato & omnibus modis diſpoſito, vi concurſus quem ad tales diſpoſitiones inducendas cõfert.

Inſtabis, ſi admittantur illa indiuiſibilia quantitatis, pari iure in forma ſubſtantiali quæ materię tanquam, ſubiecto aduenit, illique coëxtenditur, eadem indiuiſibilia erunt concedenda, ſed iis conceſſis ſequitur abſurdum, ergo, &c.

Minor probatur, ſi contingat (quod multoties accidit) vt eadem materia ſecundum diuerſam partem verbi g. lignum bipedale ſecundum partem pedalem informetur forma ligni & ſecundum alteram partem pedalem forma ignis, duarum illarum formarum indiuiſibilia terminantia, vel erũt in vno eodemque indiuiſibili continuo materiæ quod non poteſt intelligi, vel in duobus ſibi immediatis, ſicut illæ formæ, ſunt ſibi immediatæ quod minus apté conſequitur, cùm indiuiſibile non ſit indiuiſibile immediatum vt patet ex dictis.

Reſpondeo, conceſſa maioris conſequentia, negando minorem; ad probationem dico in caſu allato, quod duæ formę eamdem materiam ſecundum diuerſas partes informarent, fieri vt earum altera, ea ſcilicet quæ aduenit, careat indiuiſibili terminatiuo ob naturalem incompoſſibilitatem & repugnantiam quam habet cum alia forma in eadem parte materię.

Denique obiicies ſecundum Ariſtotelem 8 Phyſ. cap. 8. & 1. Metaph. tex. 42. & 43 *Indiuiſibilia non ſunt in continuo niſi potentiâ* ergo non actu.

Diſtinguo antecedens ex mente Ariſtotelis, indiuiſibilia ſunt tantùm in continuo potentiâ, non actu, quo ad diuiſionem, concedo, id eſt non ſunt actu diuiſa, ſed poſſunt diuidi, quoad exiſtentiam nego.

## QVÆSTIO QVARTA.

*An partes continui ſint in illo actu, & an ipſum continuum ſit in infinitum diuiſibile.*

HÆ duę difficultates ex iis quę duabus ſectionibus ſuperioribus dicta ſunt facile reſoluuntur.

Nam quod ſpectat ad priorem, an partes continui ſint in illo actu, quę ratio probauit indiuiſibilia in ipſo cõtinuo eſſe admittenda, eadem etiam demonſtrauit concedendas eſſe partes quæ iis indiuiſibilibus aut continuarentur, aut terminarentur.

Confirmatur præterea ex communi loquendi more Mathematicorum, qui agentes de quantitate tam continua, quàm diſcreta, hoc ſemper axioma in ore habent, *omne totum eſt maius ſua parte.*

Confirmatur ſecundò, continuum eſt diuiſibile in ea quæ in illo, actu inſunt: atqui diuiſibile eſt in partes, ergo partes ſunt actu in continuo. Nec vrget quod Ariſtoteles ſæpè dicat in continuo partes eſſe tantum potentia; id enim vt ſupra de indiuiſibilibus explicatum, partes ſunt tantum in continua poteſtate, quoad actualem diuiſionem concedo, quia continuum nũquam diuiditur in omnes ſuas partes, quoad exiſtentiam, nego.

Quod attinet ad poſteriorem difficultatem, an continuum ſit in infinitum diuiſibile, vt illa meliuſexplicetur,

Notandum eſt diuiſionem continui fieri poſſe in partes duplicis generis, ſcilicet æquales magnitudine, & proportionales.

Continuum dicitur diuidi in partes

ęquales magnitudine, quas alij vocant non communicantes, ſi vel in duas, vel tres, vel quatuor partes ſecundum magnitudinem æquales diuidatur: & hoc pacto, certum eſt continuum non eſſe in infinitum diuiſibile: ſi enim v. g. quatuor pedibus conſtet, & in quatuor partes pedales diuidatur, tunc omnino abſumitur, & hoc eſt quod voluit Ariſtoteles cap. 4. 1. Phyſ. quando dixit omne finitum ablatione finiti tandem abſumi.

Dicitur verò continuum diuidi in partes proportionales, quando illæ ſeruant eamdem proportionem ad ſe inuicem, licet magnitudine differant, vt ſi v. g. linea octo pedum diuideretur in duas partes quadrupedales, & rurſus vna pars quadrupedalis in duas bipedales, vna bipedalis in duas pedales & ſic deinceps, eſſet ſemper eadem proportio omnium iſtarum partium, & eodem modo quo linea octo pedum ſe haberet ad duas partes quadrupedales, bis alterutram ſeorſim ſumptam continendo, eodem vna pars quadrupedalis, ad duas bipedales ſe haberet & vna pars bipedalis ad duas pedales, vt ex ſe patet.

Atque hoc ſenſu liquet ex iis quę diximus, continuum non componi ex indiuiſibilibus, ipſum eſſe in infinitum diuiſibile ſecundum prędictas partes proportionales: ſi enim nulla pars continui ſit indiuiſibilis, ad nullam perueniri poteſt, quæ non poſſit adhuc diuidi in alias minores: quare in infinitum partes illas diuidendo progrediemur, nec vmquam in aliqua omnino indiuiſibili dabitur conſiſtentia.

## SECTIO QVARTA

*De affectionibus Quantitatis.*

QVantitatis affectiones variæ recenſentur, vt quod nec magis, nec minus recipiat, ſit contrariorum incapax, ab ea res dicantur æquales vel inæquales, quæ explicatæ ſunt in categ. cap. de quantitate. In duabus tamen immorari operæ pretium eſt. Prior eſt diſtinctio partium continui, cùm à ſe inuicem, tum ab indiuiſibilibus. Poſterior eſt finitas vel infinitas quantitatis, de quibus ordine agendum:

### QVÆSTIO PRIMA.

*De diſtinctione partium continui tam inter ſe, quàm ab indiuiſibilibus & continuo*

*Prima propoſitio.*

COntinuum à partibus ſuis, & terminis etiam ſeorſim ſumptis, nequit realiter diſtingui, ſi quidem abſque illis permanere non poteſt in rerum natura, quod tamen ad realem diſtinctionem exigitur.

*Secunda propoſitio.*

COntinuum à ſuis partibus & terminis ſeorſim ſumptis formaliter diſtinguitur. Ratio eſt clara quia alia eſt ratio totius, alia partium & terminorum quatenus ſeorſim accipiuntur, quod ſufficiens eſt ad inducendam diſtinctionem formalem, vt alibi dictum eſt.

Poſui particulam *ſeorſim*. ſi enim accipiamus omnes continui partes & terminos ſimul & aggregatim, conſtat non diſtingui formaliter à continuo, quia ex ſuperioribus nullum totum à ſuis partibus ſimul ſumptis pluſquam ratione differt, aut partes à toto.

*Tertia propoſitio.*

PArtes continui eiuſque etiam termini inter ſe realiter diſtinguuntur, tum quia loco & ſitu ſeiunguntur, tum quia diuinitus ſaltem à ſe inuicem ſeparari poſſunt, & ſeparata exiſtere, vt duæ partes pedales in toto bipedali contentæ, earúmque termini à ſe mutuò ſeiungi poſſunt, & ſic in rerum natura conſiſtere, quod diſtinctionem

Digitized by Google

realem arguit.

## QVÆSTIO SECVNDA

*De infinitate continui, ſi qua ſit.*

### ARTICVLVS PRIMVS.

*De nomine infiniti & varia acceptione.*

NOmen infiniti attendis: id tibi ſignificat quod ſine caret: quod cùm bifariam contingat. vel ob exceſſum magnitudinis, quando ſcilicet magnitudo in infinitum excreſcit, nec vllam ſphærã agnoſcit, vt linea ſi daretur verſus lõgum infinitæ protenſa: ſecundò ob defectum magnitudinis quæ finibus circumcludatur. Hinc infinitum dupliciter accipiatur: primò pro infinito ſecundum magnitudinem, vt corpus infinitæ molis & extenſionis, ſi daretur: ſecũdo, pro infinito ſecundum paruitatem, quo ſenſu punctum infinitum dici conſeuit.

### ARTICVLVS SECVNDVS.

*De existentia infiniti.*

### MEMBRVM PRIMVM.

*Vtrum natura facultate poſſit dari Infinitum actu.*

VT intelligamus de quo infinito ſermo ſit, præſtat aliquot infiniti diuiſiones præmittere.

Prima ſit in infinitum ſecundum magnitudinem & infinitum ſecundum paruitatem, de qua ſuperiori articulo actum eſt.

Secunda eſt in infinitum per eſſentiã & in omni genere entis, vt eſt Deus, iſque ſolus, & in infinitum ſecundum quid & certi alicuius generis, quod etiam duplex ſtatuitur, vnum in qualitate, vt calor infinitæ intenſus, ſi daretur, aliud in quantitate ſiue continua, vt ſuperficies infinitè exporrecta; ſiue diſcreta, vt numerus infinitus.

Tertia diuiſio eſt infiniti ſecundum magnitudinem ſeu quantitatem, in infinitum poteſtate & infinitum actu, *infinitum poteſtate illud dicitur quod infinitas partes ſola poteſtate continet, & non actu*, & ponitur in triplici differentia, primum ſucceſſionis, ſecundum diuiſionis, tertium additionis.

Infinitum ſucceſſionis eſt illud, quod infinitas quidem partes obtinet, eas tamen nunquam actu ſimul habet exiſtentes, ſed aliæ aliis elapſis ſuccedunt vt motus cœli ſi ab æterno extitiſſet, ſicut ſibi perſuaſit Ariſtoteles.

Infinitum diuiſionis dicitur quod ſemper diuidi poteſt; & ita quælibet magnitudo hoc modo dici poteſt infinita, cùm ſemper ſit diuiſibilis ſaltem in partes proportionales ſeu communicantes, vt ſuperius oſtenſum eſt.

Infinitum denique additionis eſt illud quod in infinitum augeri poteſt, quomodo dicimus numerum eſſe infinitũ, quia ſemper poteſt accreſcere, nec ad tantam valet magnitudinem peruenire, vt vnitatis additione non augeatur.

Infinitum autem actu duplex, vnum actu perfecto dicitur & à recentioribus categorematicum, quod conſtat infinitis partibus inter ſe diſtinctis & ſimul exiſtentibus, vt numerus infinitus, & linea longitudinis infinitę ſi darentur: Aliud dicitur infinitum actu imperfecto, ab aliis ſyncategorematicum, éſtque magnitudo aliqua, v. g. linea, infinitis quidem conſtant partibus, ſed proportionalibus tantùm, & quæ vnicam eámque finitam efficiant.

His ita conſtitutis ſermo tantum ibi eſſe poteſt de infinito actu & categorematico, vtrum viribus naturæ dari queat, Affirmant Xenophanes, Anaxagoras, Anaximander, & alij.

At contra illos pro veritate dimicat Ariſt. tertio Phyſ. à tex. 40 vſque ad 56. cõſtanter affirmans naturæ viribus



Digitized by Google

non poſſe dari infinitum actu completo & categorematicum, ſiue in quantitate, ſiue in qualitate. Et

Primò quod nullum corpus infinitæ molis& extenſionis dari queat, hunc in nodum ſuadetur,

Si daretur naturæ viribus corpus infinitæ extenſionis & molis illud eſſet penitus immobile;ſed hoc eſt falſum, ergo &c. Maior probatur, ſi daretur corpus molis infinitæ, nec moueretur motu recto, nec circulari, non recto, quia omnem locum occuparet, & ſic nullus daretur locus ad quem per motum rectum progrediretur; non item circulari, quia per motum circularem vna pars peruenire debet ad locum alterius, fieri autem non poſſe vt vna pars corporis illius infiniti, quod in orbem moueretur ad locum alterius perueniret, quoniam inter illas infinita intercederet diſtantia quæ nullo motu traiici poteſt, ergo corpus illud infinitæ molis eſſet immobile penitus.

Rurſus, quod nullus numerus infinitus naturæ facultate dari poſſit, probatur, tum quia quilibet numerus naturæ viribus productus continetur ſub aliqua ſpecie numeri, proindéque finitus eſt, tum quia dato quolibet numero per facultatem naturæ ille poteſt additione aliarum vnitatum augeri ſaltem per diuinam potentiam.

Denique quod qualitas infinitæ intenſa, verbi gratia calor infinité intenſus per naturam dari nequeat, oſtenditur ex eo potiſſimum, quod nouam ſemper intenſionem ſuſcipere poſſit, ſaltem ſi rem ad diuinam potentiam reuocemus; atque præſens ſententia magis confirmabitur illis rationibus quas membro ſequenti proferemus, vt per diuinam potentiam oſtendamus non poſſe dari infinitum actu.

Dices, ergo ineptè agimus de infinitate quantitatis tanquam de illius proprietate, ſi nulla quantitas poſſit eſſe infinita.

Reſpondeo infinitam eſſe proprietatem quantitatis ſyncategorematicam tantum; non autem categorematicam: quod ſi infinitas categorematica dicatur proprietas quantitatis, id negatiué intellige, vt ſit ſenſus, infinitatem categorematicam ſi daretur non poſſe eſſe alteriusrei proprietatem quàm ipſius quantitatis.

Rurſus obiicies, in eadem anima rationali infiniti ſunt perfectionis gradus, ergo datur infinitum actu etiam per naturam. Probatur antecedens, anima humana omnes ſpecies brutorum, etiam poſſibiles dignitate ſuperat, ergo cum illæ ſint infinitæ, quia non tot dari poſſunt, quin plures per potentiam diuinam effici queât. homo infinitas ſpecies dignitate ſuperat, ergo infinitos in ſe ludit perfectionis grad⁹.

Reſpondeo negatione antecedentis ad eius probationem dicendum eſt, homines quidem infinitas brutorum ſpecies poſſibiles dignitate vincere, non tamen per tot gradus, quot ſunt illæ ſpecies, quaſi vnam vno gradu & aliam alio gradu exuperet, & infinitas infinitis gradibus, ſed eas omnes ſuperare per vnum eminentiorem naturę gradum, nempe per gradum ratiocinandi.

## MEMBRVM SECVNDVM.

*An ſaltem diuina virtute dari poſſit infinitum actu.*

Certum eſt non poſſe dari ne quidē diuina virtute, infinitum actu ſecūdum eſſentiam, eſſet enim Deus, quod implicat: at de infinito categorematico tam in quantitate ſiue continua, ſiue diſcreta, quàm in qualitate, contentioſè certatur duæque occurrunt omnino oppoſitæ ſententiæ.

Digitized by Google

Prior eſt Ochami in 2. queſt. 8. & quod libeto 2. q. 5. Greg. Ariminenſis in 1. diſt. 43. q. 4. & aliorum, per diuinam potentiam infinitum actu categorematicum poſſe creari.

Poſterior ſententia, eique contraria, tum authorum grauitate cùm argumétorum pondere meritò videtur preferenda; nullum infinitum tam in quantitate quam in qualitate per diuinam potentiam dari poſſe. Hanc ſententiam ex profeſſo docent D. Tho. 1. p. q. 7. Scotus in 2. diſt. 1. q. 3. D. Bonauentura in 1. diſt. 13. Durandus diſt. 43. q. 2. & alij quàmplurimi, eámque ſétentiam facilitatis gratia tribus propoſitionibus explicamus.

*Prima propoſitio.*

Per diuinam potentiam non poteſt dari infinita entium multitudo. Probatur, implicat contradictionem diuinam potentiam, quæ infinita eſt, aliqua entium productione exhauriri: atqui exhauriretur de facto ſi infinita daretur entium multitudo in rerum natura, verbi gratia numerus Angelorum infinitus, quia nullum nouum poſſet amplius producere & infinitæ multitudini adiungere, ergo implicat contradictionem dari actu infinitam entium multitudinem.

Secundò, ſi daretur multitudo entiũ nifinita, verbi gratia hominem, ſequererur dari multitudinem infinita multitudine maiorem, quod eſt planè falſum.

Conſecutio probatur: digitorum multitudo maior eſt, quàm hominum, & capillorum, quàm digitorum, & hominum, ergo ſi daretur infinita hominum multitudo, daretur multitudo maior infinita multitudine.

Tertiò, ſi darentur infiniti homines, illi ex vno aceruo decem libros poſſent accipere, in quo tamen vnicum poſuiſſent, quod eſt penitus impoſſibile. Probatur conſecutio, quilibet ex iſtis infinitis hominibus octo, vel nouem, vel etiam decem libros accipiat, numquam numerus librorum abſoluetur, vt potè infinitus aut aggregatio abſumetur, vt potè infinita, ergo quilibet homo ex illo librorum aceruo decem vel etiam plures libros poterit accipere, licet tamen in eo vnicum poſuerit.

Obiicies primò Deus poteſt tot Angelos, verbi gratia producere, quot ſunt in hora momenta, atqui in horæ momenta ſunt infinita: igitur Deus poteſt infinitos Angelos producere. Minor eſt certa. Maior probatur, Deus in quolibet horæ inſtanti poteſt vnum Angelum producere, ergo tot quot illa ſunt horę momenta.

Reſpondeo negando maiorem: ad probationem dico Deum poſſe in quolibet horę momento vnum Angelum producere, ſi momentum illud ſeorſim ab aliis accipiatur, id eſt, nullum eſt horæ momentum in particulari in quo non poſſit Deus aliquem Angelũ procreare: at non poteſt in omnibus ſimul, quia illa horę momenta ſibi immediatè non ſuccedunt, nec ſibi ſunt immediata: productiones verò Angelorum in ſingulis inſtantibus deberent ſibi immediatè ſuccedere, ita vt vna eſſet poſt aliam, ſecunda poſt primam, tertia poſt ſecundam, & ſic de cæteris.

Secundò obiicies, actu ſunt puncta infinita in linea, ergo datur infinitum actu.

Diſtinguenda eſt conſequentia, datur, infinitum actu ſyncategorematicum, verum eſt, categorematicum, falſum eſt.

Inſtabis, ſi puncta illa infinita quæ ſunt indiuiſa, à ſe inuicem ſeparantur, haut dubiè eſſent infinita non actu tã-

tum imperfecto, & ſyncategorematicè ſed perfecto, & categorematicè: atqui poteſt Deus ſeiungere puncta quæ in linea actu exiſtunt: ergo & facere infinitum actu categorematicum. Probatur minor, poteſt Deus per ſe ſupplere totum illud quod linea præſtat ad illa puncta conſeruanda, poſt quam ab ipſa linea auulſa ſunt, ergo poteſt ſeiungere puncta quæ in linea exiſtũt.

Reſpondeo negando minorem, ad cuius probationem dico non poſſe Deum puncta à linea ſeparata conſeruare ſicut in linea conſeruantur, ratio eſt quia puncta in linea non ſequuntur, ſed poſt punctum linea ſequitur: at ſi disiungerentur vnum poſt aliud, conſequeretur, fierétque lineæ diuiſio, & non fieret, quod implicat, fieret autẽ, quia ſupponitur linea in ſuas partes diuiſa, vt ab illis puncta continuantia auellantur: non fieret verò, quia linea non poteſt diuidi in indiuiſibilia, ſed debet diuidi in partes quæ ſemper remanent diuiſibiles, & diuiſibiles in infinitum, ex ſupradictis.

Tertiò obiicies. Deus poteſt producere infinitos homines, ergo poteſt producere infinitum actu categorematicum. Probatur antecedens, maior eſt Dei potentia quàm infinitorũ hominum ſi eſſent: at infiniti homines infinitos homines poſſent producere, quiſque ſcilicet vnum, ergo Deus poteſt eoſdem homines infinitos à fortiori producere.

Reſpondeo negatione antecedentis, ad maioris probationem dico diuinã potentiam non debere comparari cum virtute infinitorum hominum, cùm hęc planè ſit imaginaria & impoſſibilis: nec minus videantur impoſſibiles infiniti homines qui alios producerent, quàm ipſi infiniti qui à Deo producerentur. Addo etiam ad minorem eiuſdem probationis ex ſuppoſitione quod eſſent homines infiniti, nullum ex illis poſſe aliũ generare, quia infinitæ hominum multitudini nullus homo ſuperaddi poteſt,

*Secunda propoſitio.*

In continua quantitate, ne quidem per diuinam potentiam poteſt dari infinitum actu.

Probatur primò, ſi daretur aliquod continuum infinitum, verbi gratia linea infinitè extenſa, ſequeretur contra veritatem axiomatis in mathematica certiſſimi, totum non eſſe maius ſua parte. Id autem ſequi oſtenditur; quælibet pars lineæ infinitæ eſt infinita, ex finitis enim nullum infinitum poteſt conſurgere: ergo cùm vnum infinitum non ſit alio maius, tota linea qualibet ſua parte maior eſſe non poteſt. Secũdò ſi daretur continuum infinitum, verbi gratia corpus infinitæ molis, illud eſſet planè immobile, vt ſupra probauimus, quod eſt contra rationem corporis, ergo, &c.

*Tertia propoſitio.*

Neque etiam Deus poteſt efficere ſua extraordinaria poteſtate infinitum in qualitate, ſeu qualitatem infinitè intenſam, verbi gratia leuitatem infinitam in igne, vel grauitatem in lapide.

Probatur, ſi enim verbi gratia in igne eſſet leuitas infinita, ſurſum moueretur & non moueretur, quod cõtradictionem inuoluit. Conſequutio demonſtratur, ſi igni leuitas infinita eſſet, poſſet moueri ſurſum, quia eſt corpus naturale: non poſſet autem, quia ſi moueretur, ad ſpatium interceptum inter ipſum & locum ad quem moueretur, in inſtanti perueniret. Probatur, quo corpus maiori leuitate prędituin eſt, eo velocius, & breuiori mora ſpatium conficit, ergo ſi igni ineſſet infi-

Digitized by Google

nita leuitas, infinita velocitate moueuеretur, ſicque in momento, & vno temporis puncto ſpatium ſuum conficeret, quod eſt contra naturam motus localis.

Obiicies primò, non tantùm contra hanc propoſitionem, ſed etiam contra præcedentes, ſi Deus ageret ex neceſſitate naturæ non poſſet plura efficere, quàm nunc poſſit agens ex plena libertate: ſed ſi Deus ageret ex neceſſitate naturæ poſſet abſolute infinitum producere, quia tunc maximum ſuæ virtutis conatum exprimeret, ergo & nũc illud poteſt agens ex plena libertate.

Quicquid ſit de maiori minor neganda eſt: ratio eſt, quia ſi Deus ageret ex neceſſitate naturæ in productione creaturarum, cùm ille modus imperfectionem includat, iam deſineret eſſe Deus, & virtutem agendi haberet finitam, proindéque quantumcumque exprimeret magnum ſuæ potentiæ conatum, numquam tamen infinitum actu poſſet producere.

Secundò obiicies, Deus non minus potens eſt in producendo, quàm in intelligendo, quia tam intellectus quàm potentia Dei infinita ſunt, atqui Deus poteſt infinitum intelligere, ergo & producere.

Reſpondeo neg. maiorem, perfectio enim diuini intellectus aut diuinæ potentiæ non exiſtimatur ex multitudine rerum quæ attinguntur, ſed ex ſumma identitate, quam virtutes ipſæ Dei habent in diuina eius eſſentia, cum Deus multa intelligat quæ ab eo reuera fieri non poſſunt, alias ſeipſum, contradicentia, & chimæras poſſet efficere, quia hæc omnia intelligit.

## MEMBRVM TERTIVM.

*An producta quacũque ſpecie poſſit Deus perfectiorem & perfectiorem in infinitum condere.*

NEgant Scotus in tertium diſt. 13. q. 1. Durandus in primum diſt. 44. q. 2. & pauci alij minoris auctoritatis.

Longè verò probabilius affirmant Theologorum princeps D. Tho. 1. par. quæſt. 25. art. 6. pietate clarus D Bonauentura in 1. diſt. 44. quæſt. 1. & plurimi alij in Philoſophicis & Theologicis verſatiſſimi, quacumque ſpecie producta Deum poſſe nobiliorem producere.

Probatur primò, ſpecies & eſſentiæ rerum perfectiores, & perfectiores infinitum ſyncategorematicè diuina virtute procreare poſſunt, ergo nulla eſt tam perfecta quin Deus perfectiorem producere poſſit.

Probatur antecedens, ſpecies eo perfectior eſt, quo magis imitatur diuinam eſſentiam, quæ eſt abſolutiſſimũ rerum omnium exemplar: atqui in infinitum ſpecies magis, & magis imitari poſſunt diuinam eſſentiam cùm ipſa ſit infinitis modis imitabilis, ergo ſpecies perfectiores, & perfectiores in infinitum, poſſunt diuina virtute produci.

Præterea, per nullum effectum creatum exhauriri poteſt diuina potentia, cùm illa ſit infinita: atqui exhauriretur diuina potentia per effectum creatum, ſi producta aliqua ſpecie nullam perfectiorem procreare poſſet, ergo, &c.

Obiicies primò, non poteſt dari ſpecies aliqua infinita, ergo neceſſario in aliqua finita, ſupremum tamen locum inter finitas obtinente ſiſtendum eſt. ergo non poteſt Deus data quacumque ſpecie aliam perfectiorem producere.

Reſpondeo negando primam conſequentiam licet enim poſſit dari ſpe-

Digitized by Google

cies infinita, non ſequitur tamen quod in aliqua finita ſiſtendum ſit: quanquã enim ſtatus ille non detur, ſed perfectiores & perfectiores in infinitũ ſyncategorematicè ſpecies producantur per diuinam potentiam, numquam dabitur actu ſpecies quę ſit infinitæ perfectionis, aliàs in ea ſiſteretur, ſícque non fieret infinitus progreſſus, quod eſt contra ſuppoſitionem.

Rurſus obiicies, datur infinita ſubſtantia qua non poteſt Deus deteriorem efficere, cum teſte D. Aug. 12. cõfeſ. 7. *materia ſit pene nihil & pene non ens*, ergo à contrario poterit dari ſuprema ſubſtantia qua ſuperiorem nequeat Deus procreare.

Nego iterum conſequentiam,& meritò: cùm enim exceſſus ſubſtantiarum augeatur penes acceſſum ad diuinam perfectionem quæ infinita eſt, infinitè poteſt excreſcere, atque adeo numquã ſuprema aſſignari ſubſtantia poteſt, qua repugnet dari adhuc perfectiorẽ: at verò defectus ſubſtantię per receſſum à Deo, qui in aliqua ſubſtantia minimus dari poteſt.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De eſſentia infiniti.*

INfinitum definierunt veteres teſte Ariſtotelè 3. Phyſ. cap. 7. *id extra quod nihil manet accipiendum*, quos ſtatim eodem loco acerrimè refellit Philoſophus, potius è contrario ſtatuens *infinitum illud eſſe extra quod aliquid ſemper remanet accipiendum*: nam inquit, aut ſermo eſt de infinito additione, aut de infinito diuiſione, de vtroque autem ſemper licet aliquid accipere, præter ea quæ accepta ſunt.

In infinito additione clarum eſt, quia quantumcumque adieceris, & quam multas vnitates addideris, nouæ tamen ſuperſunt adiiciendę.

In infinito quoque diuiſione id notũ eſt, diuidas enim aliquod totum in tot partes quot volueris, in alias & alias ſemper diuidendum remanebit.

Cæterùm ſatis intelligimus hãc Ariſtotelis definitionem non eſſe infiniti ſecundum eſſentiam, ſcilicet Dei, quia Deus nullis definitionis cancellis coërceri poteſt, nec etiam infiniti actu cõpleto, categorematico quia illud plane impoſſibile eſt, ſed infiniti actu imperfecto & ſyncateg quod ſolum in rerum natura admittitur, vt liquet ex ſuperioribus.

## ARTICVLVS QVARTVS.

*De affectionibus infiniti.*

HIc tantum agitur de infinito actu tum ſecundum eſſentiam, tum ſecundum quantitatem & qualitatem: leues autem eius affectiones omittimus, vt illam celebrem expendamus, poſſit ne ab intellectu percipi.

Notandum igitur primò infinitum conſiderari poſſe dupliciter: primò materialiter pro re ipſa quæ infinita dicitur, ſecundò formaliter pro ratione infinitatis quæ eſt negatio finitatis.

Notandum ſecundo aliquid poſſe cognoſci ab intellectu duobus modis: primò cognitione diſtincta, cùm id quod cognoſcitur ita diſtinctè concipitur, vt nihil eius lateat, quo modo dicitur homo cognoſci, quando ea omnia quæ ad ipſum pertinent, putà animal & rationale, diſtinctè cognoſcuntur, ſecundò cognitione confuſa, quando res ipſa quæ cognoſcitur ſub communi aliqua ratione intelligitur, non exploratis & enucleatis omnibus partibus gradibuſque quibus componitur, quo pacto hominem & omnia bruta cognoſcimus cognitione animalis, quod eſt totum vniuerſale ſaltem confusè omnes ſuas ſpecies continens,

nens,

Digitized by Google

nens, vt in Logica dictum eſt.

Notandum tertiò cognitionem aliã eſſe momentaneam, quæ tota ſimul eſt aliam ſucceſſiuam, quæ vnum poſt aliud attingit, nec ad omnia ſimul terminatur. His ita conſtitutis, ſit

*Prima propoſitio.*

Qvilibet creatus intellectus poteſt deuenire in notitiam infiniti formaliter ſumpti.

Probatur, quia ſic cognoſcere infinitum eſt tantùm cognoſcere negationem finitatis, quam apprehendere poteſt quilibet intellectus etiam creatus, vt patet.

*Secunda propoſitio.*

Poteſt quilibet intellectus etiã creatus cognitione confuſa cognoſcere infinitum materialiter ſumptum.

Probatur, quicumque cognoſcit lineam infinitis partibus conſtare, cognoſcit illas infinitas partes ſaltem cognitione confuſa, atqui poteſt quilibet intellectus cognoſcere lineam infinitis partibus eſſe conflatam, vt hinc patet, quod omnes ferè Philoſophi id ſtatuant, ergo &c.

*Tertia propoſitio.*

Poteſt diuinus intellectus quodcunque infinitum diſtinctè percipere cognitione momentanea, non autem ſucceſſiua.

Prior pars probatur, tum quia Deus ſeipſum ſimul & vno actu cognoſcit, tum quia virtus eius infinita eſt, & proinde infinitum actu completo cognoſcere poteſt, non tamen ſucceſſiuè, vt infra probabitur ergo ſimul, tum quia ipſe diuinus intellectus ſuam penetrando eſſentiam & omnipotentiã videt in illa infinita entia poſſibilia, non quidem ſucceſſiuã, vt ſtatim videbitur, ergo &c.

Obiicies, ſi diuinus intellectus videre poſſit infinitum actu, poterit videre infinitas partes quæ in linea exiſtunt, at conſequens eſt falſum, ergo, & antecedens. Probatur minor: omnes lineæ partes ſunt diuiduæ, quia ex indiuiſibilibꝰ nõ componitur linea, ergo nõ poſſunt videri, quia ſub illis aliæ infinitæ continentur, proindéque videntur infinitæ.

Reſpondeo negando minorem: ad eius probationem dico Deum ita videre partes diuiduas lineæ vt earum partium partes omnes enucleatè & diſtinctè percipiat, vſque ad ipſa indiuiſibilia, ſicque infinitas lineæ partes cognoſcere non ſucceſſiuè, ſed ſimul. Poſterior verò pars propoſitionis, ſcilicet non poſſe ſucceſſiua cognitione infinitum cognoſci ab intellectu diuino, leui opera probatur. Succeſſiua cognitio arguit imperfectionem, ponit enim intellectum partim in actu, eorũ ſcilicet reſpectu quæ cognoſcuntur, & partim in potentia, eorum comparatione quæ non cognoſcuntur ergo ſucceſſiua cognitio in Deum cadere non poteſt.

*Quarta propoſitio.*

Poteſt creatus intellectus, ſiue Angelicus: ſiue humanus infinito tempore infinitum cognoſcere.

Probatur, ſi mundus fuiſſet ab æterno, & ipſe motus cælorum, vt putauit Ariſtoteles, potuiſſet aliquis cognoſcere omnes reuolutiones cælorum quæ tamen fuiſſent infinitę: ergo &c.

*Quinta propoſitio.*

Neqvit creatus intellectus nudis naturę ſuæ viribus relictus finito tempore infinitum cognoſcere.

Probatur, creatus intellectus non poteſt eſſe infinitis rebus percipiendis intentus, quo enim ſumus pluribus intenti, eo minus diſtinctè ſingula percipimus, iuxta illud.



Digitized by Google

*Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus*; ergo &c.

*Sexta propoſitio.*

POteſt creatus intellectus, ſiue humanus, ſiue Angelicus, diuino auxilio fultus diſtinctè cognoſcere infinitum per eſſentiam.

Probatur communi conſenſu Theologorum, qui docent beatos lumine gloriæ colluſtratos Deum per eſſentiã infinitũ claré & aperté, non amplius per ſpeculum & in ęnigmate intueri.

*Poſtrema propoſitio.*

POteſt creatus intellectus, ſiue Angelicus, ſiue humanus, ſpeciali Dei auxilio ſuffultus, infinitũ in quantitate cognoſcere, cognitione diſtincta & tota ſimul exiſtente, non tamen ſucceſſiua.

Probatur prior pars, poteſt creatus intellectus ſupernaturali Dei auxilio confortatus, ſcilicet lumine glorię, ſimul & ſemel cognoſcere diſtinctè, quod ipſi repręſentatur in diuina eſsẽtia: atqui infinita quantitas poteſt exhiberi intellectui, lumine gloriæ colluſtrato in eſſentia diuina, verbi gratia infinitæ partes actu in linea exiſtentes, ergo, &c.

Poſterior verò pars pariter demonſtratur, infinitum non poteſt finito tempore pertranſiri, ergo nec ſucceſſiué cognoſci. Conſequentia patet, cũ enim ſucceſſiué cognoſcere ſit vnum poſt aliud percipere, cognoſcere infinitum ſucceſſiué, erit infinita ſic cognoſcere, vt vnum poſt aliud innoteſcat: ergo ſi ſucceſſiué infinitum finito tempore cognoſceretur ab intellectu creato, infinitum finito tempore pertranſiretur, quod non videtur dicendum.

Hæc de infinito & quantitate.

# TRACTATVS SECVNDVS DE LOCO, AD QVARTVM LIBRVM Phyſicorum.

*Diſputatio vnica.*

## SECTIO PRIMA. ET SECVNDA.

*De nomine & exiſtentia Loci.*

PER locum intelligitur ſuperficies concaua corporis ambientis prima: quo pacto ſuperficies illa cœli lunæ concaua, dicitur locus ignis elemẽtaris, Locum exiſtere teſtantur omnes vniuerſi partes quæ ſuis locis rité diſponuntur. Sed peculiaris eſt difficultas de ſupremo cælo, ſeu empyreo, vtrũ proprié in loco exiſtat: cùm enim reale ſpatium occupet, videtur locum occupare; é contra verò cùm omni ſuperficie exterius ambiente careat, non videtur poſſe aliquem locum obtinere. Hæc controuerſia vt dirimatur.

Notandum eſt locum eſſe duplicem: alterum internum, alterum externum. Externus eſt ſupradicta ſuperficies cõcaua corporis ambientis, vt concaua ſuperficies aëris corpus immediatè cingentis: internus verò eſt ſpatium illud quod cogitatur occupari à quolibet à corpore vt ſpatium illud quod cogitaretur occupari ab hac cathedra, vel alio ſimili corpore,

Locus ille internus vocatur etiam à nonnullis imaginarius, non quòd ſemper omni corpore careat, & inanis ſit, ſed quia abſtrahit ab eo quòd ſit cum corpore, vel ſine corpore, tantúmque

Digitized by Google

cõcipitur tãquam ſpatium trinè dimẽſum, ſiueinterim corpore impleatur, vt in toto vniuerſo; ſiue ſit ſine corpore; vt in ſpatiis extramundanis, ſeu imaginariis.

Ex hac diſtinctione facilè eſt difficultatem propoſitam diſſoluere: ſupremum cœlum in loco eſt interno, ſeu ſpatium aliquod trinè dimenſum occupat, caret tamen loco externo, ſeu ſuperficie corporis ambientis, ſaltem ratione partis ſuperioris, quia nullum ſupra ſe corpus agnoſcit, à quo ambiatur.

## SECTIO TERTIA.

*De eſſentia Loci.*

ORdine de loco interno & externo diſſerendum eſt.

Nonnulli exiſtimant locum internum eſſe ſimpliciter inane ſpatium, & nullo corpore repletum, & inde dicunt vocatum eſſe imaginarium. Alij è contrario volunt ſpatium eſſe reale à corpore occupatum; & in eo diſtinguunt illum à vacuo, quod eſt ſpatium omni penitus corpore deſtitutum.

Congruentius iuxta prædicta dicendum eſt locum internum eſſe ſpatium à reali, & non reali abſtractum, ſeu indifferens vt corpore repleatur, & dicatur reale, vel corpore planè deſtituatur, & vocetur inane, ſeu vacuum.

Quod ſpectat ad locum externum non eſt omnium eadem ſententia, nonnulli accipiunt illum pro relatione continentis ad contentum, vt Scotus. Alij & melius cum Ariſtotele 4. Phyſ. cap. illum accipiunt pro extremitate ſeu ſuperficie corporis ambientis prima: vnde ita illum definiunt *Locus eſt ſuperficies corporis ambientis prima.* Dicitur primo *ſuperficies*, quia locus non poteſt tantum eſſe linea; debet enim longitudine & latitudine conſtare vt locatum circumambiat: nec etiam poteſt eſſe corpus, quoniam corpus locatum in alio corpore eſſe nequit, cùm tamen in loco eſſe perhibeatur.

Dicitur ſecundò corporis ambientis vt eſt prędicta illa ſuperficies cœli lunaris, quæ immediatè ignem elementarem cingit.

Dicitur etiam *prima*, id eſt primò & immediatè locatum continens: quã particula intelligis ſolum locum proprium hîc definiri, & non communem, qui aliorum corporum interiectu locatum ambit, vt eſt cœlum reſpectu terræ.

Alij addunt hanc particulam *immobilis*, ſed non poteſt de loco reali, & reali ſuperficie quæ ambit, locatum intelligi: quia locus iſte ſaltem ex accidenti ad motum rei locatæ moueri, mutaríque poteſt, vt ſuperficies aëris, quæ domum ambiebat ad motum domus mutaretur, ſi domus ab vno loco ad alium moueretur: ſed debet intelligi de loco illo imaginario & ſuperficie imaginaria, quæ rem vndequaque ambit, quæque non mouetur, ſed eadem ſemper manet, quantumuis locatum moueatur.

## SECTIO QVARTA.

*De affectionibus loci.*

MVltæ ſunt leuiores loci affectiones, vt quod commenſuretur locato, quod ſit terminus motus localis, & aliæ nonnullæ quæ ab aliis fuſius quam par eſt ſolent explicari. Duæ aliæ contra hæreticos ſunt diligenter tractandæ duabus quæſtionibus.

### QVÆSTIO PRIMA.

*An plura loca idem numero corpus capere poſſint, ſeu an idem numero corpus poſſit eſſe in pluribus locis.*

NOtandũ primò præter locũ internum & externum, communem &



Digitized by Google

proprium, de quibus actum eſt alium eſſe adæquatum extra quem corpus locatum non extenditur, ſed cui per ſuas partes correſpondet: alium partialem, & inadęquatum, vltraquem extenditur corpus locatum & in quo vna tantum eius pars continetur, non omnes. De loco partiali & inadæquato nulla eſt difficultas, certum enim eſt in pluribus eiuſmodi locis idem numero corpus ipſa naturæ facultate ratione diuerſarum partium poſſe contineri. Vnde tantum diſputatur de loco adæquato an idem corpus in pluribus poſſit conſtitui.

Notandum ſecundò locum illum adæquatum alium eſſe definitum, & non circumſcriptiuum, qualis admittitur in corpore Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis exiſtente; alium eſſe circumſcriptiuum, qui ita ambit locatū, vt ſingulæ locati partes ſingulis ipſius loci partibus correſpondeant, quo modo quilibet homo dicitur eſſe in loco, ſcilicet per diſpoſitionem ſuarum partium ad partes loci. His ita notatis, occurrit prima ſententia eorum qui putant viribus naturæ fieri, poſſe, vt idem corpus conſtituatur in pluribus locis.

Secunda ſētentia omnino contraria, eſt hæreticorum ſacramentariorum, qui vt demoliantur myſterium auguſtiſſimæ Euchariſtiæ, importunè clamant nullum corpus, ne diuina quidē poteſtate, in pluribus locis poſſe conſtitui, ſicut Catholici corpus Dominicum in pluribus altaribus eſſe profitentur.

Tertia ſententia eſt corpus quidem poſſe eſſe in pluribus locis definitiuè, non tamen circumſcriptiuè. Ita D. Thomas 3. parte, q. 75. art. 1. Durandus in 4. diſt p. 10 1. & alij plerique.

Poſtrema omniúmque veriſſima, noſtráque, eſt Scoti in 4. diſt. 1. Ochami ibidem q. 4. Marcilii q. 7. cum multis aliis, quos laudat, & ſequitur Suarez in tertiam partem D. Thomæ. diſp. 48. ſect. 4. Vt autem explicetur hęc ſententia, ſit

*Prima propoſitio.*

EAque contra primam ſententiam; nequit virtute naturæ idem numero corpus exiſtere in pluribus locis. Teſtatur experientia, per quam conſtat numquam contigiſſe, vt idem corpus conſtitueretur in pluribus locis, ſed vnum debuiſſe ſemper deſerere, vt alium acquireret.

Accedit ratio omne corpus habet finitam & limitatam perfectionem: ergo & locum definitum, vltra quem ſeſe extendere non poſſit ſaltem naturaliter: ergo in pluribus ſimul eſſe non poteſt eadem naturę facultate.

*Secunda propoſitio.*

VNum idémque numero corpus, per diuinam potentiam poteſt eſſe in pluribus locis definitiuè. Hæc propoſitio eſt de fide propter auguſtiſſimū Euchariſtiæ ſacramentum, in quo credimus Dominicum corpus exiſtere, & preſens eſſe realiter, ac ſubſtantialiter in omnibus locis, & altaribus in quibus hoſtia conſecratur.

Probatur hac ratione firmiſſima: ex nullo capite ſumi poteſt repugnantia, cur vnum idémque numerō corpus cōſtituatur in pluribus locis, ergo id nō eſt diuinæ potentiæ denegandum.

Probatur antecedens, ſi ex aliquo peteretur repugnantia: vel ex ipſa ratione corporis, quod quia finitum eſt & limitatum nequit in pluribus locis ſimul conſtitui: vel ex ratione quantitatis corpus afficientis, & illud ad certum aliquem definitúmque locum determinantis: atqui ex neutro ſumitur repugnātia quomin9 vnū idéq; numero

Digitized by Google

corpus ponatur ſimul & ſemel in pluribus locis: ergo ex nullo capite petitur.

Prior pars minoris huius ſyllogiſmi probatur ad vnitatem corporis non pertinet vnitas loci, tum quia locus eſt poſterior ordine naturæ corpore, quod locari debet, prius enim eſt aliquod corpus exiſtere quam loco contineri, tum quia vnum idemque corpus remanens eſt indifferens ad multa loca, in iiſque ſaltem ſucceſſiuè exiſtere poteſt, vt experientia patet: tum demum quia expoſitione eiuſdem corporis in pluribus locis nihil ſequitur contra eius finitatem, permanetque ſemper finitum & limitatum; quippe quòd ſine additione vllius nouæ entitatis in illis pluribus locis exiſtit, ſolùm per nouam præſentiam quam acquirit in diuerſis eiuſmodi locis: ergo ex parte corporis finiti non ſumitur repugnantia quominus vnum & idem numero corpus ſimul & ſemel conſtituatur in pluribus locis.

Probatur eadem minor ſecundum poſteriorem partem, videlicet non repugnare ex parte quantitatis corpus efficientis, quòd vnum corpus numero collocetur ſimul in pluribus locis: nam quantitas corporis vnius poſiti in pluribus locis manet integra, & perfecta, nullúmque ſuſcipit ſuæ eſſentiæ detrimentum, quippe quæ ſemper afficit ſuum corpus, illique confert extẽſionem in quo conſiſtit eſſentia quantitatis, ergo neque ex parte quantitatis repugnat quo minus idem numero corpus ſimul & ſemel collocetur in pluribus locis.

*Tertia propoſitio.*

RE vera vnum & idem numero corpus etiam circumſcriptiuè poteſt collocari ſimul & ſemel in pluribus locis diuina poteſtate.

Probatur: circumſcriptio corporis in locis non poteſt efficere vt repugnet corpus idem numero conſtitui in pluribus locis: ergo idem numero corpus etiam circumſcriptiuè collocari poteſt in pluribus locis.

Antecedens oſtenditur, circumſcriptio corporis non dicit negationem realis præſentiæ quam habeat in alio loco, aliàs cum Chriſti Domini corpus ſit in cœlo circumſcriptiuè, non poſſet eſſe in alteribus, quod fidei aduerſatur ſed dicit tantum talem diſpoſitionem corporis in loco, vt eius partes reſpondeant partibus loci, quod benè intelligitur, etiam ſi in pluribus locis conſtituantur modo diuiſibili & circumſcriptiuo, quia hoc tantùm arguit diuerſam præſentiam eiuſdẽ corporis, per correſpondentiam ſuarum partium ad partes loci, quæ diuerſæ præſentiæ ex dictis non repugnant cũ vnitate corporis: ergo circumſcriptio corporis in loco non obſtat quominus poni poſſit in pluribus locis.

Obiicies primò contra vtrámque propoſitionem, ſi idem numero corpus cõſtitueretur ſimul & ſemel in pluribus locis, ſiue definitiuè, ſiue circũſcriptiuè, ſuum terminum adæquatum excederet; quia vno loco adæquatè, ſeu tamquam termino adæquato contineretur: at hoc repugnat, ergo, &c.

Reſpondeo diſtinctione maioris, ſi idem numero corpus eſſet poſitum in pluribus locis, excederet ſuum terminum adæquatum, reſpectu ſolius potẽtiæ naturalis, ſecundum quam vnum tantùm locum replere, eóque contineri dicitur, concedo: adæquatum verò reſpectu ſupernaturalis potentiæ quæ efficit vt iſtud corpus idem numero diſtincta loca occupet, iiſque contineatur, nego.

Secundò obiicies, implicat contra-



Digitized by Google

dictionem corpus ſimul eſſe vnum, & non vnum: atqui idem numerò corpus poſitum in pluribus locis ſimul eſſet vnum, & non vnum, ergo, &c. Minor probatur, tale corpus poſitum in pluribus locis eſſet vnum ex ſuppoſitione, non eſſet autem vnum, quia eſſet diuiſum à ſe, quod aduerſatur vnitati: ergo ſimul eſſet vnum & non vnum.

Reſpondeo conceſſa maiori, negando minorem: ad eius probationem dico corpus poſitum in pluribus locis adhuc eſſe vnum, nec diuidi à ſeipſo, ſed varia tantum vbi, variáſque præſentias reales in diuerſis locis multiplicari, quæ quidem ex ſupradictis nó habent repugnantiam cum vnitate corporis.

Tertiò obiicies: repugnat aliquid à ſe ipſo diſtare; ſed ſi idem numero corpus in pluribus locis conſtitueretur, à ſeipſo diſtaret: ergo implicat idem numero corpus eſſe ſimul & ſemel in pluribus locis.

Neganda eſt maior, ſi per diſtare intelligatur eſſe in locis diſtátibus, & revera petit principium, ſeu ſupponit, quod probandum eſſet, nempe idem corpus non eſſe in locis diſtantibus.

Quartò obiicies ſi idem numero corpus poſſit collocari in pluribus locis ſimul; ergo & in omnibus, quia in eo nulla maior repugnantia apparet: ſed hoc eſt abſurdũ, quia tunc corpus illud foret immenſum, & vbique pręſens, quod ſoli Deo proprium eſt.

Reſpondeo ad maiorem, corpus collocatum in pluribus locis non poſſe conſtitui in infinitis, quia alioquin foret infinitum, quod per diuinam etiam potentiam dari non poteſt, ſicque non foret immenſum.

Deinde addo, licet corpus aliquod in infinitis locis poneretur non tamé dici eo modo immenſum & vbique præſens quo Deus, quia ſemper vt in omnibus iſtis locis cóſeruaretur, à Deo dependeret, nec in illis ſua virtute naturali fuiſſet poſitum, ſed diuina potentia, Deus autem vbique poſitus per ſuam virtutem naturalem, à nullo dependet vt permaneat.

Quintò obiicies, ſi corpus vnũ & idé numero poſſit ſimul exiſtere in diuerſis locis, ergo ſimul poterit eſſe in diuerſis temporibus, præſenti videlicet, & futuro, quod omnino apparet impoſſibile.

Reſpondeo neg. conſequentiam, tẽpus enim duplex, aut multiplex ſimul eſſe non poteſt, proindéque repugnat aliquid ſimul eſſe in pluribus temporibus: ſecus vero eſt de multis locis, quia ſimul eſſe poſſunt: atque adeò in illis vnum & idem corpus poteſt collocari.

Poſtremò obiicies, ſi vnũ & idé corpus collocaretur in pluribus locis, poſſet contraria accidentia ſuſcipere, ſtare, & ſedere, incaleſcere, & frigere, imo mori, & viuere, damnari, & ſaluari; atqui hæc omnia planè videntur impoſſibilia, ergo, &c.

Probatur conſecutio maioris: primo nulla eſt neceſſitas propterquam corpus ſedens Romæ, Lutetiæ ſedere debeat, & non poſſit ſtare, ergo in duobus locis exiſtens, poterit in vno ſedere & in altero ſtare.

Præterea, Lutetiæ vigeat ſummum frigus, & Romæ ſummus calor, Lutetiæ corpus illud frigeſcet, & Romæ incaleſcet.

Tertiò Romæ mortifera plaga percutiatur, & Pariſiis. Denique idé corpus, Petrus v. g. Romæ peccata ſua cófeſſus ſtatim moriatur, ſine dubio ſaluabitur; Pariſiis verò furetur, & in ipſo actu interficiatur propter peccatũ illud, ex diuina iuſtitia damnabitur.

Digitized by Google

481

ergo ſimul ſaluabitur, & damnabitur.

Hæc, vt verum fatear, obiectio non exiguam parit difficultatẽ, an corpori in pluribus locis exiſtenti, eadem omnino accidentia vtrobique conuenire debeant.

Diſtinguunt nonnulli, & accidentia conſtituunt in duplici differentia, eorũ nonnulla dicunt eſſe cum vbi, & loco neceſſario coniuncta, vt hęc, modus pręſentię realis, diſtantiæ propinquitatis, ſtare, ſedere, quieſcere, moueri, & alia id genus, hęcque fatentur diuiſa & oppoſita conuenire poſſe eidem corpori conſtituto in pluribus locis.

Si illis obiicias hinc ſequi contradictionem, nimirum corpus ſtare & non ſtare; deambulare, & non deambulare: reſpondent nullam in hoc eſſe cõtradictionem, quia contradictio debet eſſe affirmatio eiuſdem de eodem ſecũdùm eadem omnia; id eſt ſecundum idem tempus, eundémque locum: hic verò quamuis idem, nempe ſtare, & non ſtare de eodem corpore affirmetur, & negetur, non tamen ſecundùm eundem locum, ſed ratione diuerſorum locorum.

Alia accidentia dicunt eſſe ab vbi & loco abſoluta, ſeu ab illo independẽtia, vt calefieri, & frigefieri, viuere, & mori; damnari, & ſaluari; & hæc corpori etiã in diuerſis locis poſito eadem vtrobique debere conuenirę docent, ita vt corpus Romæ frigidum, Lutetiæ quoque frigidum eſſe debeat: ſi moriatur Romæ, Lutetiæ quoque ipſum mori oporteat: ſi denique propter peccatũ mortale Romę damnetur, vel gratiam ſaluetur, propter eaſdem cauſas Lutetiæ aut damnari, aut ſaluari debeat.

Vnde ad inſtantias in obiectione allatas reſpõdent nihil mirum eſſe ſi corpus exiſtens Lutetiæ ſemotum ab igne, incaleſcat propter ignẽ quo Romę incaleſcit, & percutiatur vſq; ad interitũ Lutetiæ ob vulnus ſibi Romæ inflictũ, denique dãnetur propter peccatũ mortale, quod in vno loco cõmittere nõ potuit, quin in alio loco commiſerit, quia hęc omnia nõ pẽdent à loco, ſed immediatè reſpiciũt ſubſtantiã corporis. Vno verbo affirmant ob identitatem corporis in pluribus locis poſiti, citata omnia accidentia illi eadem in omnibus iſtis locis debere conuenire.

Hæc certè ſẽtentia non caret probabilitate, probabilior tamẽ mihi videtur cõtraria opinio, quę habet ratione illorũ diuerſorũ locorũ in quib⁹ idem numero corpus per miraculũ ponitur, fieri poſſe, idque naturaliter hoc præſuppoſito miraculo, vt in vno frigeat, in alio incaleſcat, in vno moriatur, in alio viuat, in vno dãnetur, in alio ſalutẽ cõſequatur: tum propter inſtantias in obiectione allatas, quas eludũt quidẽ contrariæ ſẽtẽtię authores, ſed nõ omnino ſoluũt: tum etiam quia nulla inde naſcitur cõtradictio, incaleſcere enim & frigere: viuere, & mori, dãnari, & ſaluari, eatenus tantum contradictoria ſũt, quatenus affirmantur, & negantur de eodem loco poſito, & non in pluribus locis, vt in præſenti negotio rem ſe habere ſupponimus.

Cõfirmatur hęc ſententia, de morte, & vita eiuſdẽ corporis pluribus in locis conſtituti, poteſt Deus collocato corpori in cælo & in terra (quod fieri poſſe exemplum Dominici corporis in cælo & in terra exiſtentis palã teſtatur) cõferrę dotes gloriæ, nimirũ claritatẽ, agilitatem, ſubtilitatem, & impaſſibilitatẽ in cælo, non itẽ in terra: ergo illud corpus poterit ſimul viuere, & mori.

Conſeq. nota eſt, ſi quidẽ illud corpus in terra erit & ita poterit interire; in cælo verò erit impaſſibile, proindéq; nec pati, nec interire vlla ratione poterit.

Digitized by Google

Antecedens probatur, ſi quod magis intimum eſt corpori, intimiúſque cum illo coniunctum, ei tamen in cœlo conuenire poteſt, & non in terra, id quod minus intimum eſt illi, & minus intimè coniunctum, eidem poterit in cælo competere & non in terra, atqui extenſio localis eſt intimior & intimius vnita corpori quàm glorioſæ dotes, & tamen illa reperitur in corpore exiſtẽte in cælo, & non in terra, vt patet exemplo prædicto: *Dominici corporis in cælo cum extenſione locali exiſtentis, & in terra nimirum ſub ſpeciebus* Eucharisticis *indiuiſibiliter ad locum*: Igitur ſupradictę gloriæ dotes potuerunt alicui corpori in cælo, & non in terra conuenire.

Rurſus eius ſyllogiſmi minor probatur. Illud eſt intimius & arctius vnitum cum corpore, quod illud naturaliter conſequitur, ab eóque per naturæ facultatem ſeparari non poteſt, quàm illud quod ipſi corpori non competit naturaliter, nec illi poteſt per naturæ vires aduenire, ſed tantùm per virtutẽ aliquam ſupernaturalem: atqui extenſio in ordine ad locum ſequitur naturaliter corpus, ab eóque non poteſt virtute naturæ, ſed tantùm per miraculũ ſeparari, vt conſtat inter omnes: dotes verò glorioſæ non adueniunt corpori, niſi per diuinam potentiam, nec ei ex naturæ lege ſunt debitæ: ergo extenſio localis intimior eſt corpori, & arctius cum illo coniuncta quam ſint glorioſæ dotes, ideóque ſicut extenſio localis corpori competit in cælo, & nõn in terra, ita & illæ glorioſæ dotes à fortiori poterunt conuenire eidem corpori in cælo, & non in terra, ac proinde idem corpus erit in cęlo impaſſibile, & expers interitus, in terra verò paſſibile, & capax interitus, ergo poterit illud corpus in cælo viuum remanere, & in terra interire.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*An duo vel plura corpora poſſint eſſe in eodem loco per penetrationem.*

PRima ſententia eſt Alenſis opuſculo de mixtione, & Fernelij lib. 1. phyſiologiæ cap. vlt. naturaliter duo corpora ſeſe poſſe penetrare.

Secunda eſt hæreticorum perpetuo negantium per diuinam poteſtatem contingere poſſe corporum penetrationem.

Tertia, eáque certiſſima, his duabus propoſitionibus explicatur.

*Prima propoſitio.*

DVo corpora naturæ viribus in eodem loco exiſtere non poſſunt.

Probatur experientia, qua conſtat vnum corpus non poſſe recipi in loco alterius, niſi illud prius eiecerit.

Varia proponunt exempla Conimbricenſes in c. 5. 4. phyſ. q. 4. art. 1. quibus oſtendunt duo corpora ſeſe penetrare, & in eodem loco exiſtere. Primum quòd in ferro candenti ignis ferrum permeet: ſecundum quod panis in aquã iniectus cùm madeſcit, ab ipſa aquæ ſubſtantia quoquouerſum ſubeatur: tertium omniúmque difficillimum, quod vas cinere plenum non minus aquę recipiat, quàm ſi nullo eſſet cinere repletum, quod non poteſt fieri niſi ipſa aquæ ſubſtantia permeet cineris ſubſtantiam, ipſamque penetret.

Verùm hæc exempla nihil negotij exhibent. non primum, quia re vera inferri candentis ſubſtantia nõ eſt ignis, ſed vel in eius poris, vel in aëre circũſtãte: quod ſi appareat, id referendũ eſt in ſummam caloris actiuitatem, quæ efficit, vt quod prope eſt ferri ſubſtantiam, in eadem eſſe videatur: non item vrget ſecundum exemplum, ſimiliter enim dicendum eſt aquam per panis ſubſtantiam non meare, ſed eius poros

& meatus

Digitized by Google

& meatus ingredi: ad tertium dicendũ eſt quod in vaſe cinere pleno, tantumdem aquæ reponatur, quantum ſi eſſet omnino inane, id non contingere propter penetrationem aquæ & cinerũ, ſed oriri reſolutione aquæ in vapores & halitus per cinerem facta, itemque tenuiorum & calidiorum cineris partium exhalatione, quo fit, vt nec tantum remaneat cinerum quàm antea, nec tantum in vas infundatur aquæ, quàm ſi nullis fuiſſet cineribus repletum.

*Secunda propoſitio.*

POteſt fieri diuina virtute, vt plura corpora eodem in loco exiſtant per penetrationem.

Propoſitio eſt de fide, propter multa exempla, quæ habentur in ſacris Scripturis: vt cùm Chriſtus Dominus illæſo beatiſſimæ Virginis vtero prodiit, clauſo ſepulchro reſurrexit, ad diſcipulos ianuis clauſis ingreſſus eſt, denique aſcendendo ad Patrem cælos abſque vlla fractura penetrauit.

Fauet ratio, eſt tantùm proprietas quantitatis, quòd actualiter expellat aliud corpus à ſuo loco, ſicut & quod extendatur localiter, vt omnes catholici Philoſophi docent: ergo poteſt ab ipſa quantitate aliud à ſuo loco non expellere, ſed cum illo in eodem loco permanere, ſicut poteſt Deus ſeparare alias proprietates à ſuis ſubiectis, vt calorem ab igne in fornace Babylonis & ſubſiſtentiam à ſubſtantia in myſterio incarnationis, & actualem inhærentiam ab ipſo accidente in auguſtiſſima Euchariſtia.

Obiicies, ſi duo vel plura corpora ſimul in eodem loco eſſe poſſint: ergo & eiuſdem corporis multæ, imò omnes partes, in loco vnius partis: verbi gratia omnes hominis partes in loco pedis: ſicque omnes partes humani corporis non excedent magnitudinem ſolius pedis, atqui hoc dici non poteſt, quia totum eſt maius ſua parte ergo, &c.

Reſpondeo conceſſa maioris conſequentia neg. minorem, ad eius confirmationem dicendum eſt, licet omnes partes alicuius corporis, verbi g. humani, confluant ad locum vnius pedis, per penetrationem, non tamen ſequi totum illud corpus non eſſe maius pede, quia ſemper plures partes ampliorémque extenſionem poſtulabit, quæ tantum omnes partes per replicationem ad vnum ſitum vnúmque locum pedis compellentur, ſicut non deſinũt mille panni vlnæ ad vniusvlnę magnitudinem replicatæ, millecuplo maiorem magnitudinem in ſe includere, quàm ſit longitudo vnius vlnæ.

*Hæc de Loco.*

# APPENDIX
# DE VACVO.

## SECTIO PRIMA.
*De nomine & exiſtentia Vacui.*

DE vacuo non ex profeſſo, ſed ad maiorem loci explicationem agimus, cum autem loco opponatur, oppoſita ratione explicandum eſt: vndè cum locus dicatur ſuperficies realis aliquod corpus ambiens, vacuum, ſeu inane, erit ſuperficies nullo corpore repleta, qualis cenſeretur eſſe extrema ſuperficies vaſis, ſi nec aqua, nec aëre, nec alio ſimili corpore repleretur.

Notandum verò eſt hanc vacui acceptionē pro reali ſuperficie corpore vacante eſſe valdè ſtrictam, & tantò illi vacuo conuenire quod poteſt in rerum natura admitti, ſiue naturaliter, ſiue virtute diuina: aliud autem præterea vacuum concedendum eſſe, nimirum ſpatium illud inane & imaginarium quod ſupra cælos mente cogitamus, in quo nec vlla realis ſuperficies, nec corpus in ea contentum reperitur.

## SECTIO SECVNDA.

*De existentia Vacui.*

*Prima propoſitio.*

NOn datur vacuum in rerum natura.

Probatur experientia, quæ teſtatur nullum eſſe ſpatium in hac tota rerum vniuerſitate quod non aliquo corpore, ſiue cæleſti, ſiue elementari, ſiue ex elementis mixto repleatur.

*Secunda propoſitio.*

NVlla virtute naturali vacuum dari poteſt in rerum natura.

Probatur primo ex illo naturæ conatu quem ad vacuum propellendum etiam cum proprio diſpendio adhibet ex quo fit vt leuia contra naturam ſuā deſcendant, verbi gratia aër ad loca ſubterranea, grauia è contra aſcendāt, vt aqua per fiſtulam attracto aëre ſurſum mittitur. Idem patet ex vi quam adhibet vt inane illud fugiat, ſicut videre eſt in bombardis quæ magno impetu franguntur, quando aër non poteſt ſubintrare vt ſpatium in iis contentum repleat: ex eadem etiam cauſa fit, vt conſtricta follium latera non poſſint diuelli ante apertum orificium quia ſcilicet priuſquam diuellantur, aër ſpatiū inter iectum occupatus ſubintrare debet, ne inane relinquatur.

Obiicies, multi, vel, ſi vis, omnes Angeli collectis viribus aërem huius claſſis propellere poſſunt, & impedire ne alius aër, aliúdue corpus ſubintret, ergo poſſunt vacuum inducere.

Probatur antecedens, maior eſt conatus Angelorum aërem ab hac claſſe propellentium, quum ſit reſiſtentia ipſius aëris, ut quiſque ſatis videt, maior item reſiſtentia ipſorum Angelorum quàm impetus alterius aëris, vel corporis ingreſſum quærentis: igitur poterunt illi omnes Angeli propellere totum aërem huius claſſis, & ingreſſum alterius corporis impedire, ſicque vacuum inducere.

Reſpondeo neg. antecedens, dicendo ad eius probationem, quod licet abſolutè conatus Angelorum ſit maior quàm reſiſtentia aëris, vel è contra illorum reſiſtentia excedat impetum ipſius aëris, vel alterius corporis ſpatium huius claſſis aëre deſtitutum replere contendentis: tamen habita ratione totius vniuerſitatis & eius diſpoſitionis, quam is ſolùm immutare poteſt qui naturam ipſam condidit, fiet vt Angeli, quantumcumque nitantur, non propellant aërem huius claſſis; vel ſi propellunt neceſſariò cogantur, concedere liberum ingreſſum aliis corporibus ad replendum tale ſpatium properantibus, vel certé futurum eſt vt claſſis ſummo impetu frangatur.

Rurſus proferuntur caſus multi quibus vacuum ſequi videtur, vt ſi duæ tabulæ perfectè planæ inter ſe cohærentes ab inuicem diuellerentur, & ſecundùm omnes partes ſimul eleuarentur, cùm enim aër in momento quo diuellerentur illæ duæ tabulæ, non poſſet ſubintrare, daretur vacuum. Item ſi vas aqua calida undique repletum & obturatum in loco frigidiſſimo conſtituatur, aqua in gelu concreta

Digitized by Google

denſior fiet, minúſque ſpatij occupabit quàm prius, & ſic dabitur vacuum.

Facilè tamen reſpondetur his & ſimilibus exemplis: nam quod ſpectat ad tabulas illas perfectè planas ſibi cohærentes, dicendum eſt non poſſe ſimul naturæ viribus ſecundum omnes partes eleuari, ſed ſucceſſiuè tantùm, & per partes, vt ſe aër inſinuet.

Ad aliud exemplum reſpondendũ eſt vel naturæ vacuum timentis inſtitutione aquam calidam in vaſe contentam nunquam in gelu concreſcere; vel ſi concreſcat, vas illico frangi.

*Tertia propoſitio.*

Diuina virtute vacuum dari poteſt. Clariſſima eſt omnium propoſitio: ſi quidem potuit Deus elementa ſub cælis contenta non producere, ſicque totum illorum ſpatium inane, ac vacuum relinquere, poteſtque & nunc ea in nihililum redigere, nulláque corpora in eorum locum ſubrogare: ergo poteſt vacuum inducere.

## SECTIO TERTIA.
## ET QVARTA.

*De eſſentia & affectionibus vacui.*

Eſſentia vacui patet ex dictis per oppoſitionem ad locum. Affectiones duę ſunt præcipuæ. Prior, an motus in vacuo fieri poſſit, poſterior quæ ex priori deducitur, an ſi motus in vacuo fieret, eſſet inſtantaneus.

Vt prior affectio explicetur: Notandum eſt duplex vacuum conſiderari poſſe, alterum ſimpliciter, quale eſſet ſpatium totius mundi, ſi Deus tam elementa quàm cęlos annihilaret; alterum ſecundum quid, & magis proprium, vt ſpatium aëris, ſi Deus ſolum aërem ad nihilum redigeret.

Notandum præterea hîc tantum ſermonem eſſe de motu locali, quicumque tandem ille ſit, ſiue circularis, ſiue rectus, ſiue naturalis, ſiue violentus, ſiue progreſſiuus animalium. His notatis ſit,

*Prima propoſitio.*

In vacuo ſimpliciter & ex omni parte nequit fieri motus rect' naturalis. Probatur, motus rectus naturalis, aut eſt ſurſum, aut deorſum, ſeu à centro vel ad centrũ: atqui in dato omni ex parte vacuo nec daretur ſurſum, nec deorſum, nullúmque eſſet centrum, ergo non poſſet in eo fieri motus rectus naturalis.

Præterea quæcumque motu recto naturali feruntur, tamdiu agitantur, quamdiu reperiunt locum in quo conquieſcãt, atqui in dato omni ex parte vacuo nullus eſſet locus in quo mobilia motu recto naturali, ſiue per deſcenſum, ſiue per aſcenſum, quieſcerent, totum enim eſſet inane ſpatium: ergo ſemper motus fieret.

Eadem facilitate probatur in tali vacuo non poſſe fieri motum progreſſiuum animalium, ſiquidem cùm prærequirat aliquod fundamentum, vel corpus ſolidum, putà terrã aliú ue ſimile corpus in quo mobile conſiſtat, illud verò in vacuo omni ex parte nullum ſit, planum eſt motum illum ſupradictum animalium progreſſiuum fieri non poſſe.

*Secunda propoſitio.*

In vacuo omni ex parte poſſet fieri motus circularis alicuius orbis, v.g. ſupremæ ſphęrę, ſi quidem cum ſpontaneo quodam agitatu feratur, poſſet in gyrum circumflecti, etſi etiam omnia alia corpora ad nihilum redacta eſſent.

*Tertia propoſitio.*

In vacuo omni ex parte poſſet fieri motus violentus proiectorum.



Digitized by Google

Probatur, poſſet Angelus per inane iaculum intorquere,&bombarda tormentario puluere igne admoto globũ ferr eum emittere, ergo motus violentus proiectorum in vacuo omni ex parte fieri poteſt.

Occurres, ergo iaculum eiuſmodi euibratum ab Angelo ſemper mouebitur, quia nihil vnquam reperiet in quo conquieſcat.

Reſpondeo id negando, vbi enim iaculum ad aliquam diſtantiam perductum fuerit, ſtatim amittet vim ſibi à proiiciente impreſſam, proindéque cùm ad nullam partem ex ſua naturali inclinatione tendere poſſit, quia totum ſpatium inane eſt, ſequetur ipſum quieturum.

Iuſtabis, nullum corpus graue poteſt quieſcere alibi quàm in centro, & propterea diximus fore vt grauia ſemper agitarentur, ſi in dato omni ex parte vacuo mouerentur: ergo cùm iaculum vibratum ſit graue,numquam quieſcet, niſi in centro, quod nullum eſt in vacuo omni ex parte.

Reſpondeo ad antecedens, nullum corpus graue quieſcere niſi in centro ſi illud detur, poſſe tamen vi ſua alibi quieſcere, ſi nullum plane centrum fuerit:quando autem diximus futurum vt grauia in dato omni ex parte vacuo poſita perpetuò agitarentur, id ex hypotheſi quod naturaliter mouerentur, dictum fuit: & ideo diximus futurum eſſe vt ipſa numquam moueantur, ſed perpetuò quieſcant.

*Quarta propoſitio.*

IN vacuo ſecundum quid, & aliqua tantum ex parte motus progreſſiuus animalium, & rectus grauium & leuium fieri poſſet,

Probatur, ſi totus aër annihilaretur animal in terra exiſtens poſſet pedem mouere & progredi, itémque lapis in regione ignis detentus ad centrum deſcendere, ob innatam ſibi grauitatem, maximé cum plenitudo medii per quod fit motus, non requiratur ad motum, imò potius ipſum retardet, vt inde patet quòd tanto fit velocior motus cæteris paribus, quanto ſubtilius eſt medium per quod fit motus, ergo, &c.

Obiicies: ſi corpus graue in vacuo poſitum poſſet moueri,poſſet illud ſpatium quod occupat naturaliter relinquere, ergo naturaliter daretur vacuum, quod ſupra negauimus.

Neganda eſt conſ. quòd enim moto illo corpore graui, ſpatium, quod occupabat, inane & vacuum relinquatur non eſt tribuendum virtuti naturali ipſius corporis quod mouetur ſed diuinæ potentiæ quæ ſpatij inanitatem induxit, impediuitque corporum inter ſe colligationem, ob quam vnum corpus ad occupandum ſpatium ab alio corpore derelictum potuiſſet accurrere.

Quod ſpectat ad alteram vacui affectionem, an motus qui in vacuo fieret eſſet inſtantaneus, vulgo pars affirmatiua tribuitur Ariſtoteli 4. Phyſ. cap. 8. vbi multa congerit; quibus probet futurum motũ inſtantaneum in vacuo.

Alii è contrario meliùs benegniuſque Ariſtotelẽ interpretãtes, aiunt ipſum non ex propria ſententia docuiſſe motũ corporis in vacuo fore momentaneum ſeu tanquam dogma, ſed id ex eorũ philoſophorũ cõtra quos agebat errore intuliſſe,tanquã abſurdum: cum enim illi ſuſtinerẽt omnẽ motus morã ex medii plenitudine & reſiſtentia proficiſci,& non ex diſtantia terminorũ,rectè intulit Ariſtoteles,in vacuo in quo nulla eſt reſiſtentia,motũ fore inſtantaneũ. Quicquid ſit de mẽte Ariſt. quã ſẽper debemus benignè exponere.

Digitized by Google

Veriſſima omnium ſententia noſtra eſt, motum illum qui in vacuo fieret, futurum neceſſariò ſucceſſiuum, non autem momentaneum.

Probatur, licet totus aër annihilaretur, ſi lapis à concauo Lunæ ad terram caderet, motus ille non poſſet eſſe inſtantaneus; alioquin in eodem inſtāti lapis eſſet in omnibus illis ſpatiis, quod non poteſt intelligi. Item ſi Angelus exiſtens in prædicto Lunæ concauo pilam tanta vi in terram proiiceret, vt inde altiſſimè reſiliret, ſimul ipſius pilæ fieret ad terram deſcenſus, & ad ſuperiora reſultus, ſi motus ille fieret in inſtanti, quod abſurdum eſt: ergo, &c.

Obiicies, quo maior medij reſiſtentia, eò tardior eſt motus: ergo quò minor erit, eò erit velocior motus: ergo ſi nulla ſit medij reſiſtentia, motus erit infinitæ volocitatis: atqui in vacuo nulla eſt medij reſiſtentia, vt conſtat: ergo in eo motus erit infinitæ velocitatis, & ſic in inſtanti abſoluetur.

Reſpondeo negando poſteriorem cōſeq. quamquam enim ex minori reſiſtentia medij fiat motus volocior; nō tamen infinitè velox erit ob omnino ſublatam medij reſiſtentiam: tum quia illa reſiſtentia infinita non eſt, & ſic infinitè non diminuitur; tum quia ab illa poſitiua medij reſiſtentia non omninò retardatur motus, ſed etiam à ſpatij magnitudine, & terminorum remotione, adeo vt quòd motus fiat in tempore, non ſe teneat tantùm ex parte medij reſiſtentis, ſed etiam ex parte diſtantiæ terminorum *à quo & ad quem*, quæ quidem diſtantia in inſtanti pertranſiri non poteſt.

Rurſus obiicies aliam rationem Ariſtotelis ſi motus, qui fit in vacuo, eſſet ſucceſſiuus, ſequeretur duo corpora inæqualis grauitatis poſſe æquali volocitate agitari: at hoc paradoxum eſt, ergo, &c. Probatur conſecutio maioris: tota ratio cur grauiora corpora facilius moueantur, eſt, quia facilius medium diuidunt, quàm leuiora corpora: atqui in vacuo omnia corpora æqualiter medium diuiderent, quia nullam in eo reſiſtentiam reperirent: ergo æqualiter mouerentur omnia corpora grauiora & minus grauia.

Reſpondeo negando conſeq. maioris; & ad eius probationem nego maiorem: adæquata enim ratio cur grauiora corpora celerius moueantur, non eſt tantum quòd medium facilius ſcindant, ſed etiam quòd ipſis virtus motrix maior inſit quia citius ad ſua loca feruntur.

# TRACTATVS TERTIVS DE TEMPORE AD QVINTVM librum Phyſicorum, vnica diſputatione contentus.

## SECTIO PRIMA.

*De nomine & varia acceptione Temporis.*

TEmpus interdum ita latè ſumitur, vt omnem durationē, non ſolùm illam quę communiter à Philoſophis dicitur tēpus, cōprehēdat, ſicut dicimus Angelos per longum tempus duraſſe, tameſi habeant aliam durationem, nimirum æuum, vt inferius docebimus. Aliquando verò & propriè ſumitur tempus pro illa ſpeciali duratione quæ in rebus ſucceſſiuis propria eſt, & à duratione in communi diſtinguitur, velut ſpecies à genere. Quod vt melius explicetur paucis de duratione in communi differendum eſt.



Digitized by Google

*Antiloquium de duratione in communi.*

## PARS PRIMA.

### *Quid ſit Duratio.*

SEcundum Philoſophos, Duratio nihil aliud eſt quàm permanentia rei in eſſe, ſeu exiſtentia. Dicitur permanentia, vt intelligas res tantum propriè durare quæ in ſuo eſſe perſeuerãt, non autem illas quæ momento tantum exiſtunt, vt ſunt generatio & corruptio, &c.

Additur in eſſe, ſeu in exiſtentia; quoniam vt rectè notat ſubtilis Suarez 2. tom. metaph. diſp. 50. q. 1. num. 10 Duratio rei tantùm exiſtenti propriè attribuitur, non autem rei ſecundum ſolam eſſentiam conſideratæ.

## PARS SECVNDA.

### *De variis ſpeciebus Durationis.*

CVm Duratio nihil ſit aliud quàm permanentia rei in eſſe, ſeu exiſtentia, nec ab ipſa exiſtentia realiter diſcrepet, ſecundum diuiſionem exiſtentiæ aſſignari poteſt durationis diuiſio. Quare cum duplex ſit rerum exiſtentia, altera permanens, ſeu rerum permanentium, & quæ totum ſuum eſſe ſimul habent: altera ſucceſſiua, ſeu rerum ſucceſſiuarum, quæ habent ſuum eſſe in fluxu, & fieri poſitum, vt motus qui deſinit eſſe cùm abſoluitur, duratio permanens in has ſpecies diuiditur, æternitatem ſimpliciter, æternitatem participatam, modum æternitatis participatæ. æuum, & modum æui, ſeu æuiternitatem.

Quod ſpectat ad æternitatem, quæ eſt diuini eſſe duratio, ex profeſſo diſputant Theologi cum D. Th. 1. parte q. 10. multáque tradunt, quæ hic non poſſunt accuratè explicari. Satis nobis erit ſi quid ſit, ex communiori & viſitatiori Theologorum ſententia oſtendamus.

Boëtius lib. 5. de conſolatione Philoſophica proſa 6. ſic æternitatem definiuit *Æternitas eſt vita interminabilis & perfecta poſſeſſio.*

Dicitur primò vita interminabilis, id eſt rei viuentis principio & fine carentis: quia æternitas, nec initio incipit, nec fine terminatur, vt loquitur D. Gregorius 19. moral. cap. 12. imò nec incipere, nec finiri poteſt, in quo à tempore diſtinguitur, ſi illud fuiſſet ab æterno, vt creditur docuiſſe Ariſtoteles: itémque ab æuo Angelorum, ſi quoque Angeli ab æterno extitiſſent, licet enim neque initium, neque finem habuiſſet; attamen tam incipere potuiſſent, quàm & poſſent deſinere.

Dicitur ſecundò tota ſimul, vt intelligamus diuinam illam æternitatem, talem eſſe, vt nullam ſucceſſionẽ nullamque mutationem ſubeat: ſi quidem cùm ſit planè idem cum diuina exiſtẽtia, periude ac ipſa, omnis ſucceſſionis & mutationis expers eſſe debet, in quo à tempore noſtro ſucceſſiuo diſcrepat, itemque ab Angelorum æuo, quod licet non recipiat mutationem ſubſtantialem, qua ſemper eadem manet Angelorum exiſtentia, atque ſubſtantia, attamen non eſt tota ſimul, id eſt non habet omnia ſibi præſentia, ſed agnoſcit præteritum, & futurum, quod de diuina æternitate nullo modo dici poteſt, in qua nihil iam eſt quaſi fuerit præteritum, nihil futurum, quaſi non iam ſit, ſed in qua nihil eſt niſi eſt, iuxta illud Exodi 3. *Qui eſt miſit me*: quam quidem æternitatem ita ſimul exiſtentem, vt tamen omnibus temporis noſtri partibus immota reſpondeat, exẽplo centri in medio circumferentiæ poſiti conatus eſt adumbrare D. Thomas 1. contra Gentes: quemadmo-

Digitized by Google

dum enim inquit centrum eſt omnino indiuiſibile & immobile, & tamen reſpondet toti circumferentiæ, omnibúſque eius partibus, abſque vlla ſui mutatione aut partium ſucceſſione, ita etiam diuina æternitas eſt aliquod punctum indiuiſibile omni tempori & ſingulis eius partibus totum correſpondens, ac, ſi vultis, coëxiſtens, immotúmque manens dat cuncta moueri.

Solet etiam ipſa diuina æternitas illuſtrari exemplo arboris in littore fluuij exiſtentis, quæ omnino immobilis manet, licet variæ identidem aquæ illam circumambiant & vndique præterlabantur, ad quas proinde aquas varios duntaxat rationis reſpectus acquirit, ſicut diuina æternitas omninò immota remanens variis mutationibus creaturarum correſpondet, & ad illas nouas tantum relationes rationis acquirit.

Obiicies contra hanc particulam *tota ſimul*, æternitati tribuuntur differentiæ temporis præſentis, præteriti & futuri Apocalypſ. 1. *Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt*: ad Hebræos 16. *Chriſtus heri & hodie & ipſe in ſæcula*: igitur æternitas non eſt tota ſimul, ſed aliquam ſucceſſionem admittit.

Reſpondeo negando antecedens, ad citatas authoritates Scripturæ ſacræ dico illam hos loquendi modos per varias temporis differentias vſurpare, vt ſe magis ad noſtrum captum noſtrámque imbecillitatem accommodet, ſicut etiam cùm Deo os, labia attribuit, nec propriè vt verba ſonant, ſed figuratè, & metaphoricè allata teſtimonia eſſe accipienda.

Dicitur poſtremò perfecta poſſeſſio, quòd ſit menſura perfectionis aliarum rerum increata, & independens, in quo ab aliis penitus durationis ſpeciebus diſtinguitur, & etiam ab inſtantibus temporis & mutationis eſſe motus, quia licet illud totum ſuum eſſe ſimul habeant, illud tamen valdè exiguum eſt & diminutum, nec magis quàm momento manet. De æternitate plura petantur ex Theologis.

Æternitas participata eſt rerum ſupernaturalium ſuum eſſe ſimul habentium & natura ſua incorruptibilium, vt ſunt lumen glorię, viſio beatifica, & beatificus amor.

Dicitur æternitas eo quòd eius modum in eo imitetur, quòd ſcilicet ipſa habeat totum ſuum eſſe ſimul, nec mutationem vllam includat. Dicitur verò participata, quod à Deo manauerit, poſſitque per diuinam potentiam deſinere.

Modus æternitatis participatæ eſt duratio rei ſupernaturalis totum ſuum eſſe ſimul habentis, verùm defectibliis, & corruptioni ſubiectę, vt duratio donorum ſupernaturalium, fidei, ſpei & charitatis.

Dicitur modus æternitatis participatæ, & non ſimpliciter æternitas participata, quòd illam imitetur, ſitque rei ſupernaturalis, & quod totum ſuum eſſe ſimul habet, non tamen per ſe, & ex natura ſua incorruptibilis, ſed defectibilis.

Æuum etſi aliquando pro æternitate accipiatur, vt Eccleſiaſtici 4. *Nomen domini permanens in æuum*, id eſt in æternum. Item licet frequenter pro noſtro tempore ſumatur, vt cùm dicimus *Æuum velox traducere*, attamen propriè acceptum cum ab æternitate, tum à noſtro tempore diſtinguitur: ab æternitate, quod hæc ſit rei increatæ intrinſecè, & extrinſecè immutabilis, nec non tã ſubſtantialiter quàm accidentariò incorruptibilis,

Digitized by Google

æuum verò ſit rei alicuius creatæ, & finitæ, immutabilis quidem ſubſtantialiter ab intrinſeco, quia natura ſua deſinere non poteſt, ſed tantum ab extrinſeco mutabilis: quia ſaltem per diuinam potentiam poteſt annihilari, & præterea ex natura ſua accidentaliter, variabilis, quia varia identidem mutat accidentia, cuiuſmodi ſunt Angeli, animæ rationales, materia prima quantitatis, quamuis enim hæc omnia creata ſint, nullum tamen habent internum corruptionis principium, ſolúmque annihilari poſſunt ab agente extrinſeco, nempe Deo, variáque ſubinde mutare accidentia.

A tẽpore verò noſtro in eo ſecernitur, quòd noſtrum tempus ſit rei alicuius, tã intrinſecè quàm extrinſecè corruptibilis, æuum autem ſit rei dũtaxat ab extrinſeco corruptibilis, & incorruptibilis ab intrinſeco, vt explicatũ fuit.

Clariùs explicatur diſcrimen inter æuum, æternitatem & tempus, quòd æuum ſit medium inter æternitatem & tempus; ſiquidem æternitas omnem excludit mutationem, tam ſubſtantialem, quàm accidentalem: Deus enim cuius eſt propria, neque ſecundum ſubſtantiam, neque ſecundum accidentia mutatur: tempus vero vtrámque includit mutationem, & ſubſtantialem, & accidentalem, vt patet inductione facta per res illas quæ tempore durare dicuntur: at æuum excludit quidem ſubſtantialem mutationem, quia eſt rerum quę nullum habent internum ſui interius principium, non tamen accidentalem, cum res illæ quæ ſunt in æuo, vt pote Angeli & animæ rationales, varias ſubinde mutationes accidentales ſubeant.

Modus æui ſeu æuiternitas, eſt duratio rerum permanẽtium quæ totum ſuum eſſe ſimul habent, in eóque aliquandiu perſeuerant, attamen poſſunt etiam ab intrinſeco interire, vt res quę conſtant materia & forma, & in fluxu & agitatione poſitæ ſunt.

Quod ſpectat ad durationem ſucceſſiuam, illa duas in ſpecies diuiditur; in continuam, ſeu tempus continuum; & diſcretam, ſeu tempus diſcretum.

Tempus continuum eſt duratio rerũ ſucceſſiuarum, & quę habent ſuum eſſe in fluxu poſitum, vt ſunt omnes motus omnéſque ſucceſſiuæ mutationes. Huius temporis copula eſt inſtans aliquod omnino indiuiſibile, ſicut punctum reſpectu lineæ. Hoc porrò inſtanti menſurantur omnes durationes inſtantaneæ, generationes, corruptiones, & ſi quæ aliæ ſint, itémque mutata eſſe in motu, quibus ipſius motus partes ſibi inuicem copulantur, atque terminantur.

Tempus verò diſcretum eſt duratio multarum Angelicarum operationum, quatenus vna alteri non continuè, ſed diſcretè ſuccedere intelligitur.

Dicitur tempus, quòd prius & poſterius habeat; diſcretum verò, quod actiones ſubſequentes non continuè, ſed diſcretè tantùm præeuntibus ſuccedãt. Illud autem in quo vna ex his Angelicis actionibus perficitur, ſiue indiuiſibile fuerit, ſiue diuiſibile, inſtans Angelicum, ſeu temporis diſcreti & Angelici nuncupatur, in quo diſtinguitur ab inſtanti corporis continui, quod omnino indiuiſibile eſſe debet. Item in eo quòd inſtantia temporis continui non ſe immediatè ſequantur, ſicut inſtantia diſcreti & Angelici temporis.

Cęterùm vt melius variæ iſtæ durationis ſpecies percipiantur, poterunt omnes hac facili ratione colligi: quælibet res aut habet totũ ſuum eſſe ſimul, aut habet illud in fluxu poſitum: ſi prius, aut illud eſſe erit penitus indiuiſibile

Digitized by Google

uiſibile omni tempori coëxiſtens, immutabiliter & independenter, & huius eſſe propria duratio erit æternitas, vel illud eſſe erit ab alio dependens, & hoc vel ſupernaturale vel naturale. Si ſupernaturale, vel natura ſua ſine carebit, vt viſio beatifica, amor beatificus, lumen & gloria, & huiuſmodi eſſe duratio erit æternitas participata, vel natura ſua poterit amitti, vt donum ſupernaturale, quod hominibus in via exiſtentibus confertur, & modū æternitatis participatæ pro ſua propria duratione participabit. Si verò illud eſſe fuerit naturale; vel ſine ex natura ſua carebit, vt Angelus & eius duratio erit æuum; vel poterit naturaliter interire, vt quodlibet corpus naturale, & durabit æuiternitate ſeu modo æui: quod ſi eſſe rei ſit in fluxu poſitum, aut fiet huiuſmodi fluxus cum interruptione, & talis eſſe duratio erit tempus diſcretum, aut fiet ſine vlla diſcretione, & dabitur tempus continuum.

## PARS TERTIA.

*De diſtinctione durationis ab exiſtentia creaturarum.*

POſui creaturarum, quia de exiſtentia Dei non poteſt eſſe difficultas quin ſit idem realiter, & formaliter cum ſua durationis æternitate, quia ipſamet ęternitas Deus eſt realiter, & formaliter.

Quod igitur attinet ad difficultatem propoſitam, ſunt qui inter durationem & exiſtentiam creaturarū diſcrimen reale conſtituūt. Alij ex oppoſito ſolum diſcrimen rationis. Ita Ochamus, Gabriel & Suarez 2. tomo Metaphyſicæ diſp 50. ſect. 7. numero 5. & alij.

Longè tamen probabilior eſt noſtra opinio quæ eſt Richardi in ſecundum diſt. 2. q. art. 1. Argentinatis eodem loco quæſtione pariter prima, & art. 1. & omnium ferè recentiorum, veram durationem non eſſe realiter diſtinctam ab exiſtentia creaturæ, quia mutuò ſeparari non poſſunt, ita vt ſit duratio rei ſine eius exiſtentia, & res exiſtens ſine duratione, nec etiam ſola ratione, ſed formaliter & ex natura rei, quod poſterius hunc in modum.

Probamus, diſtinctæ definitiones eſſentiales arguunt diſtinctionem formalem & ex natura rei, ſecundum omnes Philoſophos, ſed diſtincta eſt definitio eſſentialis durationis à definitione exiſtentiæ. Illa enim includit permanentia, hæc non item, quia exiſtentia, vt exiſtentia, dicit tantum eſſe actu non autem permanere, ergo duratio & exiſtentia creaturæ formaliter & ex natura rei diſtinguuntur, non autem ſola ratione.

Obiicies, nihil plane aliud eſt exiſtere quàm durare, & rem eſſe breuis vel prolixæ durationis quàm eſſe breuis, vel prolixæ exiſtentiæ, ergo duratio & exiſtentia ex natura rei idem ſunt, & ſola ratione diſtinguuntur.

Negandum eſt antecedens, ſi quidem oſtenſum eſt durare aliud dicere, nimirum permanenter exiſtere. Tempus eſt vt vnde exorſa eſt, ſcilicet à tempore, ad tempus ſtatim redeat oratio.

## SECTIO SECVNDA.

*De exiſtentia Temporis continui.*

TEmpus ludit qui tempus exiſtere probare meditatur, cùm enim tempus ſit duratio alicuius entis realis, ſcilicet motus, à qua velox vel tardus dicitur non poteſt non exiſtere, ſicut motus ipſe exiſtit.

Verùm obiicies (& eſt ſumma rationū omniū quas profert Ariſt. 4. Phyſ. cap. 10. contra temporis exiſtentiam) nulla pars temporis exiſtit, ergo nec ipſum tēpus. Conſequentia eſt manifeſta, Probatur antecedēs, partes tēporis

dictionem corpus ſimul eſſe vnum, & non vnum: atqui idem numero corpus poſitum in pluribus locis ſimul eſſet vnum, & non vnum, ergo, &c. Minor probatur, tale corpus poſitum in pluribus locis eſſet vnum ex ſuppoſitione, non eſſet autem vnum. quia eſſet diuiſum à ſe, quod aduerſatur vnitati: ergo ſimul eſſet vnum & non vnum.

Reſpondeo conceſſa maiori, negando minorem: ad eius probationem dico corpus poſitum in pluribus locis adhuc eſſe vnum, nec diuidi à ſeipſo, ſed varia tantum vbi, variáſque præſentias reales in diuerſis locis multiplicari, quæ quidem ex ſupradictis nó habent repugnantiam cum vnitate corporis.

Tertiò obiicies: repugnat aliquid à ſe ipſo diſtare; ſed ſi idem numero corpus in pluribus locis conſtitueretur, à ſeipſo diſtaret: ergo implicat idem numero corpus eſſe ſimul & ſemel in pluribus locis.

Neganda eſt maior, ſi per diſtare intelligatur eſſe in locis diſtãtibus, & reuera petit principium, ſeu ſupponit, quod probandum eſſet, nempe idem corpus non eſſe in locis diſtantibus.

Quartò obiicies ſi idem numero corpus poſſit collocari in pluribus locis ſimul; ergo & in omnibus, quia in eo nulla maior repugnantia apparet: ſed hoc eſt abſurdũ, quia tunc corpus illud foret immenſum, & vbique preſens, quod ſoli Deo proprium eſt.

Reſpondeo ad maiorem, corpus collocatum in pluribus locis non poſſe conſtitui in infinitis, quia alioquin foret infinitum, quod per diuinam etiam potentiam dari non poteſt, ſicque non foret immenſum.

Deinde addo, licet corpus aliquod in infinitis locis poneretur non tamé dici eo modo immenſum & vbique præſens quo Deus, quia ſemper vt in omnibus iſtis locis cõſeruaretur, à Deo dependeret, nec in illis ſua virtute naturali fuiſſet poſitum, ſed diuina potentia; Deus autem vbique poſitus per ſuam virtutem naturalem, à nullo dependet vt permaneat.

Quintò obiicies, ſi corpus vnũ & idẽ numero poſſit ſimul exiſtere in diuerſis locis, ergo ſimul poterit eſſe in diuerſis temporibus, præſenti videlicet, & futuro, quod omnino apparet impoſſibile.

Reſpondeo neg. conſequentiam, corpus enim duplex, aut multiplex ſimul eſſe non poteſt, proindéque repugnat aliquid ſimul eſſe in pluribus temporibus: ſecus vero eſt de multis locis, quia ſimul eſſe poſſunt: atque adeò in illis vnum & idem corpus poteſt collocari.

Poſtremò obiicies, ſi vnũ & idẽ corpus collocaretur in pluribus locis, poſſet contraria accidentia ſuſcipere, ſtare, & ſedere, incaleſcere, & frigere, imo mori, & viuere, damnari, & ſaluari; atqui hæc omnia planè videntur impoſſibilia; ergo, &c.

Probatur conſecutio maioris: primo nulla eſt neceſſitas propterquam corpus ſedens Romæ, Lutetiæ ſedere debeat, & non poſſit ſtare, ergo in duobus locis exiſtens, poterit in vno ſedere & in altero ſtare.

Præterea, Lutetiæ vigeat ſummum frigus, & Romæ ſummus calor, Lutetiæ corpus illud frigeſcet, & Romæ incaleſcet.

Tertiò Romæ mortifera plaga percutiatur, & Pariſiis. Denique idẽ corpus, Petrus v. g. Romæ peccata ſua cõfeſſus ſtatim moriatur, ſine dubio ſaluabitur; Pariſiis verò furetur, & in ipſo actu interficiatur propter peccatũ illud, ex diuina iuſtitia damnabitur:

Digitized by Google

ergo ſimul ſaluabitur, & damnabitur.

Hæc, vt verum fatear, obiectio non exiguam parit difficultatē, an corpori in pluribus locis exiſtenti, eadem omnino accidentia vtrobique conuenire debeant.

Diſtinguunt nonnulli, & accidentia conſtituunt in duplici differentia, eorū nonnulla dicunt eſſe cum vbi, & loco neceſſario coniuncta, vt hęc, modus pręſentię realis, diſtantiæ propinquitatis, ſtare, ſedere, quieſcere, moueri, & alia id genus, hęcque fatentur diuiſa & oppoſita conuenire poſſe eidem corpori conſtituto in pluribus locis.

Si illis obiicias hinc ſequi contradictionem, nimirum corpus ſtare & non ſtare; deambulare, & non deambulare: reſpondent nullam in hoc eſſe cōtradictionem, quia contradictio debet eſſe affirmatio eiuſdem de eodem ſecūdùm eadem omnia; id eſt ſecundum idem tempus, eundémque locum: hic verò quamuis idem, nempe ſtare, & non ſtare de eodem corpore affirmetur, & negetur, non tamen ſecundùm eundem locum, ſed ratione diuerſorum locorum.

Alia accidentia dicunt eſſe ab vbi & loco abſoluta, ſeu ab illo independētia, vt calefieri, & frigefieri, viuere, & mori; damnari, & ſaluari; & hæc corpori etiā in diuerſis locis poſito eadem vtrobique debere conuenirę docent, ita vt corpus Romæ frigidum, Lutetiæ quoque frigidum eſſe debeat: ſi moriatur Romæ, Lutetiæ quoque ipſum mori oporteat: ſi denique propter peccatū mortale Romę damnetur, vel gratiam ſaluetur, propter eaſdem cauſas Lutetiæ aut damnari, aut ſaluari debeat.

Vnde ad inſtantias in obiectione allatas reſpōdent nihil mirum eſſe ſi corpus exiſtens Lutetiæ ſemotum ab igne, incaleſcat propter ignē quo Romę incaleſcit, & percutiatur vſq; ad interitū Lutetiæ ob vulnus ſibi Romæ inflictū, deniq; dānetur propter peccatū mortale, quod in vno loco cómittere nō potuit, quin in alio loco commiſerit, quia hęc omnia nō pēdent à loco, ſed immediatè reſpiciūt ſubſtantiā corporis. Vno verbo affirmant ob identitatem corporis in pluribus locis poſiti, citata omnia accidentia illi eadem in omnibus iſtis locis debere conuenire.

Hæc certè ſētentia non caret probabilitate, probabilior tamē mihi videtur cōtraria opinio, quę habet ratione illorū diuerſorū locorū in quib⁹ idem numero corpus per miraculū ponitur, fieri poſſe; idque naturaliter hoc præſuppoſito miraculo, vt in vno frigeat, in alio incaleſcat, in vno moriatur, in alio viuat, in vno dānetur, in alio ſalutē cōſequatur: tum propter inſtantias in obiectione allatas, quas eludūt quidē contrariæ ſētētię authores, ſed nō omnino ſoluūt: tum etiam quia nulla inde naſcitur cōtradictio, incaleſcere enim & frigere: viuere, & mori, dānari, & ſaluari, eatenus tantum contradictoria ſūt, quatènus affirmantur, & negantur de eodem loco poſito, & non in pluribus locis, vt in præſenti negotio rem ſe habere ſupponimus.

Cōfirmatur hęc ſententia, de morte, & vita euiſdē corporis pluribus in locis conſtituti, poteſt Deus collocato corpori in cælo & in terra (quod fieri poſſe exemplum Dominici corporis in cælo & in terra exiſtentis palā teſtatur) cōferre dotes gloriæ, nimirū claritatē, agilitatem, ſubtilitatem, & impaſſibilitatē in cælo, non itē in terra: ergo illud corpus poterit ſimul viuere, & mori.

Conſeq. nota eſt; ſi quidē illud corpus in terra erit & ita poterit interire; in cælo verò erit impaſſibile, proindéq; nec pati, nec interire vlla ratione poterit.

Digitized by Google

Antecedens probatur, ſi quod magis intimum eſt corpori, intimiúſque cum illo coniunctum, ei tamen in cœlo conuenire poteſt, & non in terra, id quod minus intimum eſt illi, & minus intimè coniunctum, eidem poterit in cælo competere & non in terra, atqui extenſio localis eſt intimior & intimius vnita corpori quàm glorioſæ dotes, & tamen illa reperitur in corpore exiſtẽte in cælo, & non in terra, vt patet exemplo prædicto: *Dominici corporis in cælo cum extenſione locali exiſtentis, & in terra nimirum ſub ſpeciebus Euchariſticis indiuiſibiliter ad locum*: Igitur ſupradictę gloriæ dotes potuerunt alicui corpori in cælo, & non in terra conuenire.

Rurſus eius ſyllogiſmi minor probatur. Illud eſt intimius & arctius vnitum cum corpore, quod illud naturaliter conſequitur, ab eóque per naturæ facultatem ſeparari non poteſt, quàm illud quod ipſi corpori non competit naturaliter, nec illi poteſt per naturæ vires aduenire, ſed tantùm per virtuté aliquam ſupernaturalem: atqui extenſio in ordine ad locum ſequitur naturaliter corpus, ab eóque non poteſt virtute naturæ, ſed tantùm per miraculũ ſeparari, vt conſtat inter omnes: dotes verò glorioſæ non adueniunt corpori, niſi per diuinam potentiam, nec ei ex naturæ lege ſunt debitæ: ergo extenſio localis intimior eſt corpori, & arctius cum illo coniuncta quam ſint glorioſæ dotes, ideóque ſicut extenſio localis corpori competit in cælo, & nõn in terra, ita & illæ glorioſæ dotes à fortiori poterunt conuenire eidem corpori in cælo, & non in terra, ac proinde idem corpus erit in cęlo impaſſibile, & expers interitus, in terra verò paſſibile, & capax interitus, ergo poterit illud corpus in cælo viuum remanere, & in terra interire.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*An duo vel plura corpora poſſint eſſe in eodem loco per penetrationem.*

PRima ſententia eſt Alenſis opuſculo de mixtione, & Fernelij lib. 1. phyſiologiæ cap. vlt. naturaliter duo corpora ſeſe poſſe penetrare.

Secunda eſt hæreticorum perpetuo negantium per diuinam poteſtatem contingere poſſe corporum penetrationem.

Tertia, eáque certiſſima, his duabus propoſitionibus explicatur.

*Prima propoſitio.*

DVo corpora naturæ viribus in eodem loco exiſtere non poſſunt.

Probatur experientia, qua conſtat vnum corpus non poſſe recipi in loco alterius, niſi illud prius eiecerit.

Varia proponunt exempla Conimbricenſes in c. 5. 4. phyſ. q. 4 art. 1. quibus oſtendunt duo corpora ſeſe penetrare, & in eodem loco exiſtere. Primum quòd in ferro candenti ignis ferrum permeet: ſecundum quod panis in aquã iniectus cùm madeſcit, ab ipſa aquæ ſubſtantia quoquouerſum ſubeatur: tertium omniúmque difficillimum, quod vas cinere plenum non minus aquę recipiat, quàm ſi nullo eſſet cinere repletum, quod non poteſt fieri niſi ipſa aquæ ſubſtantia permeet cineris ſubſtantiam, ipſamque penetret.

Verùm hæc exempla nihil negotij exhibent, non primum, quia re vera inferri candentis ſubſtantia nõ eſt ignis, ſed vel in eius poris, vel in aëre circẽſtãte: quod ſi appareat, id referendũ eſt in ſummam caloris actiuitatem, quæ efficit, vt quod prope eſt ferri ſubſtantiam, in eadem eſſe videatur: non item vrget ſecundum exemplum, ſimiliter enim dicendum eſt aquam per panis ſubſtantiam non meare, ſed eius poros

& meatus

Digitized by Google

& meatus ingredi: ad tertium dicendũ eſt quod in vaſe cinere pleno, tantumdem aquæ reponatur, quamtum ſi eſſet omnino inane, id non contingere propter penetrationem aquæ & cinerũ, ſed oriri reſolutione aquæ in vapores & halitus per cinerem facta, itemque tenuiorum & calidiorum cineris partium exhalatione, quo fit, vt nec tantum remaneat cinerum quàm antea, nec tantum in vas infundatur aquæ, quàm ſi nullis fuiſſet cineribus repletum.

*Secunda propoſitio.*

POteſt fieri diuina virtute, vt plura corpora eodem in loco exiſtant per penetrationem.

Propoſitio eſt de fide, propter multa exempla, quæ habentur in ſacris Scripturis: vt cùm Chriſtus Dominus illæſo beatiſſimæ Virginis vtero prodiit, clauſo ſepulchro reſurrexit, ad diſcipulos ianuis clauſis ingreſſus eſt, denique aſcendendo ad Patrem cælos abſque vlla fractura penetrauit.

Fauet ratio, eſt tantùm proprietas quantitatis, quòd actualiter expellat aliud corpus à ſuo loco, ſicut & quod extendatur localiter, vt omnes catholici Philoſophi docent: ergo poteſt ab ipſa quantitate aliud à ſuo loco non expellere, ſed cum illo in eodem loco permanere, ſicut poteſt Deus ſeparare alias proprietates à ſuis ſubiectis, vt calorem ab igne in fornace Babylonis & ſubſiſtentiam à ſubſtantia in myſterio incarnationis, & actualem inhærentiam ab ipſo accidente in auguſtiſſima Euchariſtia.

Obiicies, ſi duo vel plura corpora ſimul in eodem loco eſſe poſſint: ergo & eiuſdem corporis multæ, imò omnes partes, in loco vnius partis: verbi gratia omnes hominis partes in loco pedis: ſicque omnes partes humani corporis non excedent magnitudinem ſolius pedis, atqui hoc dici non poteſt, quia totum eſt maius ſua parte ergo, &c.

Reſpondeo conceſſa maioris conſequentia neg. minorem, ad eius confirmationem dicendum eſt, licet omnes partes alicuius corporis, verbi g. humani, confluant ad locum vnius pedis, per penetrationem, non tamen ſequi totum illud corpus non eſſe maius pede, quia ſemper plures partes ampliorémque extenſionem poſtulabit, quæ tantum omnes partes per replicationem ad vnum ſitum vnúmque locum pedis compellentur, ſicut non deſinũt mille panni vlnæ ad vniusvlnę magnitudinem replicatæ, millecuplo maiorem magnitudinem in ſe includere, quàm ſit longitudo vnius vlnæ.

*Hæc de Loco.*

## APPENDIX

# DE VACVO.

## SECTIO PRIMA.

*De nomine & exiſtentia Vacui.*

DE vacuo non ex profeſſo, ſed ad maiorem loci explicationem agimus, cum autem loco opponatur, oppoſita ratione explicandum eſt: vnde cum locus dicatur ſuperficies realis aliquod corpus ambiens, vacuum, ſeu inane, erit ſuperficies nullo corpore repleta, qualis cenſeretur eſſe extrema ſuperficies vaſis, ſi nec aqua, nec aëre, nec alio ſimili corpore repleretur.

Notandum verò eſt hanc vacui acceptionẽ pro reali ſuperficie corpore vacante eſſe valdè ſtrictam, & tantò illi vacuo conuenire quod poteſt in rerum natura admitti, ſiue naturaliter, ſiue virtute diuina: aliud autem præterea vacuum concedendum eſſe, nimirum ſpatium illud inane & imaginarium quod ſupra cælos mente cogitamus, in quo nec vlla realis ſuperficies, nec corpus in ea contentum reperitur.

## SECTIO SECVNDA.

*De exiſtentia Vacui.*

*Prima propoſitio.*

NOn datur vacuum in rerum natura.

Probatur experientia, quæ teſtatur nullum eſſe ſpatium in hac tota rerum vniuerſitate quod non aliquo corpore, ſiue cæleſti, ſiue elementari, ſiue ex elementis mixto repleatur.

*Secunda propoſitio.*

NVlla virtute naturali vacuum dari poteſt in rerum natura.

Probatur primo ex illo naturæ conatu quem ad vacuum propellendum etiam cum proprio diſpendio adhibet ex quo fit vt leuia contra naturam ſuã deſcendant, verbi gratia aër ad loca ſubterranea, grauia è contra aſcendãt, vt aqua per fiſtulam attracto aëre ſurſum mittitur. Idem patet ex vi quam adhibet vt inane illud fugiat, ſicut videre eſt in bombardis quæ magno impetu franguntur, quando aër non poteſt ſubintrare vt ſpatium in iis contentum repleat: ex eadem etiam cauſa fit, vt conſtricta follium latera non poſſint diuelli ante apertum orificium quia ſcilicet priuſquam diuellantur, aër ſpatiũ interiectum occupatus ſubintrare debet, ne inane relinquatur,

Obiicies, multi, vel, ſi vis, omnes Angeli collectis viribus aërem huius claſſis propellere poſſunt, & impedire ne alius aër, aliúdue corpus ſubintret, ergo poſſunt vacuum inducere.

Probatur antecedens, maior eſt conatus Angelorum aërem ab hac claſſe propellentium, quum ſit reſiſtentia ipſius aëris, vt quiſque ſatis videt, maior item reſiſtentia ipſorum Angelorum quàm impetus alterius aëris, vel corporis ingreſſum quærentis: igitur potuerunt illi omnes Angeli propellere totum aërem huius claſſis, & ingreſſum alterius corporis impedire, ſicque vacuum inducere.

Reſpondeo neg. antecedens, dicendo ad eius probationem, quod licet abſolutè conatus Angelorum ſit maior quàm reſiſtentia aëris, vel è contra illorum reſiſtentia excedat impetum ipſius aëris, vel alterius corporis ſpatium huius claſſis aëre deſtitutum replere contendentis: tamen habita ratione totius vniuerſitatis & eius diſpoſitionis, quam is ſolùm immutare poteſt qui naturam ipſam condidit, fiet vt Angeli, quantumcumque nitantur, non propellant aërem huius claſſis; vel ſi propellunt neceſſariò cogantur, concedere liberum ingreſſum aliis corporibus ad replendum talẽ ſpatium properantibus, vel certè futurum eſt vt claſſis ſummo impetu frangatur.

Rurſus proferuntur caſus multi quibus vacuum ſequi videtur, vt ſi duæ tabulæ perfectè planæ inter ſe cohærentes ab inuicem diuellerentur, & ſecundùm omnes partes ſimul eleuarentur, cùm enim aër in momento quo diuellerentur illæ duæ tabulæ, non poſſet ſubintrare, daretur vacuum. Item ſi vas aqua calida undique repletum & obturatum in loco frigidiſſimo conſtituatur, aqua in gelu concreta

Digitized by Google

483

denſior fiet, minúſque ſpatij occupabit quàm prius, & ſic dabitur vacuum.

Facilè tamen reſpondetur his & ſimilibus exemplis: nam quod ſpectat ad tabulas illas perfectè planas ſibi cohærentes, dicendum eſt non poſſe ſimul naturæ viribus ſecundum omnes partes eleuari, ſed ſucceſſiuè tantùm, & per partes, vt ſe aër inſinuet.

Ad aliud exemplum reſpondendũ eſt: vel naturæ vacuum timentis inſtitutione aquam calidam in vaſe contentam nunquam in gelu concreſcere; vel ſi concreſcat, vas illico frangi.

*Tertia propoſitio.*

Diuina virtute vacuum dari poteſt. Clariſſima eſt omnium propoſitio: ſi quidem potuit Deus elementa ſub cælis contenta non producere, ſicque totum illorum ſpatium inane, ac vacuum relinquere, poteſtque & nunc ea in nihililum redigere, nulláque corpora in eorum locum ſubrogare: ergo poteſt vacuum inducere.

## SECTIO TERTIA.
### ET QVARTA.

*De eſſentia & affectionibus vacui.*

Eſſentia vacui patet ex dictis per oppoſitionem ad locum. Affectiones duæ ſunt præcipuæ. Prior, an motus in vacuo fieri poſſit, poſterior quæ ex priori deducitur, an ſi motus in vacuo fieret, eſſet inſtantaneus.

Vt prior affectio explicetur: Notandum eſt duplex vacuum conſiderari poſſe, alterum ſimpliciter, quale eſſet ſpatium totius mundi, ſi Deus tam elementa quàm cælos annihilaret; alterum ſecundum quid, & magis proprium, vt ſpatium aëris, ſi Deus ſolum aërem ad nihilum redigeret.

Notandum præterea hîc tantum ſermonem eſſe de motu locali, quicumque tandem ille ſit, ſiue circularis, ſiue rectus, ſiue naturalis, ſiue violentus, ſiue progreſſiuus animalium. His notatis ſit,

*Prima propoſitio.*

In vacuo ſimpliciter & ex omni parte nequit fieri motus rect⁹ naturalis. Probatur, motus rectus naturalis, aut eſt ſurſum, aut deorſum, ſeu à centro vel ad centrũ: atqui in dato omni ex parte vacuo nec daretur ſurſum, nec deorſum, nullúmque eſſet centrum, ergo non poſſet in eo fieri motus rectus naturalis.

Præterea quæcumque motu recto naturali feruntur, tamdiu agitantur, quamdiu reperiunt locum in quo conquieſcãt, atqui in dato omni ex parte vacuo nullus eſſet locus in quo mobilia motu recto naturali, ſiue per deſcenſum, ſiue per aſcenſum, quieſcerent, totum enim eſſet inane ſpatium: ergo ſemper motus fieret.

Eadem facilitate probatur in tali vacuo non poſſe fieri motum progreſſiuum animalium, ſiquidem cùm prærequirat aliquod fundamentum, vel corpus ſolidum, putà terrã aliú ue ſimile corpus in quo mobile conſiſtat, illud verò in vacuo omni ex parte nullum ſit, planum eſt motum illum ſupradictum animalium progreſſiuum fieri non poſſe.

*Secunda propoſitio.*

In vacuo omni ex parte poſſet fieri motus circularis alicuius orbis, v. g. ſupremæ ſphęrę, ſi quidem cum ſpontaneo quodam agitatu feratur, poſſet in gyrum circumflecti, etſi etiam omnia alia corpora ad nihilum redacta eſſent.

*Tertia propoſitio.*

In vacuo omni ex parte poſſet fieri motus violentus proiectorum.



Google

Probatur, poſſet Angelus per inane iaculum intorquere, & bombarda tormentario puluere igne admoto globũ ferri eum emittere, ergo motus violentus proiectorum in vacuo omni ex parte fieri poteſt.

Occurres, ergo iaculum eiuſmodi euibratum ab Angelo ſemper mouebitur, quia nihil vnquam reperiet in quo conquieſcat.

Reſpondeo id negando, vbi enim iaculum ad aliquam diſtantiam perductum fuerit, ſtatim amittet vim ſibi à proiiciente impreſſam, proindéque cùm ad nullam partem ex ſua naturali inclinatione tendere poſſit, quia totum ſpatium inane eſt, ſequetur ipſum quieturum.

Inſtabis, nullum corpus graue poteſt quieſcere alibi quàm in centro, & propterea diximus fore vt grauia ſemper agitarentur, ſi in dato omni ex parte vacuo mouerentur: ergo cùm iaculum vibratum ſit graue, numquam quieſcet, niſi in centro, quod nullum eſt in vacuo omni ex parte.

Reſpondeo ad antecedens, nullum corpus graue quieſcere niſi in centro ſi illud detur, poſſe tamen vi ſua alibi quieſcere, ſi nullum plane centrum fuerit: quando autem diximus futurum vt grauia in dato omni ex parte vacuo poſita perpetuò agitarentur, id ex hypotheſi quod naturaliter mouerentur, dictum fuit: & ideo diximus futurum eſſe vt ipſa numquam moueantur, ſed perpetuò quieſcant.

*Quarta propoſitio.*

IN vacuo ſecundum quid, & aliqua tantum ex parte motus progreſſiuus animalium, & rectus grauium & leuium fieri poſſet,

Probatur, ſi totus aër annihilaretur animal in terra exiſtens poſſet pedem mouere & progredi, itémque lapis in regione ignis detentus ad centrum deſcendere, ob innatam ſibi grauitatem, maximè cum plenitudo medii per quod fit motus, non requiratur ad motum, imò potius ipſum retardet, vt inde patet quòd tanto ſit velocior motus cæteris paribus, quanto ſubtilius eſt medium per quod fit motus, ergo, &c.

Obiicies: ſi corpus graue in vacuo poſitum poſſet moueri, poſſet illud ſpatium quod occupat naturaliter relinquere, ergo naturaliter daretur vacuum, quod ſupra negauimus.

Neganda eſt conſ. quòd enim moto illo corpore graui, ſpatium, quod occupabat, inane & vacuum relinquatur non eſt tribuendum virtuti naturali ipſius corporis quod mouetur ſed diuinæ potentiæ quæ ſpatij inanitatem induxit, impediuitque corporum inter ſe colligationem, ob quam vnum corpus ad occupandum ſpatium ab alio corpore derelictum potuiſſet accurrere.

Quod ſpectat ad alteram vacui affectionem, an motus qui in vacuo fieret eſſet inſtantaneus, vulgo pars affirmatiua tribuitur Ariſtoteli 4. *Phyſ.* cap. 8. vbi multa congerit; quibus probet futurum motũ inſtantaneum in vacuo.

Alii è contrario meliùs benegniuſque Ariſtotelẽ interpretãtes, aiunt ipſum non ex propria ſententia docuiſſe motũ corporis in vacuo fore momentaneum ſeu tanquam dogma, ſed id ex eorũ philoſophorũ cõtra quos agebat errore intuliſſe, tanquã abſurdum: cum enim illi ſuſtinerẽt omnẽ motus morã ex medii plenitudine & reſiſtentia proficiſci, & non ex diſtantia terminorũ, rectè intulit Ariſtoteles, in vacuo in quo nulla eſt reſiſtentia, motũ fore inſtantaneũ. Quicquid ſit de mẽte Ariſt. quã ſẽper debemus benignè exponere.

Digitized by Google

Veriſſima omnium ſententia noſtra eſt, motum illum qui in vacuo fieret, futurum neceſſariò ſucceſſiuum, non autem momentaneum.

Probatur, licet totus aër annihilaretur, ſi lapis à concauo Lunæ ad terram caderet, motus ille non poſſet eſſe inſtantaneus; alioquin in eodem inſtāti lapis eſſet in omnibus illis ſpatiis, quod non poteſt intelligi. Item ſi Angelus exiſtens in prædicto Lunæ concauo pilam tanta vi in terram proiiceret, vt inde altiſſimè reſiliret, ſimul ipſius pilæ fieret ad terram deſcenſus, & ad ſuperiora reſultus, ſi motus ille fieret in inſtanti, quod abſurdum eſt: ergo, &c.

Obiicies, quo maior medij reſiſtentia, eò tardior eſt motus: ergo quò minor erit, eò erit velocior motus: ergo ſi nulla ſit medij reſiſtentia, motus erit infinitæ volocitatis: atqui in vacuo nulla eſt medij reſiſtentia, vt conſtat: ergo in eo motus erit infinitæ velocitatis, & ſic in inſtanti abſoluetur.

Reſpondeo negando poſteriorem cōſeq. quamquam enim ex minori reſiſtentia medij fiat motus volocior; nō tamen infinitè velox erit ob omnino ſublatam medij reſiſtentiam: tum quia illa reſiſtentia infinita non eſt, & ſic infinitè non diminuitur; tum quia ab illa poſitiua medij reſiſtentia non omninò retardatur motus, ſed etiam à ſpatij magnitudine, & terminorum remotione, adeo vt quòd motus fiat in tempore, non ſe teneat tantùm ex parte medij reſiſtentis, ſed etiam ex parte diſtantiæ terminorum *à quo & ad quem*, quæ quidem diſtantia in inſtanti pertranſiri non poteſt.

Rurſus obiicies aliam rationem Ariſtotelis ſi motus, qui fit in vacuo, eſſet ſucceſſiuus, ſequeretur duo corpora inæqualis grauitatis poſſe æquali volocitate agitari: at hoc paradoxum eſt, ergo, &c. Probatur conſecutio maioris: tota ratio cur grauiora corpora facilius moueantur, eſt, quia facilius medium diuidunt, quàm leuiora corpora: atqui in vacuo omnia corpora æqualiter medium diuiderent, quia nullam in eo reſiſtentiam reperirent: ergo æqualiter mouerentur omnia corpora grauiora & minus grauia.

Reſpondeo negando conſeq. maioris; & ad eius probationem nego maiorem: adæquata enim ratio cur grauiora corpora celerius moueantur, non eſt tantum quòd medium faciliùs ſcindant, ſed etiam quòd ipſis virtus motrix maior inſit quia citius ad ſua loca feruntur.

# TRACTATVS TERTIVS DE TEMPORE AD QVINTVM librum Phyſicorum, vnica diſputatione contentus.

## SECTIO PRIMA.

*De nomine & varia acceptione Temporis.*

TEmpus interdum ita latè ſumitur, vt omnem durationē, non ſolùm illām quę communiter à Philoſophis dicitur tēpus, cōprehēdat, ſicut dicimus Angelos per longum tempus duraſſe, tametſi habeant aliam durationem, nimirum æuum, vt inferius docebimus. Aliquando verò & propriè ſumitur tempus pro illa ſpeciali duratione quæ in rebus ſucceſſiuis propria eſt, & à duratione in communi diſtinguitur, velut ſpecies à genere. Quod vt melius explicetur pauca de duratione in communi differendum eſt.



Digitized by Google

485



dum enim inquit centrum eſt omnino indiuiſibile & immobile, & tamen reſpondet toti circumferentiæ, omnibúſque eius partibus, abſque vlla ſui mutatione aut partium ſucceſſione, ita etiam diuina æternitas eſt aliquod punctum indiuiſibile omni tempori & ſingulis eius partibus totum correſpondens, ac, ſi vultis, coëxiſtens, immotúmque manens dat cuncta moueri.

Solet etiam ipſa diuina æternitas illuſtrari exemplo arboris in littore fluuij exiſtentis, quæ omnino immobilis manet, licet variæ identidem aquæ illam circumambiant & vndique præterlabantur, ad quas proinde aquas varios duntaxat rationis reſpectus acquirit, ſicut diuina æternitas omninò immota remanens variis mutationibus creaturarum correſpondet, & ad illas nouas tantum relationes rationis acquirit.

Obiicies contra hanc particulam *tota ſimul*, æternitati tribuuntur differentiæ temporis præſentis, præteriti & futuri Apocalypſ. 1. *Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt*: ad Hebræos 16. *Chriſtus heri & hodie & ipſe in ſecula*: igitur æternitas non eſt tota ſimul, ſed aliquam ſucceſſionem admittit.

Reſpondeo negando antecedens, ad citatas authoritates Scripturæ ſacræ dico illam hos loquendi modos per varias temporis differentias vſurpare, vt ſe magis ad noſtrum captum noſtrámque imbecillitatem accommodet, ſicut etiam cùm Deo os, labia attribuit, nec propriè vt verba ſonant, ſed figuratè, & metaphoricè allata teſtimonia eſſe accipienda.

Dicitur poſtremò perfecta poſſeſſio; quòd ſit menſura perfectionis aliarum rerum increata, & independens; in quo ab aliis penitus durationis ſpeciebus diſtinguitur, & etiam ab inſtantibus temporis & mutationis eſſe motus, quia licet illud totum ſuum eſſe ſimul habeant, illud tamen valdé exiguum eſt & diminutum, nec magis quàm momento manet. De æternitate plura petantur ex Theologis.

Æternitas participata eſt rerum ſupernaturalium ſuum eſſe ſimul habentium & natura ſua incorruptibilium, vt ſunt lumen glorię, viſio beatifica, & beatificus amor.

Dicitur æternitas eo quòd eius modum in eo imitetur, quòd ſcilicet ipſa habeat totum ſuum eſſe ſimul, nec mutationem vllam includat. Dicitur verò participata, quod à Deo manauerit, poſſitque per diuinam potentiam deſinere.

Modus æternitatis participatæ eſt duratio rei ſupernaturalis totum ſuum eſſe ſimul habentis, verùm defectibliis, & corruptioni ſubiectę, vt duratio donorum ſupernaturalium, fidei, ſpei & charitatis.

Dicitur modus æternitatis participatæ, & non ſimpliciter æternitas participata, quòd illam imitetur, ſitque rei ſupernaturalis, & quod totum ſuum eſſe ſimul habet, non tamen per ſe, & ex natura ſua incorruptibilis, ſed defectibilis.

Æuum etſi aliquando pro æternitate accipiatur, vt Eccleſiaſtici 4. *Nomen domini permanens in æuum*, id eſt in æternum. Item licet frequenter pro noſtro tempore ſumatur, vt cùm dicimus *Æuum velox traducere*, attamen propriè acceptum cum ab æternitate, tum à noſtro tempore diſtinguitur: ab æternitate, quod hæc ſit rei increatæ intrinſecè, & extrinſecè immutabilis, nec non tã ſubſtantialiter quàm accidentario incorruptibilis,

Digitized by Google

486

uiſibile omni tempori coëxiſtens, immutabiliter & independenter, & huius eſſe propria duratio erit æternitas, vel illud eſſe erit ab alio dependens, & hoc vel ſupernaturale vel naturale. Si ſupernaturale, vel natura ſua ſine carebit, vt viſio beatifica, amor beatificus, lumen & gloria, & huiuſmodi eſſe duratio erit æternitas participata, vel natura ſua poterit amitti, vt donum ſupernaturale, quod hominibus in via exiſtentibus confertur, & modū æternitatis participatæ pro ſua propria duratione participabit. Si verò illud eſſe fuerit naturale; vel ſine ex natura ſua carebit, vt Angelus & eius duratio erit æuum; vel poterit naturaliter interire, vt quodlibet corpus naturale, & durabit æuiternitate ſeu modo æui: quod ſi eſſe rei ſit in fluxu poſitum, aut fiet huiuſmodi fluxus cum interruptione, & talis eſſe duratio erit tempus diſcretum, aut fiet ſine vlla diſcretione, & dabitur tempus continuum.

## PARS TERTIA.

### *De diſtinctione durationis ab exiſtentia creaturarum.*

POſui creaturarum, quia de exiſtentia Dei non poteſt eſſe difficultas quin ſit idem realiter, & formaliter cum ſua durationis æternitate, quia ipſamet ęternitas Deus eſt realiter, & formaliter.

Quod igitur attinet ad difficultatem propoſitam, ſunt qui inter durationem & exiſtentiam creaturarū diſcrimen reale conſtituūt. Alij ex oppoſito ſolum diſcrimen rationis. Ita Ochamus, Gabriel & Suarez 2. tomo Metaphyſicæ diſp 50. ſect. 7. numero 5. & alij.

Longè tamen probabilior eſt noſtra opinio quæ eſt Richardi in ſecundum diſt 2. q. art. 1. Argentinatis eodem loco quæſtione pariter prima, & art. 1. & omnium ferè recentiorum, reuera durationem non eſſe realiter diſtinctam ab exiſtentia creaturæ, quia mutuò ſeparari non poſſunt, ita vt ſit duratio rei ſine eius exiſtentia, & res exiſtens ſine duratione, nec etiam ſola ratione, ſed formaliter & ex natura rei, quod poſterius hunc in modum.

Probamus, diſtinctæ definitiones eſſentiales arguunt diſtinctionem formalem & ex natura rei, ſecundum omnes Philoſophos, ſed diſtincta eſt definitio eſſentialis durationis à definitione exiſtentiæ. Illa enim includit permanentia, hæc non item, quia exiſtentia, vt exiſtentia, dicit tantum eſſe actu non autem permanere, ergo duratio & exiſtentia creaturæ formaliter & ex natura rei diſtinguuntur, non autem ſola ratione.

Obiicies, nihil plane aliud eſt exiſtere quàm durare, & rem eſſe breuis vel prolixæ durationis quàm eſſe breuis, vel prolixæ exiſtentiæ, ergo duratio & exiſtentia ex natura rei idem ſunt, & ſola ratione diſtinguuntur.

Negandum eſt antecedens, ſi quidem oſtenſum eſt durare aliud dicere, nimirum permanenter exiſtere. Tempus eſt vt vnde exorſa eſt, ſcilicet à tempore, ad tempus ſtatim redeat oratio.

## SECTIO SECVNDA.

### *De exiſtentia Temporis continui.*

TEmpus ludit qui tempus exiſtere probare meditatur, cùm enim tempus ſit duratio alicuius entis realis, ſcilicet motus, à qua velox vel tardus dicitur non poteſt non exiſtere, ſicut motus ipſe exiſtit.

Verùm obiicies (& eſt ſumma rationū omniū quas profert Ariſt. 4. Phyſ. cap. 10. contra temporis exiſtentiam) nulla pars temporis exiſtit, ergo nec ipſum tēpus. Conſequentia eſt manifeſta, Probatur antecedēs, partes tēporis

ſunt tantum præteritum, & futurum: præſens enim nullum eſt, ſed ſolum inſtans, ſeu momentum, quod eſt duntaxat copula, & non pars temporis: atqui præteritum tempus non amplius exiſtit, futurum nondum eſt, ergo nulla pars temporis exiſtit.

Reſpondeo, negatione antecedentis, ad cuius probationem dico dari tempus præſens, tanquam partem totius, non quòd illud in facto eſſe exiſtat, quia hoc eſt proprium rerum permanentium ſed quòd ſit in fieri, in quo eſſe rei ſucceſſiuæ, & fluêtis propoſitum eſt, illudque præſens tempus, quod in fieri intelligitur exiſtere, non ſolum inſtans aut momentum ſed totum illud ſpatium quod poſt inſtans fieri intelligitur.

Rurſus obiicies, ſi detur tempus continuum, de quo agimus, illud (ſicut quęuis magnitudo) erit in infinitas partes diuiſibile, ergo illæ non poterunt pertranſiri, quia infinitum pertranſiri nequit, ſicque numquam poterit effluere tempus.

Reſpondeo negando conſequentiam infinitæ enim illæ partes temporis ſũt tantum proportionales, ſimpliciterque finitam faciunt magnitudinem, ſicut linea ex infinitis partibus proportionalibus conflata, non dicitur tamen propterea in infinitam longitudinem excreſcere. Quare quemadmodum linea finita ſpecialiter, infinitis tamen partibus proportionalibus conſtans, non definit pertranſiri, ſic nec tempus aliquod finitum, verbi gratia hora deſinet pertranſiri, etſi infinitis partibus proportionalibus conſtet, maximè cùm tranſitus ille non fiat per minimas partes, ita vt poſt primam fiat ad ſecundam tranſitus, ſed per tempus præſens, in quo infinitæ partes eiuſmodi proportionales imbibuntur, & implicitè continentur.

## SECTIO TERTIA.

*De eſſentia temporis.*

NOtandum tempus poſſe ſumi primò pro ipſa reali duratione motus, quo ſenſu definitur, *Duratio ſucceſſiua, & continua motus*, ſicque conſtat eſſe aliquid reale, quia ſolis entibus realibus conuenit, non fictitiis, & chimericis, quippe quæ non niſi valde impropriè per tempus durare dici poſſunt,

Dicitur primò duratio. vbi notandum eſt durationem rei eſſe duplicem intrinſecam ſcilicet, & extrinſecam. Intrinſeca ea eſt quâ res formaliter durare, & in ſuo eſſe permanere dicitur. Extrinſeca verò duratio ea eſt, quâ res per extrinſecam tantum relationem ad rem aliam, aliquandiu durare dicitur, vt cum duo homines æquali tempore duraſſe perhibentur, eo quòd, vel eodem tempore nati, eundem ætatis ſuæ annum agunt, vel quòd per æquale ſpatium. v. g. quinquaginta annorum vitam traduxerunt, quanquam tamen non eadem extiterint tempeſtate.

Ceterùm cum tempus dicitur *Duratio motus*, id de duratione intrinſeca, quæ eſt eadem realiter cum rei exiſtentia, & ab ea ſolum formaliter, & ex natura rei diſtinguitur, intelligendum eſt, non verò de extrinſeca, quæ non eſt propria motus, ſed ab eius exiſtentia realiter differt, cum vna ſit multarum rerum, quatenus æquale temporis ſpatium confecerunt.

Dicitur ſecundò *motus*, ad diſtinctionem aliarum durationum.

Dicitur tertiò, *continua & ſucceſſiua*, quia vt motus ſucceſſiuus eſt & continuus, ſic poſtulat durationem pariter ſucceſſiuam & continuam, in quo diſtinguitur ab inſtanti, quod nullam ſuc-

Digitized by Google

ceſſionem, nullámque continuitatem requirit.

Secundo modo tempus ſumi poteſt pro illa artificiali duratione quæ per intellectum certis quibuſdam terminis circuncluditur, ad dimetiendas, explicandáſque motuum durationes, vt pro illa duratione motus primi mobilis, quatenus per intellectum diuiditur in varias partes, nempe in vigintiquatuor horas, ad dimetiendam cuiuſque motus durationem, ſeu explorandum quandiu durauerit.

Ex quo neceſſariò ſequitur tempus ſecundum aliquam rationem eſſe ens rationis; quatenus per intellectum diuiditur in varias partes, quas tanquam ſecretas cogitat intellectus, quæ tamen inter ſe cohærent, & eo modo definitur ab Ariſtotele 4. Phyſ. cap. 11. *numerus & menſura motus ſecundum prius & poſterius*: id eſt ſecundum partes priores & poſteriores.

Dicitur primò motus *numerus*, quia eo numeramus quanta fuerit motus duratio, vt v. g. cùm aſſerimus illum per viginti octo annos perſeueraſſe.

Dicitur ſecundò menſura, circa quam partem, *Notandum primò menſuram ex Ariſtotele* 10. *Metaph. cap. ſecundo & tertio* id omne vocari ex cuius cognitione ducimur in cognitionem alterius, vel quo vtimur ad propriam rei quantitatem explorandam.

Notandum ſecundò, menſuram eſſe duplicem alteram actiuam, qua alterius rei quantitatem colligimus, ac deprehendimus, vt vlna, ex cuius repetitione dignoſcimus quãta ſit rei magnitudo: alteram paſſiuam, cuius beneficio res habet quod menſurari poſſit, vt eſt quantitas & magnitudo pãni, ob quam fit vt poſſit menſurari.

Porrò cùm tempus dicitur menſura motus, ſi loquimur de duratione motus primi mobilis cum ipſo motu cõparata, menſura paſſiuè ſumenda eſt, vt ſit ſenſus, tẽpus eſſe durationẽ motus primi mobilis, ob quam habet vt menſurari poſſit per intellectũ, illius durationem per varias partes, varias ſcilicet horas dimetientem, & tunc proprium & internum tempus dicitur.

Si verò tempus accipiatur pro duratione motus eiuſdem primi mobilis, quatenus confertur cũ motibus aliorũ cœlorum, & rerum ſublunarium, tunc menſura actiuè accipienda eſt, vt dicatur menſura motus actiua, ſeu quæ metitur quantus quærit aliarũ rerũ motus etenim ſi quiſpiam velit deprehendere quanta mora in aliquo motu inſumpta ſit, ſtatim recurret ad durationem motus primi mobilis, & ſecundum illam quatenus per intellectum, in dies horas annos diuiditur, cõperiet, quãta illa fuerit, quantum motus durauerit, per quot horas dies, menſes & annos, & ſic tempus hoc reſpectu commune dicitur & extrinſecum, quia non eſt ipſa interna motus duratio. qui vel aliis cœlis fit, vel in ipſis rebus ſublunaribus peragitur.

Tertia particula allatæ definitionis eſt ſecundum prius & poſterius, ita vt partes motus non poſſint numerari, niſi ſecundum prius & poſterius.

Ex his ſequitur internum tempus eſſe reale, & proinde definiendum priori definitione, *Tempus eſt duratio ſucceſſiua motus*: externum verò quod aſſumitur ad motus aliarum rerum explorandos, eſſe ens rationis quatenus per dies, menſes, & annos diuiditur & ſic eſſe poſteriori definitione definiendum, *Tempus eſt numerus & menſura motus ſecundum prius & poſterius.*

## SECTIO QVARTA.

*De affectionibus Temporis*



Digitized by Google

ROgabis primò quonam pacto tempus à motu diſtinguatur. Priuſquã detur reſponſio.

Notandum eſt non eſſe quæſtionem de tempore extrinſeco, putà de duratione motus primi mobilis collata cũ aliarum rerum motibus, quia certum eſt ab illis realiter diſtingui, ſed quæſtionem tantum proponi de tempore interno cuiuſcumque motus, quonam pacto ab ipſo motu diſtinguatur.

Reſpondeo non diſtingui realiter (quia vt ſupra de duratione in communi argumentabamur) non poteſt eſſe motus ſine tempore, nec tempus internum ſine eo motu, cuius dicitur tẽpus, quod tamen eſſet neceſſarium ad diſtinctionem realem ex ſæpè dictis, nec etiam ſola ratione ſeparari, ſed verè formaliter, & ex natura rei, quia alia eſt definitio temporis, hæc nempe, *Tempus eſt duratio ſucceſſiua motus*: alia ipſius motus, iſta videlicet, *Motus eſt actus entis in potentia, quatenus in potentia*: quod ſufficit ad diſtinctionem formalem.

Obiicies primò, menſura & menſuratum debent realiter diſtingui: ſed tempus eſt menſura motus, ipſe verò motus id quod tempore menſuratur: ergo tempus & motus diſtinguuntur realiter.

Diſtinguo maiorem, menſuratum & menſura diſtinguuntur realiter; actiua concedo, paſſiua, nego. Minorem ſimiliter diſtinguo, tempus illud internum de quo agimus eſt menſura motus, paſſiua, verum, eſt, quia eſt id ratione cuius poteſt menſurari actiua verò quaſi ipſum motum menſuret, falſum eſt: & ſic concluſio neganda eſt.

Iterum obiicies ſemper tempus perſeuerat: motus verò ſaltem rerum ſublunarium non item, ergo tempus & motus diſtinguuntur realiter.

Reſpondeo diſtinguendo primam partem antecedentis, tempus ſemper durat, commune & extrinſecum, concedo, proprium & internum rerum ſublunarium, nego, quot enim motus in ſublunaribus fiunt, tot ſunt etiam admittenda tempora.

Rogabis ſecundò qua vnitate tempus ſit vnum. Reſpondeo vnitate ſpecifica: probóque, quia quodlibet tempus in hac ratione conuenit, quod ſit ſucceſſiua duratio, ſicut quilibet homo in eo quod ſit animal rationale.

Nec dicas tempus præteritum, præſens, & futurum eſſe ſpecies temporis: ſicque tempus tanquam genus multas ſub ſe ſpecies continere, ſi quidem præſens, præteritum & futurum non temporis ſpecies, ſed potius partes integrantes dici debent.

Rogabis tertiò an idem tempus redeat, vt docuiſſe videtur Ariſtoteles 4. Phyſ. 11. ſed huius quæſtionis ſolutio petenda & expectanda eſt ex dicendis de anima.

Rogabis poſtremò quo ſenſu tempus dicatur apud Ariſtotelem, 4. Phyſ. tex. 108. habere partim minimum, partim non habere.

Reſpondeo hunc eſſe ſenſum: tempus habet minimum, quatenus eſt numerus numeratus, in quo minimus datur, nempè binarius, vt cùm duos annos numeramus: non habet verò minimum, quatenus eſt continuum aliquod, & proinde in infinitas partes proportionales diuiſibile: ſed nunc tempus poſtulat, vt tempus abſoluamus, & ad motum moueamur.

Digitized by Google

488

## TRACTATVS POSTREMVS DE MOTV.

Ad reliquos Phyſicorum libros vnica diſputatione contentus.

### SECTIO PRIMA

*De nomine & varia motus acceptione.*

PER motum intelligimus tranſitum de non eſſe ad eſſe, quicumque ille ſit, vnde bifariam vſurpari poteſt, primò communiter, & ſic comprehendit motum per ſe, vt eſt calefactio in aqua quæ calefit, & motū per accidens, vt eſt deambulatio in medico; quia non vt medicus deambulat, ſed vt homo: ſecundò ſpecialiter pro ſolo motu per ſe.

Rurſus apud Ariſtotelem motus interdum in ampliſſima ſignificatione ſumitur, vt omnem motum ſucceſſiuū, & omnem mutationem inſtantaneam complectitur, & eo modo motum has in ſpecies diſtribuit in generationem quæ eſt à non eſſe ſubſtantiali ad eſſe ſubſtantiale; vt à non eſſe hominis ad eſſe hominis: corruptionem, quæ eſt tranſitus ab eſſe ſubſtantiali, ad non eſſe ſubſtantiale, vt ab eſſe hominis ad non eſſe hominis: alterationem, quæ eſt motus ad qualitatem, vt ad frigus: accretionem, quę eſt à minori quantitate ad maiorem: decretionem ex aduerſo à maiori ad minorem quantitatem: & lationem, id eſt motum localem, qui eſt ab vno loco ad alium.

Interdum verò expreſſus accipitur ab Ariſtotele motus pro ſolo ſucceſſiuo & continuo, & eo ſenſu, illum ad tria entium genera, reuocat ad quantitatem, qualitatem, & vbi

Ad quantitatem duo motus pertinēt, accretio nempe & decretio: ad qualitatem alteratio, ad vbi denique latio ſeu motus localis.

Quod verò ad tria tantùm illa entium genera, quantitatem, qualitatem, & vbi motus ſtrictè ſumptus pertineat, probat Ariſtoteles 5. Phyſ. cap. 2. motum ipſum à cæteris entium generibus remouendo, & primò quòd non ſit ad ſubſtantiam ex eo probat, quòd ſubſtantiæ nihil ſit contrarium, cùm tamē motus debeat eſſe à contrario in contrarium.

Sed hæc ratio (pace Ariſtotelis) nō efficaciter concludit. aliàs cùm in quātite non ſit propriè dicta contrarietas, ab ea pariter motus eſſet remouendus, quod ipſimet repugnat Ariſtoteli.

Melius igitur propoſitum hoc modo confirmatur: nulla ſubſtantia habet latitudinem, ergo non poteſt ſucceſſiuè & continuè acquiri: ergo ad eam non datur motus continuus, & ſucceſſiuus, ſed tantum mutatio inſtantanea.

Obiicies ex Ariſtotele 7. Phyſic. cap. 4. vna generatio eſt alia tardior: ergo generatio quæ omnium conſenſu eſt ad ſubſtantiam, habet aliquam ſucceſſionem, & continuitatem, nec eſt planè momentanea.

Reſpondeo ad antecedens, duobus modis generationem ſumi poſſe, primo ſtrictè & propriè pro ſola intro ductione formæ in materiam, quo ſenſu propugnamus eam eſſe inſtantaneam: ſecundò latius pro ipſa introductione formæ, & ipſis ſimul præuiis diſpoſitionibus ad formam, quo ſenſu aliquam temporis moram inſumit, vnaque ab Ariſtotele vocatur tardior, & alia velocior: quia nempe contingit interdum



Digitized by Google

vt longius ſpatium inſumatur in eiuſmodi diſpoſitionibus inducendis, interdum verò breuius.

Quod etiam nec ad relationem detur motus, probatur tum ex Ariſtotele, qui paſſim id docet, tum etiam quia relatio propriè non fit, ſed reſultat ex poſitione alterius, verbi gratia ſimilitudo ex poſitione albedinis in ſubiecto, putà in pariete.

Dices ſubiectum, verbi gratia parietem, realiter mutari per acceſſum relationis, putà ſimilitudinis, ergo ad relationem dari motum.

Neganda eſt conſeq. poteſt enim paries, verbi gratia, realiter mutari per ſimilitudinem non ad quam terminatur motus, ſed quę reſultauerit ex productione alterius, putà albedinis.

Non datur item ad actionem motus, quia actio prior eſt motu, & ab ipſo ſupponitur, non ad paſſionem: quia ſi ad paſſionem aliquis motus daretur, maximè ad illã quę fit ſucceſſiuè, quod tamen dici non poteſt, cùm paſſio ſucceſſiua ſit ipſemet motus, vt patebit infrà; motus autem non detur ad ſeipſum, nec ad quando quia illud tantum deſignat tempus quod non producitur per motum, ſed eſt duntaxat modus eius.

Denique non ad ſitum & habere datur motus, quia vtrumque, vtpote ſtare, & veſtitum eſſe, ſequitur motum localem, per quem corpus erigitur vt ſtet, & veſtis apponitur corpori quod ea induitur, ex quo remanet vt motus ad tria tantum ſupradicta entium genera, quantitatem, qualitatem & vbi, pertineat, modo ſuperius expoſito.

Obiicies primò, quantitas non producitur de nouo, quia eſt materiæ cógenita, vt alibi docuimus, ergo ad illam non datur motus.

Conceſſo antecedenti neg. eſt conſeq. vt enim detur ad quantatem motus non requiritur vt ſimpliciter ipſa producatur, ſed ſatis eſt quòd incipiat eſſe in ſubiecto alio in quo antea non erat, quod verè fit, quando conuerſa alimenti ſubſtantia in ſubſtantiam viuentis ad nouæ materię acceſſionem accedit & noua quantitas.

Secundò obiicies, ſi ad qualitatem daretur motus phyſicus, & continuus in ſingulis partibus motus ſinguli qualitatis producerentur, ergo cùm in motu continuo ſint infinitæ partes, infiniti producerentur qualitatis gradus.

Reſpondeo ad conſequentiam, infinitos tantùm qualitatis gradus proportiones produci per motum infinitis etiam partibus proportionalibus conſtantem non autem infinitos æquales, ſecundum magnitudinem ſed tantùm finitos, qui facilitatis cauſa à Medicis ad octonarium numerum rediguntur.

Poſtremò obiicies, verus motus eſt inter terminos contrarios: atqui motus localis non eſt eiuſmodi, quia eſt ab vno loco ad alium; nullus verò locus eſt alteri contrarius, ergo motus localis eſt verus motus, ergo ad locum, ſeu vbi, non datur motus.

Reſpondeo negatione maioris, tantum enim requiritur ad motum, vt eius termini ſint oppoſiti, ſiue propria, contrarietate, ſiue tantum impropria, quo poſteriori modo duo loca, inter quæ fit motus dici poſſunt oppoſita, in quantum vnus non poteſt eſſe alius.

## SECTIO SECVNDA.

*De Motus exiſtentia.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*An de facto detur motus.*

Digitized by Google

PLuſquam certum eſt dari motum in rerum natura,& tamen teſte Ariſtotele 6.Phyſ. cap. 9. eò inſaniæ & dementiæ prolapſus eſt Zeno, vt eius exiſtentiam omnino negauerit. Verùm eius authoritas parum mouet, impeditque ne cùm Ariſtotele cæteriſque Philoſophis, ſuffragante etiam experientia motum dari concludamus, & tãquam omni probatione clarius ſupponamus. Videamus an magis vrgeant non dicam rationes,ſed potius ſophiſmata, eiuſdem Zenonis contra motus exiſtentiam.

Obiicit itaque primò apud Ariſtotelem loco cit. Si admittatur motus,res quæ velociſſimè mouetur, mouebitur, & non mouebitur: at hoc nemo dixerit, nullus igitur datur motus. Probatur conſecutio maioris, ſi detur motus: ergo quando mobile erit in æquali ſpatio ſibi, quidquid enim mouetur in ſibi æquali ſpatio eſſe debet: ſed quando mobile eſt in ſpatio ſibi æquali,non mouetur, aliàs cum ſingulis momentis ſit in ſpatio ſibi æquali, per momenta moueretur, & ſic per momenta fieret motus, quod omnino abſurdum eſt: cùm motus, vt pote ſucceſſiuus, non poſſit aliter fieri quàm in tempore. Itaque ſi admittatur motus, res quæ concitaſſimo motu cietur, ſimul mouebitur & non mouebitur.

Neganda eſt conſecutio maioris, & ad eius probationem dicendum, licet quod mouetur vel quieſcit, ſit in ſpatio ſibi æquali, & mobile in ſingulis momentis in æquali ſibi & adæquato ſpatio exiſtat, attamen ab vno ſpatio æquali ſibi per momentum non poteſt tranſire ad aliud ſpatium ſibi ſimiliter æquale,ſed per tempus, in quo quidem tranſitu motus conſiſtit.

Secundò obiicit, ſi aliquis daretur motus, infinitum ſpatium, & infinitis conſtans partibus, finito tempore pertranſiretur: ſed hoc fieri nequit, ergo, &c.

Diſtinguo maiorem,per motum ſpatium infinitum & infinitis partibus conſtans finito tempore traiicetur: ſi infinitum, re ſyncategorematicum tantum, & infinitis partibus proportionalibus conſtans concedo: categorematicum, & infinitis partibus æqualibus ſecundum magnitudinem conflatum, nego.

Tertiò obiicit Achillem, ſiue quòd fortiſſimum arbitretur argumentum, ſiue quòd Achillem in exemplum afferat: ſi daretur motus velociſſimus, Achilles tardiſſimam teſtudinem fugientem curſu aſſequi non poſſet: at hoc abſurdum, ergo nullus datur motus. Probatur ſequela maioris, ponamus Achillem decies velociorem teſtudine: rurſus conſtituatur Achilles diſtans à teſtudine vno ſtadio, ſimúlque incipiant currere; dum Achilles ſtadium decurret teſtudo decimam partem conficiet, & ſic nondum erit comprehenſa: perſequitur Achilles,dũ decimã partem ſtadij à teſtudine confectã conſummauerit, teſtudo decimam illius decimę percurret: & ſic cùm infinitæ ſint partes in continuo, infinitè mouebitur Achilles, antequam fugientem teſtudinem aſſequatur; ergo ſi daretur motus velociſſimus, Achilles fugientem teſtudinem aſſequi nunquam poſſet.

Reſpondeo negando ſequelam maioris: ad probationem dico Achillem decuplo teſtudinem velociorem,& ab ea vno ſtadio diſtantem ipſam fugientem pertingere, quia non tranſcurret ſpatium in quo ſit motus per partes tantum proportionales, vt ſupponit argumentum, quo in caſu certum eſt

Achillem nunquam fugientem teſtudinem aſſecutum, ſed per partes æquales magnitudine, finitóque tempore duo ſtadia decurret, antequam teſtudo quartam vnius ſtadij portionem tranſmiſerit, ſicque illam non modò aſſequetur, verùm & prætergredietur.

Quartò obiicit Zeno, ſi detur motus, mobilia æqualis velocitatis inęquali tempore ſpatium ęquale conficient: at hoc videtur abſurdum, ergo, &c Conſecutio maioris oſtenditur: ponātur duo corpora mobilia æqualis quoque magnitudinis, nempe quatuor pedum, quæ moueantur in ſpatio eiuſdé magnitudinis, conſtituamus prætereà vnum mobile eſſe ſupra ſpatiū in quo fit motus, alterum infra eſſe poſitum, & mobilis ſupra poſiti primam partem reſpondere primæ parti ſpatij in quo fit motus, mobilis verò infra poſiti primam partem medietati ſpatij immobilis quod decurritur correſpondere, iam per dimidiam horam mobile ſupra ſpatium poſitum dimidium illius ſpatij conficiat, incipiendo ab ortu ad occaſum, túncque mobile infra ſpatiū conſtitutum ab Occidente in Orienté moueri incipiat, ſi per dimidiam horā alterum ſpatij immobile dimidium ſuperius decurrat, eodem temporis ſpatio mobile inferius traiiciet totam magnitudinem mobilis ſuperioris, quę tamen eſt æqualis magnitudini ſpatij immobilis quod decurritur: ergo dimidio horæ tantum ſpatij mobile inferius traiecit, quantum tota hora mobile ſuperius, æqualis licet velocitatis confecit.

Neganda eſt ſequela maioris: ad eius probationem dicendum in caſu illo præſuppoſito, quod duo mobilia æque velocia moueantur; vnum ab Oriente in occaſum, quod ſit ſupra ſpatiū in quo fit motus, & incipiat moueri dimidia hora ante aliud, alterum ab occaſu ad ortum dimidia hora poſt mobile ſuperius, dicendum inquam licet in fine motus qui per dimidiam horam abſoluitur, ipſa duo mobilia ſibi omnino correſpondeant, ſeſéque verſus nullam partem extendant, attamen mobile inferius ſuo horæ dimidio non confeciſſe tantum ſpatij quātum integra hora traiecit mobile ſuperius, vt ex eo patet, quod mobile inferius dimidium tantùm tranſmiſerit, à medietate exordiendo ad extremitatem orientalem mobile verò ſuperius totum ſpatium traiecerit incipiendo ab vna extremitate ad aliam.

Denique non à Zenone, ſed ab aliis obiicitur: ſi detur motus, verbi gratia à non albo ad album, aut mobile erit in termino à quo tantum, & hoc non, quia nondum incipit motus, nec vllo pacto mobile album eſt, aut in termino ad quem, & hoc non, quia non eſt amplius motus, mobile enim ſimpliciter album eſt, igitur nullus datur motus.

Reſpondeo negando conſecutioné antecedentis, motus enim propriè datur quando mobile eſt partim in termino à quo, partem in termino ad qué, ſeu terminum à quo, verbi gratia non album, ſucceſſiuè deſerit, & tranſit ad terminum ad quem, verbi gratia ad album.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*Quotuplex ſit Motus, ſeu de diuiſionibus Motus.*

Prima diuiſio motus colligitur ex ſupradictis in motum ad quantitatem, ſub quo continentur accretio, & decretio, motum ad qualitatem, & eſt alteratio, & motum ad vbi, ſeu locum, & eſt latio, ſeu motus localis De

accretione

Digitized by Google

accretione & decretione hic non agimus, ſed poſtea in libris de anima. De alteratione quoque agendum erit in libris de generatione, & corruptione: quare ſupereſt tantum vt de motu locali diſſeramus, eiúſque diuiſiones ſubiungamus.

Prima eſt in motũ naturalem, violentum, & medium. Naturalis eſt ille qui proficiſcitur ab interno mobilis principio ſecundum naturalem illius inclinationem, vt motus ignis ſurſum, & lapidis deorſum.

Violentus verò motus eſt ille qui ex aliquo extrinſecò principio, & contra naturalem mobilis inclinationem oritur, vt deſcenſus ignis, & aſcenſus lapidis.

Motus denique medius dicitur qui partim naturalis eſt, & partim violentus, vt motus lapidis deorſum magno impetu protruſi: naturalis enim eſt ille motus lapidi, quatenus eſt deorſum; violentus verò, quatenus manat ab impetu impreſſo.

Motus violenti variæ ſunt ſpecies, quas recenſet Ariſtoteles 3. Phyſ. cap. 2. text. 10. *pulſus, tractus, vectio, volutatio*.

Pulſus eſt quando mouens aliquid per vim à ſe, vel ab alio propellit, vt ſi quis lapidem longè à ſe proijceret. Tractus è contrà dicitur quando mouens aliquid ad ſe, vel aliud trahit, vt cibum ad os. Vectio dicitur, quando aliquid cum alio cum quo coniungitur, vehitur, vt cum lapis baculo ferreo affixus ad eius motum deuehitur. Volutatio denique dicitur cùm aliquid in gyrum agitur, vt rota.

Secunda diuiſio eſt in motum rectum, & reflexum: rectum, vt cum pila in parietem proiicitur: reflexum vt cùm eadem pila à pariete ad locum vnde fuerat egreſſa, regreditur.

Tertia eſt in motum velocem, & tardũ velox dicitur qui ſuum ſpatium breuiori tempore conficit, ſicut è contrario tardus, qui prolixiori tempore ſpatium traiicit.

Poſtremo eſt in motum regularem, & irregularem. Regularis, qui & æqualis dicitur, eſt ille qui æquali ſemper velocitate conficitur: ſicut ex aduerſo, irregularis, ſeu inæqualis dicitur, qui in vna ſui parte velocior eſt, quàm in alia.

Cæterùm nonnullæ difficultates circa varios eiuſmodi motus exoriuntur, quas facilitatis gratia ſequentibus articulis expendemus.

## ARTICVLVS PRIMVS.

*De motu naturali & violento aliiſque eò pertinentibus.*

### MEMBRVM PRIMVM.

*De motu naturali.*

QVid ſit motus naturalis, ex ſuperioribus liquet; is ſcilicet qui ab interno principio proficiſcitur.

Conſtat præterea ex dictis de natura, omnem motum ratione materiæ eſſe naturalẽ: vnica hic tantum remanet difficultas de motu naturali grauium & leuium, ſiue animatorum, ſiue inanimatorum, à quónam ille oriatur, an à propria ipſorum forma, an verò à generante.

Prima ſententia eſt D. Thomæ, 1. parte q. 18. art. 1. Caietani ibidem, & aliorum grauia & leuia, cùm ſua naturaliter loca petunt, non à ſuis formis ſubſtantialibus; ſed à generante moueri, verbi gratia, cùm ignis ſurſum fertur eum non moueri à propria forma ſed ab ipſo igne à quo genitus eſt.

Oppoſita ſententia eſt Ariſtotelis aſſerentis grauia & leuia animata à propriis formis moueri, non item inanimata, ſed à ſuis generantibus.

Probabilior omnino noſtra eſt ſen-

tentia, corpora grauia, & leuia tam animata, quam inanimata, dum ſua naturalia loca petunt, non à generante, ſed ab ipſis eorum formis ſubſtantialibus, tanquam cauſis præcipuis, & grauitate, vel leuitate tanquam inſtrumentariis moueri.

De animatis nulla eſt contentio, cùm ſponte moueantur in quâcumque volunt partem. De inanimatis probatur: Motus grauium & leuium inanimatorum quando ad ſua propria loca tendunt eſt illis peculiari iure naturalis, & diſtinctus à motu violento quo contra ſuam naturalem inclinationem ad aliena loca compelluntur: ergo motus ille debet eſſe ab aliquo interno principio non à materia, quia etiam motus violentus reſpectu materiæ eſt naturalis: ergo à forma inſtructa ſuis qualitatibus motricibus, grauitate ſcilicet & leuitate.

Rurſus quòd non à generante moueatur, & conſequenter à propria forma, hoc modo euincitur; remoto generante, imo illo amplius non exiſtente mouentur grauia, & leuia inanimata, vt videre eſt in pomo quod ob innatam grauitatem naturaliter deorſũ defertur, etſi valde remotum ſit ab ea arbore, àqua ortum eſt, vel ipſa arbor iam omnino ſit emòrtua: ergo ſignum eſt non moueri à generante.

Denique ſi à generante diceretur fieri grauium & leuium motus, maximé quia ab ipſo virtutem motiuam acceperunt, ſed hæc ratio nulla eſt: nam cùm grauia etiam animata à ſuis progenitoribus virtutem motricem accipiant, ab ipſis, non à propriis formis dicerentur moueri, quod tamen non vult admittere Ariſtoteles.

Obiicies, primo moueri à ſe, & à propria forma conuenit tantùm rebus animatis, & quæ ſponte mouentur, ac quieſcunt, ergo non poteſt grauibus & leuibus competere.

Negandum eſt antecedens, quælibet enim res naturalis dicitur ferri naturaliter in locum proprium, atque à Deo habere internum principium talis motus, nempe formam.

Rurſus obiicies: in corporibus grauibus & leuibus inanimatis, vt pote homogeneis, pars mouens non poteſt à mota diſtingui, cùm ſint omnes eiuſdem rationis, ergo à ſeipſis moueri non poſſunt.

Reſpondeo negando antecedens, pars enim mouens eſt forma, materia verò mota: conſtat autem formam à materia eſſe diſtinctam.

## MEMBRVM SECVNDVM

*De motu violento.*

Ex dictis conſtat quid ſit motus violentus, ille, ſcilicet qui ab extrinſeco impellente proficiſcitur, vt aſcenſus lapidis in altum proiecti, & deſcenſus ignis deorſum protruſi.

Peculiaris eſt difficultas à quonam ille motus violentus proiectorum ſit, an à corpore illo quod à tergo inſtat, & vrget, an vero ab aliquo impetu à proiiciente impreſſo; verbi gratia cùm lapis ſurſum fertur magna vi proiectus, an motus ille ſit ab aëre qui à tergo lapidem ad motum impellit, an verò ab aliquo impetu lapidi à proiiciente impreſſo.

D. Thomas tertio de cælo ad text. 25 cum Simplicio ad text. 28. 8. Phyſ. & Auerroë ibidem, arbitratus eſt motum proiectorum à nulla virtute impreſſa fieri, ſed à medio corpore, ita vt ille, verbi g. qui iaculum, vel aliud ſimile corpus contorſit, priorem aërem cõmoueat qui colliſus alium rurſus

concitet, & hic alium continenti ſerie, donec viribus deficientibus aër alium non propellat, & ideo deſinat eſſe motus.

Contraria ſententia Scaligeri exercitatione 28. Toleti ad cap. 78. phyſ. noſtráque longè facilior & veriſimilior eſt, quamuis medium corpus à tergo vrgens motum proiectorum aliquantulum poſſit promouere, attamen veram & adæquatam rationem talis motus eſſe impetum à proiiciente impreſſum.

Fauet experientia, nam videmus tormentarios globos tanto impetu per aërem emitti, vt mœnia & vrbes aliquando demoliantur, quod ab aëre, vt pote leuiori à tergo inſtante oriri nemo credet, ergo ſequitur id ab impetu impreſſo neceſſariò prouenire. Secundò oſtendimus agendo de vacuo, fieri poſſe, vt in dato diuina virtute vacuo, Angelus, vel aliquis alius telū aliquod contorqueret, a quo motus ille non eſſet ab vrgente à tergo corpore, cùm nullum eſſet, igitur aliunde promanaret, nempe ab impetu impreſſo.

Obiicies primò, ſi eiuſmodi impetus proiectis corporibus impreſſus admittatur, tanquam cauſa motus eorum: cùm ille impetus ſit maior ſtatim in principio, quam poſt initium; ſequeretur ipſum proiectorum motum ſtatim in principio velociorem eſſe, quàm poſt initium; atqui hoc eſt contra omnium ferè ſententiam qui arbitrantur motum proiectorum in ipſo principio ſegniorem eſſe, quàm paulò poſt initiū vt etiam vſu eorum intelligitur qui bellicis inſtrumentis præſunt: hi enim curant ea in certa diſtantia collocari vt mœnia fortius excutiant, ergo motus ille non procedit ab impulſu.

Reſpondeo (quicquid ſit de minori, quæ non ita videtur certa) negando conſecutionem maioris: quòd enim paulo poſt initium velocior ſit motus quàm ſtatim initio, ratio eſt, quia multæ excitantur aëris partes, rem proiectam motum de facto promouentes non quòd non oriatur ille motus, & in principio, & in fine ab impulſu illo impreſſo.

Obiicies ſecundò, impulſus ille à proiiciente impreſſus, ſimul debebit eſſe leuitas, quatenus ſurſum vehet, & grauitas quatenus deorſum impellet, quod intelligi non poteſt: ergo non datur ille impulſus tanquam cauſa, cur proiecta moueantur.

Reſpondeo negando antecedens, impulſus enim ille à proiiciente impreſſus, nec propriè eſt leuitas, nec propriè grauitas, quatenus ſurſum, vel deorſum impellit, ſed indifferenter ſe habet, vt rē proiectam quoquouerſum rapiat, pro vt regitur à proiiciente.

Rogabis quid ſit qualitas illa, & vis impulſiua corpori impreſſa.

Reſpondeo eſſe qualitatem primæ ſpeciei, ſcilicet diſpoſitionem, quæ ſe habet tanquam principium motus, leuitérque mobile afficit, in quo à naturali facultate ſecernitur, quæ ſubiecto firmiter inhæret, vt in Loco dictum eſt.

Obiicies, qualitas illa non poteſt produci: nam ſi produceretur, maximè per motum localem; cùm tamen Ariſt. 8. Phyſ. cap. 2. aſſerat per motum localem nihil produci niſi vbi, ergo fictitia eſt illa qualitas.

Reſpondeo negatione antecedentis, ad cuius probationem dico ex Ariſtot. nihil per motum localem produci præter vbi, primò & per ſe, poſſe tamē aliquid ſecundariò produci: quo modo ſuſtinemus hāc qualitatē impulſiuam corpori proiecto impreſſam produci per motum localem proiectionis.

Inſtabis, ſi producatur hæc quali-

tas in corpore proiecto, in eo perpetuò manebit, ſed hoc eſt abſurdum, ergo, &c. Probatur maior, hæc qualitas nequit corrumpi, aut enim à contrario corrumpetur: at non apparet quòd illi ſit contrarium, cùm benè coniungatur cum grauitate, & leuitate, quæ tamen illi tantum poſſent videri cōtrariæ: aut abſentia proiicientis, à quo in conſeruari dependeret, & hoc non abſente enim proiiciente, imo ſtatim illo deſtructo poteſt adhuc impulſus proiecto impreſſus remanere, & motum ipſius proiecti efficere; aut propter medii reſiſtentiam, & hoc etiam non, alias cùm in vacuo nulla ſit medij reſiſtentia, & in eo poſſit fieri proiectorum motus impulſuſq; imprimi, impulſus eiuſmodi numquam deſineret, ergo ſi produceretur ille impulſus in proiecto corpore, in eo perpetuò perſeueraret.

Reſpondeo negando maiorem, ad eius confirmationem reſpōdet Suárez 1. tom. Met. diſp. 2. ſect. 2. num. 21. qualitatem illam impulſiuam proiecto corpori impreſſam à proiiciente ad modum contrariarum qualitatum, ſeu quæ actione contrarii corrumpuntur deſinere, nempe ex repugnantia corporis cui imprimitur, quod ipſi qualitati pro viribus obnititur

## ARTICVLVS SECVNDVS.

### *De motu veloci, & tardo.*

NOn quid ſit motus velox, & tardus inquirimus, hoc enim ſuprà expoſuimus: ſed vnde naſcatur illa velocitas, vel tarditas, in motu.

Reſpondeo ex triplici capite oriri, ex mouente; quod quia validus eſt, eò cæteris paribus vegetiorem motum efficit: ex mobili, quod quò ponderoſius aut leuius eſt, eò concitatius, vel ad centrum ad ſuperiores partes conuertitur: vel ex medii quod quò rarius eſt vel denſius, eò magis vel minus motum retardat, vt iam inſinuauimus.

Inquirimus ſecundò cauſam propter quam grauia & leuia velocius in fine motus moueantur, quàm in principio, vel medio; rem enim ita ſe habere experientia comprobauit: ſi enim lapis, verbi gratia ex alto loco decidat, vehementius eum lędit, quē offēdit in centro, quàm eum læderet qui ei initio motus occurreret, vtique quia concitatior, & vegetior, eſt motus ille in fine, quàm in principio.

Dicunt aliqui cauſam cur grauia & leuia moueantur celerius in fine quā in principio eſſe, quod inter mouendum nouam grauitatem, & leuitatem acquirant, vel propriam corroborent.

Verùm hoc nulla ratione ſtabilitur, quia dici non poteſt quónam pacto acquiratur hæc grauitas, vel leuitas, & quo pacto corroboretur. Qua propter probabilius ſentiunt qui hanc cauſam aſſignant, cur grauia & leuia in fine motus concitatius ferantur, quàm in principio, vel medio, quod ſcilicet mobile aërem percurrat, ſicque alium impellat, & ſic magis medium per quod fit motus attenuetur, quo fit vt minus impediat, atque ita negatiuè ſaltem eum velociorem efficiat. Item quod poſtquam mobile aliquod ſpatiū deſeruit, corpus circunſtans ad fugam vacui accurrat, mobiléque aliqua ratione impellat, quo fit, vt poſitiuè ad maiorem illius velocitatem concurrere exiſtimetur.

Tertiò inquirimus cur animalia citius in medio moueantur, quàm in principio, & fine motus.

Reſpōdeo causā eſſe quod in principio motus ſtupida adhuc fiant eorum animalium membra, nondumque exercitatione incaluerint, & ſpiritus per neruos, & muſculos ( qui ſunt

Digitized by Google

inſtrumenta motus) non ſint adhuc diffuſi, ſicut poſtquam ſe ad aliquod ſpatium per motum exercuerũt:in fine verò ipſe animalium motus lenteſcit, quia continuo agitatu exhauriuntur ſpiritus, ipsáque membra, veluti flacceſcunt, & debilitantur, ita vt vix motum ferre poſſint.

## ARTICVLVS TERTIVS.

### De Motu directo & reflexo.

NOn inquirimus quod ſit motus directus, & quod reflexus, ſed id ex ſuperioribus ſupponimus: vt aperiatur qua de re ſit agendum.

Notandum eſt motus reflexionem quatuor modis contingere poſſe: Primò, quando vterque motus directus & reflexus eſt naturalis, vt patet in accretione, & decretione viuentium, quarum illa eſt motus directus, hæc verò reflexus. Secundò, quando vtérque motus directus & reflexus, è contrario eſt violentus, vt cùm pila in aliquod corpus durum proiicitur, & ab eo repercuſſa reſiliit. Tertiò, quando motus directus eſt naturalis, reflexus verò violentus, vt cùm pila deorſum decidit, & ibi corpus durum offendens in altum reflectitur. Quartò & poſtremò, cùm motus directus eſt violentus, reflexus verò naturalis, vt cum impetu impreſſo lapis ſurſum mittitur, & poſtea naturaliter ad terram regreditur. Hoc poſito,

Quæſtio eſt vtrum in his omnibus motibus quies intercipiatur in puncto reflexionis, ſeu vbi debet reflexio incipere: pro cuius quæſtionis explicatione ſit,

*Prima propoſitio.*

QVando vtérque motus eſt naturalis, potes quidem intercipi quies in puncto reflexionis, non eſt tamen neceſſe. Probatur prior pars exemplis, quia accretio & decretio ſunt motus naturales, accretio directus, decretio reflexus, vt inter accretioné & decretioné admittatur alis qui ſtatus quietis, & conſiſtentiæ, in quo viuens nec augeatur, nec minuatur: item quia progreſſio & regreſſio animalium ſunt motus naturales, poteſt fieri, vt inter vtrùmque motum intercipiatur quies, & animal, poſtquam ad aliquem locum progreſſum eſt, aliquandiu conquieſcat, antequam regrediatur, igitur quãdo vtérque motus eſt naturalis, fieri poteſt vt aliqua intercipiatur quies in puncto reflexionis.

Altera verò pars ſimiliter exemplo comprobatur, fieri poteſt vt animal quod ad aliquam diſtantiam progreſſiuum eſt, ſtatim abſque vlla interpoſita mora & quiete regrediatur: ergo nulla quies tunc intercipietur inter progreſſum, & regreſſum animalium, qui tamen motus ambo ſunt naturales.

*Secunda propoſitio.*

QVando vtérque motus directus, & reflexus eſt violentus, poteſt quidem intercipi quies in puncto reflexionis, non eſt tamen neceſſe.

Prior pars probatur, fieri enim poteſt vt lapis aliquis violenter in altum proiiciatur, & ibi offendat aliquod corpus molle, à quo tamen pariter violenter repercutiatur, & reſiliat: in eo autem caſu dabitur quies in puncto reflexionis, quia partes corporis mollis retundentur antequam fiat reflexio, ergo, &c.

Poſterior verò pars quoque oſtenditur, pila ferrea proiiciatur in parietem ferreum, proculdubio futurum eſt, vt illa pila ferrea, nulla interpoſita mora, & quiete reſiliat, ergo non intercipietur quies in puncto huius reflexionis.

Confirmatur: ſi quotieſcúmque du-



Digitized by Google

rum aliquod corpus aliud ſimiliter durum offendit, in puncto reflexionis daretur quies, quando lapis aliquis in altum proiiceretur, poſſet in medio aëre ingens ſaxum è Lunæ concauo in terram decidens ſiſtere, illúdque aliquantulum remorari: illo ſcilicet tempore quo ante reflexionem quieſceret, nec ad terram deſcenderet: ergo non eſt neceſſe, vt quies intercipiatur in puncto reflexionis, quando vterque motus eſt violentus.

*Tertia propoſitio.*

QVando motus rectus eſt violentus, ſi fiat in vacuo, nulla intercipietur quies in puncto reflexionis. Probatur, proiiciatur lapis ſurſum, ille tandiu mouebitur in altum, quandiu impulſus, ipſi impreſſus ingenitæ grauitati præponderabit, impulſus autem ille continua remiſſione debilitatus, tandē ad æqualitatem ſeu æquilibrium cum grauitate perueniat, ſtatim poſt illud æquilibrij inſtans impulſus impreſſus incipiet eſſe minor, grauitatis lapidis, ipſéque proinde lapis deorſum reuertetur, maximè cùm nulla ſit medij reſiſtentia quæ motum retardet: igitur nullum erit tempus in quo lapis quieſcat ante punctum reflexionis.

*Poſtrema propoſitio.*

SI motus directus violentus fiat per ſpatium plenū, probabilius eſt quietem intercipi in puncto reflexionis.

Probatur, lapis in altum mittatur, poſtquam ad aliquam diſtantiam perductus fuerit, incipiet ferè eſſe æqualitas impulſus & grauitatis, parúmque impulſus præponderabit grauitati, & tunc non conferet lapidem ſurſum, quia grauitatis vnita cum reſiſtentia medij, illi poterit reſiſtere, nec item cùm ad æquilibriū ventum fuerit fortiori ratione; nec denique quando incipiet immediatè poſt inſtans æquilibrij grauitas impulſum impreſſum ſuperare, quia tunc impulſus ille coniunctus cum reſiſtententia medij, quæ eſt tam in aſcenſu quàm deſcenſu, ipſum deſcenſum & reflexionem impediet; igitur toto illo tempore lapis quieſcet, quo impulſus minus ſuperabit grauitatem, vt reſiſtente medio ſurſum aſcendat, & illo quo tam modicè grauitas impulſum vincet, vt tamē ille impulſus vnitus cum reſiſtente & repugnante medio deorſum impediat deſcenſum ipſius lapidis; ergo verè intercipietur mora, & quies in puncto reflexionis.

## ARTICVLVS QVARTVS.

*De Motu regulari, & irregulari.*

PRæterea quæ de motu regulari, & irregulari ſuperiùs diximus, hoc vnum addendum eſt, ea quæ irregulariter mouentur eſſe in triplici differentia, alia tardius in principio, & fine quàm in medio mouentur; vt proiecta, alia citius in fine, quàm in principio, vt grauia, & leuia naturalia: alia denique citius in medio, quàm in principio, & fine, vt animalia, quorum omnium cauſas ſuprà tradidimus.

# QVÆSTIO TERTIA.

*De ortu & interitu motus, ſeu quomodo incipiat & deſinat, vbi ex occaſione.*

*De inceptione & deſitione cuiuſque rei diſputatur.*

NOtandum primò res quæ incipere & deſinere poſſunt, eſſe in duplici differentia: quaſdam permanentes, vt ſunt homo, leo, calor: alias ſucceſſiuas, vt tempus, & motus.

Notandum ſecundò rerum permanentium alias habere ſuum eſſe in in-

Digitized by Google

ſtanti, & illud in inſtanti amittere, idque dupliciter, vel ſine expulſione cōtrarij, quo modo ſe habent materia prima, & Angeli, quibus per creationem in momento eſſe conceſſum eſt, & à quibus per ſolam annihilationem inſtantaneam auelli poteſt; ſiue cum expulſione contraria, quomodo in inſtāti generationis anima rationalis inducitur in materiam organizatam expulſa prius forma ſubſtantiali embrionis: aliàs verò quę ſuum eſſe non niſi per motum & tēpus acquirunt, vel admittunt, vt quantitas quę per motum accretionis ſucceſſiuè acquiritur, & per motum decretionis amittitur; itémque nonnullæ finalitates, quæ non niſi ſucceſſiuè in formam inducuntur, vt calor in aquam, per ſucceſſiuam calefactionem.

Notandum tertiò duobus modis rem aliquam poſſe incipere & deſinere, primo poſitiuè, & intrinſecè, ſecundò negatiuè & extrinſecè.

Res dicitur poſitiuè, & intrinſecè incipere, ac deſinere, quando incipit per primum inſtans ſui eſſe, & per vltimum ſui eſſe deſinit.

Incipere autem dicitur per primum ſui eſſe aliquid, quando poteſt aſſignari inſtans, in quo liceat affirmare, nunc res eſt, & immediatè ante non erat: ſicut deſinere per vltimum ſui eſſe creditur, quando aſſignatur inſtans in quo licet dicere, nunc res eſt, & immediatè poſt non erit, & ideo poſitiuus dicitur ille inceptionis & deſitionis modus, quod rem in illo inſtanti ponat incipere, & deſinere.

Dicitur verò res negatiuè & extrinſecè incipere, ac deſinere, quando incipit per vltimum inſtans ſui non eſſe, ſeu per aliud inſtans in quo verum eſt dicere, nunc res non eſt, & immediatè poſt erit, & per primum non eſſe ſui deſinere, per illud ſcilicet inſtans in quo poſſumus dicere, *Nunc res non eſt, & immediatè antè erat*: & hic modus inceptionis & deſitionis idcirco negatiuus dicitur, quòd rem in tali inſtanti eſſe neget. His omnibus notatis ſit.

*Prima propoſitio.*

QVælibet res ſiue natura ſua inſtantaneæ, ſiue permanentes, quæ habent ſuum eſſe in inſtanti, vel ſiue expulſione contrarij, vel cum expulſione contrarij illúdque in inſtāti pariter amittunt; hæ inquam res poſitiuè per primum ſui eſſe incipiunt, & per vltimū deſinunt.

Probatur, res dicitur poſitiuè, & intrinſecè per primum ſui eſſe incipere, & per vltimum deſinere, quando poteſt aſſignari inſtans aliquod in quo liceat dicere: *Nunc res eſt, & immediatè ante non erat*; vel *nunc res eſt, & immediatè poſt non erit*: Atqui ita ſe res habeat in ſupradictis rebus quæ vel omninò momentaneæ ſunt; vel ſi permaneant, momento ſuum eſſe acquirunt, momētóque deperdunt, quia cùm multum tempus præceſſerit in quo extiterint, pro illo inſtanti in quo primo concipiuntur exiſtere, verum eſt aſſerere, nunc, id eſt, hoc in inſtanti exiſtunt, & immediatè antè non erant. Item cùm res illæ momento pereant, verum eſt dicere, in hoc inſtanti ſunt, & immediatè poſt non erunt, &c.

Obiicies, introducatur forma in inſtanti, ſi ea quæ expellitur deſineret per vltimum ſui eſſe adueniens, non inciperet per primum ſui eſſe, quod eſt contra prædicta. Probatur conſecutio, ſi forma quæ corrūpitur, verbi gratia, forma ligni deſinat per vltimum ſui eſſe, & ſubſequens, nempè forma ignis, per primum ſui eſſe incipiat, vel vltimum eſſe formæ ligni erit primum

eſſe formæ ignis, & hoc non; aliàs ſimul in eodẽ inſtanti eſſent forma ligni, & forma ignis, quod dici non poteſt, vel poſt vltimum eſſe formæ ligni, quod eſt inſtans, in quo licet dicere forma ligni eſt, & immediatè pôſt nõ erit: ſequetur primum eſſe formæ ignis, quod eſt inſtans in quo verum eſt dicere, nunc eſt forma ignis, & immediatè antè non erat, & hoc non, quia ſequeretur duo inſtantia ſibi eſſe immediata, quod nullus admittit: vel denique inter vltimum eſſe formæ ligni aliquod ſpatium temporis interiicietur, & hoc minus poteſt admitti, quia hinc ſequeretur illo interiecto tempore inter vltimum eſſe formæ ligni, & primum eſſe formæ ignis, materiam eſſe abſque vlla ſubſtantiali forma quod naturaliter euenire non poteſt, ergo, &c.

Reſpondeo negando conſecutionẽ, & ad eius confirmationem dico, reuera poſt inſtans illud in quo intrinſecè forma ligni per vltimum ſui eſſe deſinit, immediatè ſequi inſtans in quo forma ignis poſitiuè per primum ſui eſſe incipit, nec id eſſe abſurdum & cõtra ſententiam Philoſophorum: quando enim dicunt duo inſtantia non eſſe ſibi immediata, loquuntur de inſtantibus temporis continui, non verò de inſtantibus diſcretis, qualia ſunt illa, in quorum vno deſinit forma ligni, & altero forma ignis incipit: nam quod hæc inſtantia non ſint temporis continui, ex eo patet, quod duratio eiuſmodi formarum quæ producuntur non ſit tempus continuum ſed modus æui, ſeu æuiternitas, vt diximus agendo de tempore.

*Secunda propoſitio.*

Res omnes ſucceſſiuæ, vt tempus, & motus, ſicut etiam permanentes, quæ ſucceſſiuè, & per motum acquiruntur, vt calor, quatenus continua, & ſucceſſiua calefactione acquiritur; quantitas, quatenus ſucceſſiua accretione accedit, &c. id genus, non intrinſecè *per primum ſui eſſe, & vltimum eſſe*, incipiunt ac deſinunt, ſed extrinſecè tantùm incipiunt *vltimum non eſſe*, & eodem modo deſinunt *per primum non eſſe*.

Probatur, quotieſcumque non poteſt aſſignari inſtans in quo verè dici poſſit, *Res eſt & immediatè antè non erat*, vel *immediatè poſt non erit*: tunc res illa non dicitur intrinſecè incipere per primum ſui eſſe, & deſinere per vltimum eſſe, ſed tantùm extrinſecè per vltimũ non eſſe incipit, & extrinſecè deſinit per primum non eſſe: atqui non poteſt aſſignari aliquod inſtans in quo liceat de rebus ſucceſſiuis, & permanentibus ſucceſſiuè acquiſitis affirmare: in hoc inſtanti ſunt, & immediatè antè non erant, quia non poſſunt eſſe in inſtanti. Item, cùm non deſinant in inſtanti, poſt quodlibet inſtans aſſignatum adhuc exiſtunt, & nullum ſui eſſe vltimũ inſtans recipiunt, ergo, &c.

Obiicies, ſi motus incipiat extrinſecè, per vltimum non eſſe, ſeu per illud inſtans in quo verum eſt dicere, nunc non eſt motus, ſed immediatè poſt erit: ergo in illo inſtanti erit quies, quod eſt contra Ariſtotelem 6. phyſ. cap. 3. ergo, &c.

Neganda eſt conſequentia: cùm enim quies eodem modo incipiat, ac deſinat quo motus, nempe extrinſecè per vltimum non eſſe, & primum non eſſe, illud inſtans quod erit vltimum non eſſe motus, erit primum non eſſe quietis: in quo proinde nec dicitur eſſe quies nec motus, & non mirum, cùm quies & motus non in inſtanti, ſed, in tempore eſſe debeant.

Obiicies ſecundò, infundatur anima

rationalis

Digitized by Google

rationalis fœtui quem gerit mulier in vtero deambulans, ſtatim atque erit infuſa illa anima ad motum mulieris incipiet moueri, ergo motus ille incipiet in inſtanti & poſitiué per primum ſui eſſe: igitur motus poteſt poſitiué incipere per primum ſui eſſe.

Reſpondeo ad antecedens, animam rationalem recenter infuſam fœtui quem gerit mulier grauida deambulans, eodem inſtanti quo creatur non moueri, ſed in tempore immediaté ſequenti, cùm motus in inſtanti eſſe non poſſit, vt poſteà probabimus, nec propterea fuit interruptus mulieris motus: quia vt diceretur interrumpi deberet aliquo tempore deſiſtere, quod non fuit neceſſarium.

## QVÆSTIO QVARTA.

*De cauſa efficiente motus, ſcilicet mouente.*

### ARTICVLVS PRIMVS.

*An in omni motu mouens requiratur.*

ALiter alij proponunt, an quicquid mouetur, ab alio moueatur: Intellige de motu reali & phyſico corporũ, de quo affirmatiué reſpondet Ariſt. 7. Metaph. cap. 10. magiſque explicabimus, ſi quædam notatu digna præmiſerimus.

Notandum itáque primò ea quæ mouentur, eſſe in duplici differentia: alia per ſe moueri, ſiue naturaliter, vt lapis deorſum, ſiue violenter vt idem lapis ſurſum: alia moueri tantùm per accidens, idque bifariam: primò ab eo qui cauſam per ſe applicauit, quo modo manus ab igne calefacta dicitur fuiſſe ab homine calefacta, qui ignem applicauit: ſecundò ab eo qui dedit virtutem cauſæ per quam egit, quo pacto manus ab aqua calida calefacta, dicitur ab igne calefacta; quia ignis aquæ calorem communicauit, per quem manus calefacta eſt.

Notandum ſecundò duplicem eſſe ſenſum huius propoſitionis: *quicquid mouetur, ab alio mouetur*: aut enim intelligitur moueri ab alio realiter & ſuppoſito diſtincto, quo pacto omnia à Deo moueri dicuntur: aut intelligitur ab alio moueri, ſed ſuppoſito minimé diſtincto, & quod cum mobili coniungitur. His notatis, ſit.

*Prima propoſitio.*

QVicquid mouetur, ab aliqua ratione mouetur, ſiue illud aliud ſit ſuppoſitum diſtinctum, ſiue non, ſed cum mobili coniunctum, & hũc ſolùm ſenſum intendit Ariſtoteles, quando hoc generale effatum habet loco prædicto, quicquid mouetur ab alio mouetur.

Probatur, nam imprimis quælibet res naturalis quæ mouetur. à Deo, ſeu primo motore, mouetur; oſtendimus enim ſuprà, Deum ad quamcumque actionem & motum creaturarum debere concurrere. Deinde inductione facta per omnia mobilia propoſitio euidenter demonſtratur, aut enim per ſe naturali motu mouentur, vt lapis deorſum, & ignis ſurſum: & in his datur aliquid quod moueatur, nempé materia, & aliquid à quo moueatur actiué & efficienter, ſcilicet forma ſubſtantialis ſuis facultatibus inſtructa vt iam docuimus, aut mouentur violenter, vt proiecta, & in his clarius apparet illud à quo moueantur, nempe proiiciens, vel potius virtus à proiiciente impreſſa, vel denique mouentur per accidens, vt aqua ab homine ignem admouente, & in his clariſſimé conſpicitur à quo moueantur, nempé ab homine, ergo, &c.

Nõnulli difficultatem peculiarem de motu cordis inſtituunt, à quónam ſit: ſed ego non video difficultatem, quia pariter ab anima principaliter, & à



Digitized by Google

virtute motrice inſtrumentaliter fit ille cordis motus.

*Secunda propoſitio.*

QVæ per accidens mouentur: ab alio realiter & ſuppoſito diſtinĉto mouentur, vt patet exemplis propoſitis de manu, quatenus dicitur calefieri ab homine ignem admouente & ab igne aquam calefaciente, quæ poſtea à calefieri dicitur.

*Tertia propoſitio.*

QVæ naturaliter, aut per virtutem impreſſam mouentur, non dicuntur moueri ab alio realiter & ſuppoſito diſtinĉto, id eſt diſiunĉto.

Probatur: quæ mouentur naturaliter à propria forma mouentur; & quæ per virtutem impreſſam, vt proieĉta, ab ipſa virtute impreſſa agirantur; ergo non mouentur ab alio realiter, & ſuppoſito diſtinĉto, ſeu ſeparato & non vnito: cùm forma ſit vnita cum re quam mouet, & virtus impreſſa cum re proieĉta.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*Vtrum mouens debeat neceſſariò cum mobili coniungi vt motum efficiat.*

SEnſus eſt, an mouens debeat mobile immediaté attingere: qui vt pateat.

Notandum eſt rem aliquam poſſe aliam immediatè atttingere duobus modis; primo immediatione ſuppoſiti, quando ipſamet ſuppoſita ſe tangunt, vt cùm ignis in manum ſibi immediatè appoſitam aĉtionem ſuam exerit: ſecundò immediatione virtutis quando res intermedia aliqua virtute quam tranſmittit aliam atringit, quo modo ignis dicitur manum diſtantem calefacere, ſcilicet tranſmiſſione caloris per inrermedia corpora.

Hoc poſito prætermiſſis variis opinionibus quę nullius ſunt momenti, breuiter concludimus mouens cum mobili debere immediatè coniungi, ſiue immediatione ſuppoſiti, ſiue immediatione virtutis: Expreſſa eſt Ariſtotelis ſententia 1. Meteoror. cap. 2. qui idcircò tantùm vult mundum hũc inferiorem contiguum eſſe ſupernis lationibus, ſeu corporibus, vt ſcilicet ipſa ſuperna corpora influxus ſuos per intermedia corpora ad nos vſque tráſmittant.

Accedit ratio: nulla res poteſt alicubi operari vbi nullo paĉto eſt, neque ſecundum ſubſtantiam, neque ſecundum virtutem: ergo vbi operatur, & mouet, ibi eſſe debet, vel ſecundùm ſubſtantiam, vel ſecundùm virtutem, & conſequenter mouens cum mobili coniungatur immediatè, vel immediatione virtutis, vel ſuppoſiti, neceſſum eſt.

Obiicies: poteſt aliquid agere in diſtans non agendo in propinquum: ergo mouens, ſeu quod agit, poteſt nó eſſe coniunĉtum cum mobili immediatè, ſiue immediatione virtutis, ſiue ſuppoſiti. Probatur antecedens multis exemplis, & primo exemplo lebetis, cuius fundus tepidus eſt aqua in ipſo ebulliente. Sécundò pomi charta inuoluti, quod inter calidos cineres cócoquitur, illęſa remanente charta. Tertiò quorumdam animalium quę vidétur ſine medio in rem diſtantem ſuum influxum tranſmittere, vt Remoræ (animal ſic à Latinis diĉtũ, quòd prætereũtes naues retineat & remoretur;) lupi cuius conſpeĉtus raucedinem inducit; torpedinis, quæ manum piſcatoris ita ſtupefacit, vt ipſe retia laxare cogatur baſiliſci ſerpentis, qui ſolo intuitu homines interimit.

Probatur quarto exemplo Soli qui calefacit terram, nec tamen interieĉtos cælos, nec elementa alia calefacit:

Digitized by Google

495

Probatur quinto exemplo magnetis à longè ferrum occulta virtute attrahentis: probatur ſexto exemplo faſcinantium, qui diſtantibus animalibus ſæpiſſimè nocent.

Denique probatur exemplo phantaſiæ, quæ in capite reſidens, & nihil in intermediis partibus operans, agit tamen in appetitum, qui vt concupiſcibilis in iecore ſedem habet, vt iraſcibilis in corde: ex his igitur omnibus exemplis conſtat aliquid poſſe agere in diſtans, licet non agat in propinquum.

Reſpondeo negatione antecedentis ad primam eius confirmationem dico non ideò fundum lebetis efferueſcente aqua eſſe tepidum, quod ignis per illum non tranſmittat virtutem ſuam, ſed quia vbi primum tranſmiſſa eſt egreditur, & pergit ad aquam quæ maiori conatu obſiſtit: item quòd partes aquæ frigidiores, vt potè craſſiores, cùm ignis incipit aſcendere, & aquam inuadere deſcendant ad imum, & ſeſe in poros fundi, inducant, illumque à nimio calore præſeruent.

Ad ſecundam reſpondeo non ideo chartam in qua pomum inuoluitur nō comburi ab igne, quòd in illam ignis actionem ſuam non tranſmittat: ſed quia nequit illa comburere niſi prius exſiccetur, non poteſt autem exſiccari, ex eo quòd à pomo continuò humectetur.

Ad tertiam probationem reſpondeo & quidem ad primum exemplum, Remoram non agere immediatè in naues quas detinet, & remoratur, ſed primò in propinquiora corpora ſuam virtutē retentricem, nobis tamen occultam, ac deliteſcentem tranſmittere, donec ad naues perueniat, illúcque progreſſa nauigiorum impulſum quo nauium motus efficitur, hebetet & extinguat.

Ad alia exempla, lupi, torpedinis, baſiliſci ſerpentis, dico hæc omnia animalia in corpora interiecta ſuas nociuas qualitates immittere, ſuos tamen effectus non ſortiri, ſicut in hominibus, quia vt homines non habent requiſitas conditiones,

Ad quartam reſpondeo reuera Solem immittere virtutem ſuam per omnia corpora inter ipſum, & terram interiecta, illa tamen non calefacere, quia calor non oritur ex ſole, niſi per refractionem ac reflexionem radiorum, quæ ſolùm fit quando ipſi radij ſolidū corpus terræ feriunt,

Ad quintam de magnete reſpondeo ferrum ad ſe allicere per impreſſionē alicuius qualitatis alteratiuæ in ipſo ferro qualitatem aliquam loco motricem generantis, per quam ad magnetem corripitur; ita D. Thomas in 7. phyſ. text. 10, lect. 3. Et hinc potiſſimum intelligitur quòd magnes non trahat ferrum à quacumque diſtantia, proindéque ab ea in qua poſſit ſupradictam qualitatem alteratiuam in ferrum tranſmittere, idque prius in viciniores partes, quàm remotiores, & magis diſtantes transeundo.

Porró circa hanc de magnete materiam aliquis non immeritò rogabit vndénam oritur vt acus magnetis attritu attemperata Septentrioni ſeſe ſemper obuertat, vt videmus in minutis ſolaribus, quibus ad ſolem meridionalē cōuerſis horas deprehēdimus, tum etiam in pyxide nauigatoria.

Aliqui cauſā huiuſmodi cōuerſionis in ſeptētrionales plagas referūt in certos quoſdā mōtes in parte illa ſeptentrionali ſitos, qui in omnē partē attractoriā quādā qualitatē trāſfundūt qua excitatus magnes ad eā partē ſe cōuertit, quaſi ei ſe appropinquare nitatur.

Sed hoc non ſatis videtur firmum,



Digitized by Google

tum quia imprimis gratis confinguntur eiuſmodi montes; tum etiam quia licet illi eſſent, non tamen apparet quomodo atractiuam illam qualitatē intantum terræ mariſque diſtantiam transmittere poſſent.

Rectiùs igitur ſentiunt qui hanc conuerſionem acus ad plagam ſeptentrionalem inter naturæ arcana reponunt, quæ nos natura mirari voluit, ſcire noluit, niſi certè per quaſdam coniecturas.

Quantum igitur coniecturæ poſſunt, exiſtimo non modò illis cœli partibus quæ arctico ſeu ſeptentrionali polo vicinæ ſunt, ſed etiam illis quæ ſunt antarctico proximæ, ineſſe aliquam, occultam tamen, conſenſionem, & ſympathiam cum magnete, vt eum ad ſe per aliquam qualitatem attractiuam alliciat, ad id etiam conducente latēte illa magnetis virtute, quæ eum ad talem partem conuertit: quod multi non tantùm de polo arctico, ſed etiā de antarctico aſſerunt, ſi illi magnes propinquior eſſet.

Ad ſextam probationem de faſcinatione reſpondeo illam fieri per emiſſionem alicuius nociuæ, & venenoſæ qualitatis, quæ per intermedia corpora tranſmiſſa, illa prius inficit & vitiat mox longius progreſſa eos quos offendit, lædit præſertum pueros, & tenellos infantulos, quibus ob corporis imbecillitatem hoc faſcinum facilius adhæreſcit.

Ad poſtremam quæ eſt de phantaſia appetitum mouente, prætermiſſis variis & diſſentientibus opinionibus, reſpondeo vt phantaſia dicatur mouere immediatè appetitum, ſatis eſſe quod in eadem anima radicetur, quæ vbi aliquid per phantaſiam apprehendit, in illud fertur per appetitum, quia ipſa anima eſt quę propriè agit; phantaſia autem & appetitus, inſtrumenta quibus agit.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De primo mouente ſeu motore.*

QVæſtio eſt an detur primus motor qui ita cuncta mouet, vt à nullo moueatur. Communis ſententia Phyloſophorum & Theologorum affirmat ne progreſſus detur infinitus in cauſis efficientibus & mouentibus, vnáque ſemper ab alia moueatur.

Quæruntur præterea qualitates ipſius primi motoris, an ſit liber, immutabilis, ſimplex, immenſus & ſimiles ſed commodius in fine Metaph. vbi de Deo agemus, vel in ipſo Theologiæ Compendio.

## QVÆSTIO QVINTA.

*De Mobili.*

QVæſtio eſt quale debeat eſſe mobile, an poſſit eſſe indiuiſibile, ſeu quod idem eſt, an indiuiſibile manens indiuiſibile, vt punctum, vel Angelus ad pūctū cōtractus poſſit per ſe moueri continué motu locali. Expreſſe poſui per ſe, per accidens enim non eſt dubium quin indiuiſibile, verbi gratia punctum poſſit moueri: nam ſi eſſet baculo affixum, commoueretur.

Poſui etiam locali motu, quia mihi videtur certum motu alterationis poſſe indiuiſibile per ſe moueri, ſi enim aliquod pūctum verbi gratia in ignem conijceretur, haud dubiè incaleſceret & combureretur. Certum etiam eſt non moueri motu accretionis, quia de ſe eſt incapax augmēti. Itaque an indiuiſibile manens indiuiſibile per ſe localiter moueri poſſit controuerſia eſt. Partem affirmantem tuentur Scotiſtæ poſt ſuum Scotum in ſecundūm diſt. 2. q 4. & hæc pars mihi aliquando non diſplicuit. Nunc verò re diligentius

Digitized by Google

496

ponderata, magis placet contraria quæ defenditur ab Ariſtotele 6. Phyſ. cap. 10. D. Thoma 1. part. qu. 55. art. 1. & plurimis aliis, indiuiſibile manens indiuiſibile non poſſe moueri continuè.

Probatur hæc ſententia rationibus Ariſtotelis loco citato. Prima: quicquid mouetur debet eſſe partim in termino à quo, & partim in termino ad quem; ſed indiuiſibile manens indiuiſibile, nõ poteſt eſſe partim in termino à quo, & partim in termino ad quem, deberet enim pluribus partibus cõſtare, quarũ vna eſſet in termino à quo, altera in termino ad quem. ergo indiuiſibile, nõ poteſt moueri continuè.

Probatur maior, quando id quod mouetur eſt totum in termino à quo, nondum eſt motus, quando item totũ eſt in termino ad quem, omnino abſolutus eſt motus, & non eſt amplius, ergo quando mouetur, debet eſſe partim in termino á quo, & partim in termino ad quem.

Secunda ratio hunc in modum formatur: Indiuiſibile manens indiuiſibile non poteſt percurrere niſi indiuiſibilia; ergo continuè moueri non poteſt. Conſequentia clara eſt; ſi enim ex decurſu indiuiſibilium continuus motus oriretur, ſpatium continuum, & quantum conficeretur tranſcurſu indiuiſibilium, & ſic indiuiſibilibus conſtaret, quod ſuprà impugnauimus. Antecedens verò ſic oſtenditur, mobile ea tantùm percurrit quæ ipſi ſunt adæquata: atqui indiuiſibili non niſi indiuiſibilia adæquata eſſe poſſũt, vt clarũ eſt: ergo indiuiſibile, vt ſic, ſeu quatenus manet indiuiſibile, non poteſt percurrere niſi indiuiſibilia. Nec valet quod dicunt indiuiſibile dum mouetur adæquari ſpatio maiori ſe, & diuiſibili; hoc enim ſuperius refutauimus agendo de quantitate: ſicut & illud quod addunt corpus perfectè pyramidale poſſe continuè & localiter moueri ſupra perfectè planum.

Præterea obiiciunt, puncto magna quædam grauitas, vel leuitas ineſſe poteſt, ergo per illam, vel deorſum, vel ſurſum ferri poterit. Antecedens patet: grauitas, & leuitas non conſiſtunt in extenſione: ſed in intenſione graduum: ergo, puncto ineſſe poterunt.

Reſpondeo ad antecedens, grauitatem illam & leuitatem in puncto, ſi quæ ſit, eſſe perexiguam, nec ſufficere, vt punctum, vel ſurſum, vel deorſum feratur, etſi enim ambæ illæ qualitates conſiſtant ſolùm in intenſione graduũ, attamen vt maneant in ſubiecto requirunt in eo aliquam extenſionem, cùm ſemper ſint materiales. Adde quòd licet puncto ineſſet grauitas, vel leuitas, non ſequeretur tamen fore motum quia aliæ conditiones non adeſſent, putà magnitudo, & extenſio in mobili.

## SECTIO TERTIA.

### *De eſſentia motus.*

## QVÆSTIO PRIMA.

### *De eius definitione.*

ANtequam propria motus definitio tradatur nonnulla ſunt neceſſariò præſupponenda. Primum motum eſſe ens reale, tum quia exiſtit citra mentis operam, vtraque definitione, & non ficitia explicatur, vt videbitur ſtatim; tum quia per illum ens reale producitur, verbi gratia, calor per calefactionem.

Supponendum ſecundò quatuor potiſſimum in motu reperiri, actionem, paſſionem, formam fluentem, ſeu ſucceſſiué tranſeuntem, & ipſum eius fluxum: ſic in motu calefactionis primò



Digitized by Google

cõſiderari poteſt id quod exit ab igne, & eſt actio: ſecundò id quod in ligno recipitur, & eſt paſſio: tertiò calor ipſe qui continuè, & ſucceſſiuè in ligno producitur, & eſt forma fluens: quartò denique ipſe fluxus, & tranſitus ſucceſſiuus, ob quem calor ipſe dicitur ſucceſſiuè fluere, & produci.

Supponendum tertio motum non conſiſtere eſſentialiter in actione, quia definitur actus mobilis, ſeu patientis, vt ſtatim apparebit, non autem agentis, nec in forma producitur, quia motus eſt id per quod forma producitur, ad illámque terminatur: nec denique influxu & tranſitu formæ quæ producitur, quia motus eſſentialiter eſt formæ productiuus, fluxus verò ſucceſſiuus non item, ſed eſt tantùm modus quem motus obtinet, quatenus in mobili ſucceſſiuè & tranſeunter recipitur.

Vnde relinquitur vt cũ ſubtili Suare 2. tomo Met. diſp. 46. ſect. 2. numero 4. & ſequentibus concludamus motũ propriè ſumptum eſſe paſſionem ſucceſſiuam. Probatur, mutatio generatim eſt paſſio: quia ſicut paſſio dicitur actus mobilis per quem formam aliquam acquirit, & realiter mutatur, ita & mutatio: ergo ſpeciatim mutatio ſucceſſiua, qualis eſt motus, erit paſſio ſucceſſiua.

Inferes, ergo motus pertinet ad genus paſſionis contra doctrinam in Logica traditam. Reſponderi poteſt primò motum à categoria excluſum ſumi pro fluxu, non item motum illum de quo agimus, & quem dicimus eſſe paſſionem ſucceſſiuam.

Præterea & rectius, fatendum eſt etiã motum pro paſſione ſucceſſiuè ſumptũ non pertinere propriè ad genus paſſionis, ſub quo paſſiones tantùm inſtãtaneæ cõtinentur, non autem ſucceſſiuæ, vt potè incompletæ & imperfectæ.

His præſuppoſitis, non vnica tantùm ſed triplex inuenitur apud Ariſtotelem motus definitio. Prima habetur 3. lib Phyſ. cap. 2. text. 6 Motus eſt actus eius quod poteſtate eſt, quatenus tale eſt ſeu *motus eſt actus entis in potentia, quatenus in potentia.* Secunda habetur eodem capite verſus finem: *motus eſt actus eius quod vim habet vt moueatur, quatenus eam vim habet*: ſeu *motus eſt actus mobilis, quatenus mobile eſt.* Tertia traditur cap. 3. eiuſdem libri: *motus eſt actus eius quod agere vel pati aptum eſt, quatenus tale eſt.*

Hæc poſtrema definitio non eſt ad propoſitum, quia non exprimit motũ, vt propriè & formaliter ſumitur pro paſſione ſucceſſiua, ſed materialiter quatenus actionem, & paſſionem complectitur. Duę priores accommodatæ ſunt, eandémque penitus vim habent, nam quod in prima vocauit Ariſtoteles ens in potentia, illud in ſecunda mobile appellauit, vnde perinde eſt ſiue dicas motum eſſe actum entis in potentia, quatenus in potentia, ſiue mobilis, quatenus mobile eſt: quare ſatis erit ad explorandam motus eſſentiam ſingulas primę definitionis partes quo ordine occurrunt expendere.

Dicitur primò actus, ſeu ἐντελέχεια, ab Ariſtotele, quæ particula, vt explicetur, notandum eſt ſecundum Ariſtotelem duplicem actum conſtitui poſſe, vnum perfectum, qualis eſt anima, quæ etiam ab Ariſtotele definitur actus corporis organici: alium imperfectum qui, eſt imperfecta quædam acquiſitio, ſeu habitio alicuius formæ, quæ fluit & ſucceſſiuè inducitur, ita ſumendus eſt actus, quando motui attribuitur ex communi conſenſu omnium Ariſtotelis interpretum.

Dicitur ſecundò entis in potentia, ſeu mobilis, quod eſt in potentia ad

Digitized by Google

formā aliquam vltèriorem obtinendā, vt ligni, quatenus exiſtit in poteſtate ad vlteriorē calorem continuè, & ſucceſſiuè acquirendū, in quo diſtinguitur à mutatione inſtantanea.

Denique adiungitur quatenus in potentia, id eſt, quatenus adhuc manet in potentia ad talem formam acquirendam: vnde definitionis hic ſenſus breuiter colligitur: *Motus eſt actus quidam imperfectus, ſeu acquiſitio formæ in ſubiecto exiſtente in potentia ad eam viciſſim & per partes acquirendam, quatenus adhuc eſt in illa poteſtate: ſeu quatenus vlteriores ipſius formæ partes continuè & ſucceſſiuè acquirit.*

Obiicies hanc definitionem non conuenire decretioni & remiſſioni, quia non ſunt acquiſitiones, ſed potius amiſſiones formarum: ergo non conuenire omni motui, ſicque non eſſe legitimam.

Diſtinguo conſequentiam, aſſignata motus definitio non cōuenit omni motui; poſitiuo ſimul & negatiuo, concedo; poſitiuo, nego. Nam decretio & remiſſio non poſitiui, ſed negatiui tantùm ſunt motus.

Obiicies prætereà, eam definitionem conuenire motibus Angelicis; actibus ſcilicet intellectus, & voluntatis, quia ſunt actus entis in potentia, ergo non conuenire ſoli motui phyſico, quem hic intendit definire Ariſtoteles.

Negandum eſt antecedens, motus enim phyſicus, hîc ab Ariſtotele definitus, debet eſſe actus entis, id eſt corporis naturalis, nam ita accipiendum eſt nomen *entis*: quod de motibus Angelicis, actibus ſcilicet intellectus, & voluntatis dici nequit.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*Vtrum ſucceſſio, & continuitas ad eſſentiam motus propriè dicti pertineat.*

*Prima propoſitio.*

SVcceſſio eſt de eſſentia motus. Probatur illud eſt de eſſentia motus, per quod eſſentialiter diſtinguitur à ceteris rebus, quæ motus non ſunt: idem enim eſt principium eſſentiale conſtitutionis & diſtinctionis: atqui motus propriè dictus eſſentialiter diſtinguitur à cæteris rebus, nēpe mutationibus iſtantaneis, per ſucceſſionē, ergo, &c.

Confirmatur ex ipſa motus definitione, motus debet eſſe actus in potētia, quatenus in potentia, id eſt quatenus vnam partem acquirit poſt aliam, atqui hoc non poteſt intelligi ſine ſucceſſione, ergo motus concipi non poteſt ſine ſucceſſione, & conſequenter ſucceſſio ad illius eſſentiam pertinet.

Obiicies, duratio motus non eſt de eius eſſentia: ſed à motu ex natura rei ſeiungitur, vt ex dictis de tempore intelligitur: atqui ſucceſſio eſt duratio motus, ergo, &c.

Reſpondeo ad maiorem, præter ſucceſſionem temporis, quæ non eſt de motus eſſentia, aliā dari ipſi motui eſſentialem, à qua manat, vt tempus dicatur ſucceſſiuum, cùm duratio aut ſucceſſiua, aut permanens dicatur, prout res cuius eſt duratio, vel ex ſe ſucceſſiua eſt, vel permanens.

*Secunda propoſitio.*

COntinuitas eſt etiam de eſſentia motus, ita Ariſtoteles 3. Phyſ. cap. 1. vbi habet motum eſſe de genere cōtinuorum: fauet ratio: illud eſt de eſſentia motus, ſine quo motus eſſentia integra & perfecta nequit intelligi, ſed ſine continuitate non poteſt intelligi integra & perfecta motus eſſentia, ergo, &c. Maior eſt in conceſſo, minor oſtenditur, ablatâ ſiue per intellectum, ſiue aliter continuitate à motu fluet ſucceſſiuè, ſine continuitate: ergo illius partes non

Digitized by Google

erunt coniunctæ communi termino, proindeque erunt diſcretæ; ergo motus iam non erit motus, ſed erunt infinitæ mutationes, quæ per diſcreta temporis inſtantia fient: ergo, &c.

Confirmatur, quod continua duratione menſuratur, debet quoque eſſe eſſentialiter continuum, duratio enim ſequitur conditionem rei durantis, ex ſupradictis, atqui motus continuâ temporis duratione menſuratur, vt etiam dictum eſt: ergo debet eſſe eſſentialiter continuus.

Conimbricenſes in cap 2. lib. 3. phyſ. q. 2. art. 3 contra hanc propoſitionem primò obiiciunt, motus eſt acquiſitio formæ: ſed formæ acquiſitio non eſt eſſentialiter continuitas, ergo motus non eſt eſſentialiter continuitas.

Reſpondeo conceſſione totius argumenti, non enim dicimus motum eſſentialiter eſſe continuitatem, ſed illã eſſentialiter includere, quæ duo diſtincta ſunt, ſicut aliud eſt dicere hominem includere eſſentialiter animam rationalem, & aliud dicere hominem eſse eſsentialiter animam rationalem.

Secundò obiiciunt, continuum debet eſse completum, ſed motus non eſt ens completum, ergo, &c.

Diſtinguo maiorem, continuum debet eſse completum; permanens, concedo; ſucceſſiuum, cuiuſmodi eſt motus, nego.

## SECTIO POSTREMA.

*De affectionibus motus.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*De terminis Motus.*

### ARTICVLVS PRIMVS.

*An, & quot dentur in omni motu termini.*

Terminus communiter dicitur id quo res finitur & concluditur, quo modo extremitates baculi eius termini appellantur. Illos autem in omni motu dari docet expreſsé Ariſtoteles 3. Phyſ. cap. 1. & 6. eiuſdem operis cap. 3. faciléque demonſtratur, cùm enim motus ſit tranſitus ab vno ad aliud, v. g. accretio à minori, ad maiorem quãtitatem, debent neceſsariò dari illi duo termini, *à quo*, & *ad quem*. An ſoli, quæſtio eſt, ſed facili diſtinctione ſoluitur: duo illi termini à quo & ad quẽ duntaxat neceſsarij ſunt totales, multi tamen partiales inueniuntur: ſic quãdo motus fit à frigido ad calidum, frigus eſt terminus à quo totalis, & calor totalis terminus ad quem: multi tamen gradus, vel frigoris, vel caloris ſunt multi termini partiales, ſiue à quibus, ſiue ad quos.

Occurres hos duos terminos à quo, & ad quem in circulari cæli motu non reperiri, cùm ab eodem termino egrediatur, & ad eundẽ regrediatur, propter quod probabile eſt Ariſtotelem ſub finem 6. Phyſ. dixiſſe circularem cœli motum eſse infinitum, ſeu finibus carentem.

Reſpondeo reuerà in circulari cœli motu non diſtingui realiter terminum à quo, à termino *ad quem*, ſed formaliter, & in ratione termini, quatenus ſcilicet eadem pars cœli intelligitur habere rationem termini à quo; prout ab illa incipit motus, & termini ad quem, quatenus ad illam idem motus redit: quod autem dicit Ariſtoteles circularẽ cœli motum eſse infinitum, hoc intelligitur de infinitate durationis, quia motum ab æterno conſtituit, non autem de infinitate ſecundum terminos ſpatij in quo fit motus, vt velit negare dari in circulari cæli motu terminum à quo incipit, & terminum ad quem deſinit.

### ARTICVLVS SECVNDVS.

*De diuiſibilitate*

Digitized by Google

*De diuiſibilitate, & oppoſitione terminorum motus.*

*Prima propoſitio*

TErmini motus debent eſſe diuiſibiles: probatur quod ſucceſſiuè, & per partes abiicitur, vel acquiritur, illud diuiſibile eſſe debet, vt per ſe notum eſt: atqui termini motus ſunt eiuſmodi, nam terminus à quo ſucceſſiuè abiicitur, & terminus ad quem ſucceſſiuè acquiritur, vt intelligitur ex definitione motus, ergo, &c.

*Secunda propoſitio.*

EAque Ariſtotelica, vt patet ex 5. phyſ. cap. 1. termini motus debẽt eſſe oppoſiti.

Probatur, termini illi motus *à quo & ad quem*, non ſunt ſimiles, quia omnis actio, viſque motus debet eſſe inter diſſimilia, ex 1. de ortu cap. 7. nec etiam tantum diſparati: etenim diſparata non ſeſe mutuò expellunt, quemadmodum videmus vnum terminum ſcilicet terminum ad quem, alterum deiicere, nempe terminum *à quo*, quare relinquitur vt illi motus termini ſint oppoſiti.

Oppoſitos quidem eos dico, non quacúmque oppoſitione: non relatiua, quoniam ad relationem non eſt per ſe motus, vt dictum eſt: non priuatiua, aut contradictoria, quia inter eiuſmodi terminos, priuatiuos ſcilicet & cõtradictorios, ſolum dantur inſtantaneæ mutationes: ſed oppoſitione contraria, ſiue propriè dicta, vt in alteratione, quæ eſt ab vna qualitate ad contrariam qualitatem, à calore ad frigus, à nigredine ad albedinem, ſiue impropriè dicta, vt in accretione & motu locali ex prædictis.

Obiicies; ſi motus termini ſint contrarij, debent eſſe ſpecie diſtincti, quia contraria ſub eodem genere continẽtur, ac proinde ſpecie differre debent: atqui non poſſunt ſpecie diſtingui, ſaltem in motu circulari, in quo eadem pars ſpatij eſt terminus à quo, & terminus ad quem, vt dictum eſt: ergo, &c.

Reſpõdeo ad maiorẽ terminos motus eodẽ modo ſpecie, diſtingui, quo ſunt contrarij, ideóque cùm in ſola alteratione termini ſint ſecundum naturam ſuam contrarij, in ſola alteratione terminos ratione naturæ ſuæ ſpectatos, eſſe ſpecie diſtinctos, cùm verò in accretione, vel motu locali termini non ſint ſecundum ſubſtantiam contrarij, ſed tantum quatenus habent rationem termini, vel *à quo* vel *ad quem* ſub ea ſolum ratione, & non quatenus conſiderantur ſecũdum ſuam naturam, inter ſe ſpecie differre.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*An abiectio termini à quo, & acquiſitio termini ad quem ſint vnus idémque motus.*

APponatur exemplum: an quando aliquid mouetur à calido ad frigidum, idem ſit motus quo abiicitur calor, & frigus acquiritur. Hæc difficultas vt enodetur.

Notandum eſt, motum dupliciter conſiderari poſſe. primò ex parte ſubiecti, quod ſucceſſiuè mutatur: ſecundò ex parte formæ, quæ vel acquiritur, vel deperditur, verbi gratia calefactio poteſt ſpectari primò ex parte aquæ à frigido ad calidum tranſeuntis: ſecundò ex parte ipſius frigoris, quod ſucceſſiuè & continuè abiicitur, ipſiúſque caloris qui pariter, ſucceſſiuè, & continuè inducitur, Hinc ſit.

*Prima propoſitio.*

MOtus ſpectatus ex parte ſubiecti quod continuè tranſmutatur, vnicus eſt, per quem terminus à quo

abiicitur, v.g. frigus, & terminus ad quem, putà calor, acquiritur.

Probatur, motus ſpectatus ratione ſubiecti quod ſucceſſiuè, & continuè transmutatur, dicit tranſitum ab vno ad aliud, ergo includit realiter abiectionem termini à quo, & acquiſitionem termini ad quem.

Confirmatur teſtimonio Ariſtotelis, qui lib. 5. phyſ. cap. 5. diſertè docet motum inter contraria, vt potè à frigido ad calidum, eſſe idem re & ſola ratione ſeu formaliter diuiſum, ergo intelligit motum reipſa, id eſt ſpectatum ex parte ſubiecti, quod transmutatur includere duas illas mutationes formaliter diuerſas, abiectionem termini à quo, & acquiſitionem termini ad quem.

*Secunda propoſitio.*

Abiectio termini à quo, & acquiſitio termini ad quem, ſunt duo motus, ſi motus ſpectetur tantum ex parte formæ, quæ vel abiicitur, vel acquiritur.

Probatur, motus ſic ſumptus nihil aliud dici quàm vel ſimplicem abiectionem formæ, vel ſimplicem acquiſitionem alterius, ergo ſi motus eo modo conſideretur, duo erunt illi motus, vnus quo abiicitur terminus à quo alter quo acquiritur terminus ad quē.

Confirmatur, illi ſunt motus diuerſi, quorum vnus poteſt eſſe ſine alio, ſaltē diuina virtute: atqui abiectio termini à quo, poteſt eſſe per diuinam potentiam ſine acquiſitione termini ad quē v. g. fieri poteſt diuina virtute vt aqua ſucceſſiuè amittat frigus, nullum tamē calorem acquirat: ergo, &c.

Occurres, ergo illi duo motus ſunt realiter diuerſi, nam abiectio termini à quo poteſt eſſe ſine acquiſitione termini ad quem, vt dictum eſt, & vice verſa poteſt eſſe acquiſitio termini ad quem, v. g. caloris, ſine abiectione termini à quo, nempe frigoris, quia ſimul calor & frigus in eodem ſubiecto per diuinam potentiam recipi poſſunt.

Reſpondeo concedendo conſequentiam de abiectione termini à quo, & de acquiſitione termini ad quem, ſpectatis ex parte formarum, quarum vna abiicitur, altera acquiritur, quando autem abiectio termini à quo, & acquiſitio termini ad quem dicuntur vnus realiter motus, ſumuntur ex parte ſubiecti quod ab vno termino deſerendo, ad alium acquirendum progreditur.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*De vnitate Motus.*

### ARTICVLVS PRIMVS.

*De vnitate numerica.*

*Prima propoſitio.*

Vnitas numerica mobilis exigitur ad vnitatem numericam motus.

Probatur, vnitas numerica ſubiecti requiritur ad vnitatem numericam accipientis quia vnum & idem accidens numero, ſaltem naturaliter, nequit eſſe in duobus numero ſubiectis: atqui motus eſt accidens, cuius ſubiectum eſt mobile; ergo, &c.

Obiicies moueatur canis à concauo Lunæ ſucceſſiuè, & ſine interruptione vſque ad terram, & in medio aëre moriatur, erit idem numero motus, & tamen mobile non erit vnum, ſed duplex, alterum viuens, alterum inanimatum ergo ad vnitatem numericam motus non requiritur vnitas numerica mobilis.

Reſpondent alij ad antecedens reuera ob diuerſitatem mobilis quod per totum ſpatium mouetur, non eſſe in in propoſito caſu vnum numero motum.

Probabilius tamen alii dicunt de facto eſſe vnum & eundem numero

motum, quia ſemper remanet idem ſubiectum motus receptiuum, nempe materia quantitate affecta quod ſufficit ad vnitatem numericam motus.

*Secunda propoſitio.*

VNitas numerica temporis exigitur ad vnitatem numericam motus.

Probatur: quod eſſentialiter eſt continuum & ſucceſſiuum, ſine interruptione fieri debet: atqui motus eſt aliquid eſſentialiter continuum, & ſucceſſiuum, ergo ſine interruptione fieri debet, & conſequenter per idem numero tempus, ergo, &c.

*Tertia propoſitio.*

VNitas numerica termini ad quem, ſeu formæ quæ producitur, neceſſaria eſt ad numericam vnitatem motus: v. g. vt calefactio dicatur vnus & idem numero motus, debet eſſe ſucceſſiua productio vnius eiuſdémque numero formæ.

Probatur, motus eſt idem realiter cum termino ad quem tendit, eſtque eius ſucceſſiua acquiſitio, ergo quot ſunt eiuſdem termini; tot debent eſſe motus, & conſequenter ad vnitatem numericam motus, vnitas numerica termini ad quem requiritur.

Obiicies, terra ſit omni ex parte, hoc eſt ab vna ſuperficie ad aliam oppoſitam perforata, & deſcendat lapis pro innata ſua grauitate per foramen, vbi ad centrum ipſum lapis peruenerit per deſcenſum, contiuò & ſine vlla interruptione iterum aſcendet verſus oppoſitam terræ ſuperficiem, ergo tunc duplex erit terminus ad quem, vnus deorſum, alter ſurſum, & tamen vnicus motus, quia ex hypotheſi factus eſt ſine interruptione, ergo, &c.

Reſpondeo ad priorem conſequentiam, in illo caſu non eſſe eundem numero motum lapidis deſcendentis ad ad centrum per foramen terræ, & à centro verſus oppoſitam partem aſcẽdentis, tum propter diſtinctionem nõ modo numericam, ſed etiam ſpecificam terminorum ad quos, quorum vnus eſt ſurſum, alter deorſum, qui proinde non modo numericam, ſed etiam ſpecificam diſtiuctionem afferunt, tum etiam quia lapis deſcendẽs ad centrum terræ cum eo debet naturaliter quieſcere, nec poteſt ab eo dimoueri, & extrahi ſuperius niſi impetu ſibi impreſſo & adhibita violentia, vnde fit vt motus ille, quo à centro progreſſus eſt ad oppoſitam terræ partem, ſit illi violentus, nec conſequenter poſſit eſſe idem numero cum illo motu quo ad ipſum centrum deſcendit. Ad id quod dicitur motum eiuſmodi fieri continuè & ſine interruptione, ideóque eſſe vnum numero, negatur ſequi etenim licet temporis vnitas requiratur ad vnitatem motus, illa tamen non ſufficit, ſed præterea requiritur vnitas numerica mobilis, temporis & termini ad quem.

Quærunt nonnulli an vnitas mouentis requiratur ad vnitatem motus. Verùm huius quæſtionis ſolutio facilis eſt, ex ijs quæ diximus agendo de cauſa efficiente, eodem enim modo quo diximus eundem effectum poſſe eſſe ab vnica aut pluribus cauſis efficientibus, eodem etiam hic dicendum eſt eundem numero motum poſſe eſſe ab vno, aut pluribus motoribus.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*De vnitate ſpecifica, & generica Motus.*

REpetendũ hic quod iam dictum eſt duplicẽ eſſe motus terminũ, à quo, & ad quẽ. Præterea notandum terminũ



Digitized by Google

ad quem motus poſſe ſpectari bifariã primò materialiter, quatenus eſt illa res ad quam motus tendit, ſecundò formaliter, quatenus habet rationem termini ad quem, ſortitúrque oppoſitionem cum termino à quo, ſic cùm ſit motus ab extremo colore ad medium, ab albo ad viridem, ipſe color viridis conſiderari poteſt dupliciter, primo materialiter, provt eſt color viridis, & medius, eòque ſenſu non opponitur termino à quo, nempe albo, quia illius etiam rationem participat: ſecũdò formaliter, quatenus terminat motum ab albo colore ad viridem, & eo ſenſu reuera opponitur termino à quo, ſcilicet albo, iámque deſinit habere rationem medii coloris, ſed extremi nempe nigri, quia ab albo, ad viridem non ſit motus; niſi ratione nigredinis quæ eſt in viridi colore. His poſitis, ſit.

*Prima propoſitio.*

VNitas ſpecifica & generica motus, nec petitur à motore, nec à mobili.

Probatur, motores diuerſi ſpecie, & etiam genere poſſunt eumdem ſpecie motum efficere, verbi gratia homo & Angelus, lapidem ſurſum proiicere item diuerſa mobilia poſſunt eumdem ſpecie motum ſubire, vt lapis, aurum, argentum, motum ſurſum violentum, vel deorſum naturalem: ergo, &c.

*Secunda propoſitio.*

VNitas generica & ſpecifica motus, neque etiam petitur à medio, per quod fit motus, neque à termino à quo

Probatur, medium & terminus à quo motus ſunt aliquid illi planè accidentarium, ad quod nullum dicit eſſentialem ordinem: ergo ab iis vnitatem ſuam genericam & ſpecificam non ſumit.

*Tertia propoſitio.*

A Solo termino ad quem materialiter ſumpto, non petitur vnitas ſpecifica motus.

Probatur, ad eandem partem mediç aëris regionis poteſt ignis per aſcenſum à terræ centro, & lapis à Lunç concauo per deſcenſum ferri, ergo tunc erit idem terminus ad quem materialiter ſpectatus, & tamen duplex ſpecie motus, vnus ſcilicet aſcenſus in igne, alter deſcẽſus in lapide, ergo, &c.

*Quarta propoſitio.*

GEnerica motus vnitas petitur à termino ad quem: propoſitio eſt Ariſtotelis 5. Phyſ. cap. 4. vbi docet vnitatem genericam motus peti à categoriarum figuris, id eſt à terminis diuerſarum categoriarum.

Fauet ratio, quia non alia ratione dicimus omnes alterationes eſſe eiuſdem generis, ſeu vnum quid genere, niſi quia ad vnum genere terminum nempe ad qualitatem tendunt, nec alia ratio eſt, cur omnes lationes ſint vnum quid genere; niſi quia ab *vbi*, quod eſt vnum genus, terminantur: ergo generica vnitas motus petitur à termino ad quem.

*Vltima propoſitio*

SPecifica motus vnitas pendet à termino ad quem ſpectato formaliter, & provt habet oppoſitionem cum termino à quo, habita quoque ratione modi ſecundum quem ſit, v. g ideo motus aëris ad mediam ſuam regionem aſcendentis, cenſetur eſſe diſtinctæ ſpeciei ab alio motu; non quòd ſimpliciter ad talem terminum, talem ſcilicet locum tendat, ſed quòd ad illũ feratur, provt opponitur termino à quo proficiſcitur, nẽpe terrç centro, & tali modo, nempe per aſcenſum ſit, ex quo ſimul relinquitur probata propoſitio.

Denique quòd à termino ad quem

ſaltem formaliter ſpectato vnitas ſpecifica motus deſumatur, facilè conſequitur, ex eo motus ſumit vnitatem ſpecificam, ex quo ſumit denominationem: atqui motus accipit denominationem à termino ad quem, ſaltem quatenus formaliter ſumitur: dicitur enim calefactio à calore, frigefactio à frigore, & ſic de cæteris: ergo à termino ad quem formaliter ſumpto, accipitur vnitas ſpecifica motus, à termino quidem ipſo extrinſecè, & ab ipſo ordine eſſentiali quem dicit ad illum intrinſecè, ſicuti vnitas ſpecifica facultatum, verbi gratia viſiuæ facultatis, extrinſecè, ab obiecto, ſeu viſibili petitur, & intrinſecè ab ordine quem dicit ad illud.

## QVÆSTIO TERTIA.

### ET POSTREMA.

*De diſtinctione motus.*

DVo hac quæſtione occurrunt explicanda, primum, ſed breuiter, vnde ſumatur diſtinctio, numerica, generica, & ſpecifica motus: ſecundum, quónam pacto motus diſtinguatur ab iis quæ in ipſo reperiuntur, terminis ſcilicet, mouente, & mobili.

Quod ad primum attinet, ex his quę de vnitate motus diximus, facilè intelligitur quid ſit de diſtinctione ſentiendum: ac inprimis cùm dixerimus vnitatem numericam motus non conſurgere niſi ex vnitate numerica temporis, mobilis, & termini ad quem, hinc manifeſtè ſequitur ad diſtinctionem numericam motus ſufficere, vel diſtinctionem numericam mobilis, vel temporis, vel termini ad quem: ſi enim vel mobile dſtinguatur numero, vel tempus, vel terminus ad quem, non erit idem numero motus, proindéque numero diuerſus.

Secundò, diximus vnitatem genericam motus ſumi à generica vnitate termini ad quem, omnéſque motus eſſe eoſdem genere, qui tendunt ad terminos eiuſdē generis. Hîc ſimiliter relinquitur concludendū genericā diſtinctionē motus petendā eſſe ex generica diſtinctione termini ad quem, illóſque motus eſſe genere diſtinctos qui ſunt ad terminos genere diuerſos.

Denique diximus vnitatem ſpecificā motus peti à termino ad quem formaliter ſumpto & prout habet oppoſitionem cum termino à quo, itémque à modo quo fit ipſe motus; hic quoque dicendum eſt diſtinctionem ſpecificā motus oriri ex ſpecifica diſtinctione termini ad quem formaliter ſpectati: & modi ſecundum quem fit ipſe motus, & in his nulla difficultas eſt.

Quod attinet ad alterum quod in hac quæſtione explicandum ſuſcepimus, pro integra illius intelligentia ſit.

*Prima propoſitio.*

MOtus non differt realiter à termino ad quem tendit, propoſitio eſt contra Aureolum apud Capreolum in ſecundum diſt. 1. q. 2. art. 2. & multos alios, defenditur verò à D. Thoma ad textum 9 5. Phyſ. Ochamo, & aliis.

Probatúrque ex lege realis diſtinctionis: quæ realiter diſtinguuntur mutuò ſeparari poſſūt, & ſeparata exiſtere: atqui motus, & terminus ad quē tendit, aliter ſe habent: verbi gratia calefactio, & calor, quia calefactio nō poteſt eſſe ſine calore, cùm ſit formaliter eius acquiſitio, ergo, &c.

Obiicies, motus non poteſt eſſe idē realiter cum termino ad quem tendit, ergo ab illo diſtinguitur realiter. Probatur, cauſa non eſt idem realiter cum eo, cuius eſt cauſa, aliàs vnum ſui ipſiius cauſa eſſet: atqui motus eſt cauſa



Digitized by Google

nihil certius; ſi pulchritudinem, nihil elegantius inueniri poteſt: ex trunco rami omnéſque arboris partes deriuãtur, & quaſi in communi matris ſuæ ſinu continentur: propterea ſi quæ diuitiæ in omnibus Phyſicæ partibus à vobis expectari poſſint, has vobis in hoc trunco aperire pergo.

## DISPVTATIO VNICA.

*De Mundo.*

### SECTIO PRIMA.

*De nomine Mundi, & varia acceptione.*

QVòd omni immunditia & impuritate careat mundus appellatus eſt. Porrò mundus variis modis accipitur. Primò pro diuina mente omniũ rerum efficiendarum ideas, & exemplaria gerente; & hic mundus intelligibilis, & exemplaris dicitur.

Secundò & frequentius accipitur mundus pro ſolo homine qui in ſe omnium vniuerſi partium perfectiones complectitur, tamquam ſumma & cõpendium, & propterea μικρόκοσμος nuncupatur.

Tertiò accipitur pro aggregato ex triplici hierarchia Angelorum, & vocatur mundus Angelicus.

Quartò ſumitur pro collectione omnium, tam ſpiritualium, quàm corporearum creaturarum; & vocatur magnus mundus, ſeu vniuerſum.

Denique ſumitur pro *compage è cælo, terráque coagmentata, & ex illis naturis quæ intra ea continentur*, vt definit Ariſtoteles in lib. de mundo ad Alexandrum: vel clarius vſurpatur mundus pro tota collectione creaturarum corporearum quæ ex illis, & elementis deſumitur, & vocatur elementaris.

Cæterum reiectis aliis mundi acceptionibus ſolam poſtremam retinemus, mundúmque ſemper in hac ſignificatione deinceps vſurpabimus.

### SECTIO SECVNDA.

*De Mundi exiſtentia.*

QVia nemo mundum negat exiſtere, ideò tantum hæc diſtinctis quæſtionibus circa mundi exiſtentiam tractabimus: primum an mundus fuerit à Deo ab æterno productus: ſecundum, an ſaltem creari potuerit: tertium, an ſex dierum ſpatio, an verò in inſtanti conditus ſit: poſtremò, quâ anni tempeſtate fuerit efformatus.

### QVÆSTIO PRIMA.

*An Mundus fuerit productus ab æterno.*

HIc dux noſter Ariſtotelis deſerendus, qui miſeris miſerius lapſus eſt. Plato ſolam materiam qua mundus compactus eſt rudem, & impolitã, infinitis ſæculis vltrò citróque fluitaſſe, poſtea elegantiſſima formarum varietate exornatam dictauit: at abſurdiora abſurdis adiiciens Ariſtoteles, non illam tantùm indigeſtam materiam, ſed totum vniuerſum, ſub ea facie & perfectione, quam nunc habet ab æterno conſtituit, pugnacitérque defendit, vt patet ex capite 18. Phyſ. 1. de cælo cap. 12. & alibi paſſim, vbi de mundi affectione diſſerit: Quamquam non deſint qui Ariſtotelem ab hoc errore vẽdicent, affirméntque non id tanquam certum Ariſtotelem ſtatuiſſe, ſed tanquam probabile, & problematicum, maximè cum 1. Top. cap. 9. problema proponat, an mundus fuerit ab æterno, nécne. Quicquid ſit de mente Ariſtotelis, & hanc ſtatuerit pro certo mundi æternitatem, quod probabilius, an tantùm diſputandi gratia.

Propoſitio eſt in fide certiſſima, mundum non ab æterno extitiſſe, ſed in tempore incæpiſſe, vt conſtat ex innumeris Scripturæ ſacræ locis, tam

Digitized by Google

vlla aſſignari ratio, cur potius vno tẽpore motus habuiſſet initium, quàm alio: ſi verò mouens & mobile aliquãdo cœperint, ergo per motum, & ſic ante primum illum motum qui ponebatur, erit alius præcedens motus, & ſic in infinitum, ergo motus fuit ab æterno.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem dico; quod ſpectat ad primum mouens, quod eſt Deus, illud ab ęterno extitiſſe; nec tamen proinde debuiſſe ex ęternitate mouere, cùm liberè moueat, ſecundum beneplacitum ſuæ voluntatis: quod verò ſpectat ad mouens creatum, & mobile, illa cœpiſſe antequam fuerint in motu: non tamen per motum, ſed per inſtantaneam mutationem, ſcilicet creationẽ, & ita ante primum illum motum nullum præcedentem fuiſſe, quod tanquam abſurdum inferebat obiectio.

Secunda ratio Ariſtotelis habetur eodem cap. text. 10. tempus ab æterno fuit, ergo & motus huius eſt menſura, ergo & mundus.

Probatur antecedens: repugnat vt tempus priùs non fuerit, deinde eſſe cœperit: quia cum prius, & poſterius ſint temporis differentiæ, iam ante tempus daretur tempus, ergo tempus fuit ab æterno. Eandem rationem cõfirmat eodem capite text. 2. ante quodlibet datum tempus, erat tempus; ergo fuit ab æterno. Anteced. probat, dato quolibet tempore licet momentum aſſignare: ergo cùm momentum ſit finis præteriti & exordium futuri, iam ante illud tempus, quod primum aſſignabatur, erat reuera tempus.

Reſpondeo negando antecedens obiectionis, & ad eius probationem diſtinctione antecedentis; non potuit tempus prius non fuiſſe, & poſterius cœpiſſe prioritate, & poſterioritate reali, ſeu temporis veri, & realis, concedo, prioritate, & poſterioritate imaginaria, ſeu temporis imaginarij quod mundi exordio ad æternitatem fingimus, nego: quo poſteriori modo, non priori: tempus non prius fuiſſe, poſtea cœpiſſe contendimus.

Ad confirmationem negandum eſt antecedens, & ad eius probationem dicendum, dato aliquod tempore, etſi fingatur inſtans copulans præteritum cum futuro, propterea tamen non ſequi ęternitatem temporis, ſed tantum tempus poſſe diuidi in infinitum in partes proportionales, & ita nunquam ad finem tẽporis poſſe deueniri per diuiſionem illam in partes proportionales inſtantibus copulatas.

Tertia ratio habetur cap. 6. lib. citati, vnum & idem, eodem ſemper modo ſe habens, idem ſemper efficit: atqui primus motor ab omni æternitate eodem modo ſe habuit, ergo idem ſẽper effecit, & conſequenter vel ſẽper mouit, vel numquàm, quod poſterius falſum eſt.

Diſtinguo maiorem: idem eodem modo ſe habens ſemper idem facit, ſi agat ex neceſſitate naturæ, concedo; ſi tantum liberè, nego: quo ſolum poſteriori modo Deus operatur ad extra.

Contra hanc ſolutionem inſtabis: ſi Deus non operetur neceſſariò ad extra ergo operatur contingenter, & caſu, quod tamen falſum eſt.

Neganda eſt conſequentia: ſi quidem præter modum agendi neceſſarium, & contingentem, datur liber, quo Deus operatur ad extra; abſque tamen vlla inconſtantia, & tamen cum potentia ad agendum, vel non agendum.

Rurſus contra eandem reſponſionem inſtabis, Deus, vt agit per voluntatem ad extra, æquè neceſſariò agit, ac per intellectum, cum eius vo-

eſt ſummè bonus; ergo ſui maximè diffuſiuus, ergo ab æterno debuit ſe communicare mundo per creationem.

Toto conceſſo ſyllogiſmo neganda eſt conſequentia quę ex illo deducitur: licet enim Deus ſit maximè ſui diffuſiuus & communicatiuus, non ſequitur tamen quòd ſeſe ab æterno communicare debuerit, cùm communicatio temporanea conuenientior fuerit, vt oſtendimus.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*Vtrum mundus potuerit eſſe ab æterno.*

Simpliciter negat D. Bonauent. in 2. diſt. 1. q. 2. Albertus magnus & alii E contrario verò ſimpliciter affirmant Capreolus, Ægidius & alii in 2. ſent. diſt. 1. alii denique, quorum ſententiam lubentiùs amplectimur, vt Durandus in 1. diſt. 1. q. 3. & omnes ferè recentiores rectiùs diſtinguunt de rebus ſucceſſiuis, & permanentibus, illáſque negant potuiſſe ab æterno procreari, has verò concedunt: facilitatis autem cauſa ſit.

*Prima propoſitio.*

Res permanentes, & quæ non habent ſuum eſſe per motum, potuerunt ab æterno creari.

Probatur: nulla inde apparet contradictio, ergo fieri potuit.

Probatur antecedens; nulla poteſt apparere contradictio in æterna rerũ permanentium productione, niſi vel ex parte Dei producentis: & hæc nulla eſt, cùm ab æterno Deus ſit omnipotens & virtutis infinitæ: vel ex parte ipſarum rerum, quarum naturis repugnat extitiſſe ab æterno: & hæc quoque nulla eſt contradictio, ſi quidem quòd res ab æterno producatur contradictorium non eſt, vt patet ex æterna diuini Verbi generatione quam firma fide tenemus: vel denique ex parte ipſius creationis, & hæc pariter contradictio nulla eſt.

Probatur, tota contradictio cur æterna ſit creatio poteſt tantùm in eo fundari, quòd creatio ſit productio ex nihilo, proindéque ſupponat prius rem non fuiſſe, quàm extitiſſe, quod prius in æternis recipi non poteſt: atqui hoc fundamentum nullum eſt, ergo, &c. Minor probatur; etſi creatio ex nihilo dicatur fieri, non tamen propterea res quæ creatur prius prioritate durationis dicitur non fuiſſe & poſteà cœpiſſe exiſtere, ſed tantum prioritate naturæ, quæ in eo conſiſtit quod res quę creatur ab aliquo principio illi ſuum eſſe communicante in primo æternitatis puncto (ſi quid in æternis primum dici poſſit) dependeat, ergo quod creatio ſit productio entis ex nihilo, non impedit quominus æterna eſſe poſſit.

Confirmatur hæc tota ratio, quod non requirit ſucceſſionem in eſſe, ſed totum ſuum eſſe in inſtanti accipere poteſt, reuera potuit ab æterno produci, potuit enim produci in inſtanti quo nullum eſſet prius, & conſequenter ab æterno: atqui res permanentes, vt conſtat, non habent ſucceſſionem in eſſe, ſed illud in inſtanti recipere poſſunt, igitur res permanentes potuerunt ab æterno produci.

Verùm quod ex parte Dei abſolutè repugnet dari æternam rei alicuius creationem ſic oſtendes obiiciendo:

Repugnat cauſam producentem non eſſe effectu priorem: ergo repugnat effectum ſuum producere ab æterno.

Diſtinguo antecedens: repugnat cauſam non eſſe priorem effectu,



Digitized by Google

prioritate naturæ, verum eſt, quomodo Deus producens mundum ab æterno, prior ipſo mundo remaneret; temporis prioritate, nego, vt oſtenſum eſt agendo de cauſis in communi, & patet exemplo: ſi enim Sol fuiſſet ab æterno productus, ab æterno lumē communicaſſet, nec illud tempore ſed natura tantum præceſſiſſet.

Secundò, obiicies contra eandem partem, repugnat Deum ex neceſſitate naturæ, non liberè mundum produxiſſe: atqui ex neceſſitate naturæ, & non liberè Deus mundum procreaſſet, ſi ab æterno condidiſſet, quia numquam fuiſſet ad illius productionem indifferens: ergo, &c.

Maiori conceſſa, neganda eſt minor: nam licet Deus mundum ab æterno effeciſſet, prius tamen noſtro concipiendi modo ſeſe determinaſſet ad illius productionem, quàm fuiſſet determinatus in quo libertas diuinæ voluntatis conſiſtit: imò licet Deus ab æterno ſeſe determinauerit ad condendum mundum, prius tamen noſtro concipiendi modo intelligitur fuiſſe indifferens quàm determinatus.

Poſtremò contra eandem partem obiicies, repugnat Deum ſuam æternitatem alicui communicare: ſed reuera illam mundo communicaſſet, ſi ipſum ab æterno creaſſet, ergo, &c.

Neganda eſt minor, ſemper enim illa mundi æternitas fuiſſet creata dependens, & defectibilis, æternitas verò Dei eſt independens, increata, & indefectibilis.

Contra verò eam partem quā ſtatuimus ex parte ipſarum rerum permanentium non repugnare quo minus ab æterno producantur: Obiicies primò, repugnat aliquid ſimul fieri, & factum eſſe, ſed ſi res aliqua poſſet ab æterno produci, ſimul diceretur fieri, & eſſe facta; fieri, quia produceretur; facta, quia ab æterno poneretur exiſtens, ergo, &c.

Reſpondeo diſtinctione maioris, repugnat aliquid ſimul fieri, & eſſe factum; ſimultate naturæ, concedo; ſimultate temporis nego: nam ſecundum eos qui ponunt inſtantaneam illuminationem, eodem inſtanti temporis illuminatio fit, & facta eſt, prius tamen natura fit, poſterius dicitur facta.

Rurſus obiicies: ſpeciatim de rebus permanentibus corruptibilibus, res permanens corruptibilis ab æterno poſita, eſſet corruptibilis, & non eſſet corruptibilis, quod contradictionem inuoluit, ergo ab æterno produci non potuit. Probatur antecedens, res corruptibilis, ab æterno poſita ex hypotheſi eſſet corruptibilis, non eſſe verò corruptibilem oſtenditur; quod debet neceſſariò infinito tempore durare, non videtur eſſe corruptibile: atqui res illa corruptibilis ab æterno producta, debuiſſet neceſſariò infinito tempore perſeuerare: aut enim potuiſſet ab omni æternitate deſtrui, aut tantum in tempore: ſi priùs ergo eodem æternitatis puncto & creata fuiſſet & deſtructa, ſicque illud ipſum inſtans creationis fuiſſet inſtans deſtructionis, quod planè apparet abſurdum: ſi dicatur poſterius; ergo cùm ab æternitate ad tēpus infinita interſit diſtantia, per infinitam ſæculorum ſeriem res illa perſeuerare debebit, ergo non erit corruptibilis.

Negandum eſt antecedens, ad probationē illius partis quę habet rem corruptibilem, diſtinguenda eſt maior: res quæ neceſſariò debet infinitis ſęculis in eſſe ſuo permanere, non videtur eſſe corruptibilis; ſi id habeat à ſuis principiis naturalibus, cōcedo; ſi verò

Digitized by Google

à diuina conſeruatione, quæ eam ab interitu præſeruaret, nego: cùm autem diximus rem permanentem, corruptibilem, ab æterno eſſe potuiſſe, id intelligendum eſt cum hac poſſibili ſuppoſitione, quod illam Deus naturæ ſuę non relinqueret, ſed ab interitu manu ſua conſeruatrice, vindicaret.

Tertiò obiicies contra eandem partem ex 3. Phyſ. cap. 4. text. 32. *In æternis idem eſt eſſe, ac poſſe*: ergo, ſi quidpiã æternum eſſe potuit; illud de facto ab æterno extitit.

Neganda eſt conſequentia, quando enim dicitur in æternis idem eſt eſſe, ac poſſe, ſenſus tantùm eſt, quòd res exiſtens ab æterno non prius fuerit in poteſtate ad exiſtendum, quàm extiterit de facto, non autem quòd ſi potuerit eſſe ab æterno reuera fuerit ab æterno.

Denique obiicies, ſi res quælibet permanẽs poſſet eſſe ab æterno, homo, verbi gratia, poſſet quotidie generationem exercere, & proinde cùm infinita tempora elapſa ſint, infinitæ darentur hominum generationes, & conſequenter infinitę animæ rationales, cùm illę numquam intermoriantur.

Reſpondeo negando conſecutionẽ, generatio enim illa hominis præſupponeret tum hominem generantem actu exiſtentem, tum etiam præuias diſpoſitiones ad formæ introductionem, proindéque æterna eſſe non potuiſſet, ſed tantum in tempore exerceri; quare cùm ab æternitate ad tempus infinita ſit diſtantia, homo ex æternitate productus infinito tempore quieuiſſet antequam generationem abſoluiſſet, & ita nec forent infinitæ generationes, nec infinitæ animæ rationales.

Confirmatur, illa hominis generatio, aut quadraginta dierum, aut plurium pauciorúmve (diuerſæ enim ſunt hac de re ſententiæ) ſpatio fuiſſet paracta, aut elapſum fuiſſet tempus infinitum antequam abſolueretur: ſi hoc poſterius, habemus intentum: quod autem prius dici non poſſit, facile ex eo patet, quòd talis generatio prima non fuiſſet æterna, quippe quę iam 45 dies præſupponebat, cùm tamen ad id quod ęternum eſt nihil præſupponi poſſit, ſecundum realem durationem, & tempus: quare debuiſſet infinitè ab æternitate diſtare, cum additio 40. dierum ex non æterno aliquid æternum efficere nequeat.

Contra poſtremam partem, quod videlicet non repugnet ex parte creationis aliquid ab æterno produci, obiicies, repugnat annihilationẽ eſſe æternam, ergo & creationem.

Neganda eſt conſequentia, annihilatio enim ſupponit creationem rei ſaltem in aliquo inſtanti temporis, & propterea non poteſt eſſe ęterna: annihilationem verò creatio non præſupponit, nec aliquid aliud ſecundum tempus prius, ideóque æterna eſſe poteſt.

*Secunda propoſitio.*

NVlla res ſucceſſiua, vt motus & tempus vel quæ ſucceſſiuè acquiritur, quatenus ſucceſſiuè acquiritur æterna eſſe potuit. Hæc propoſitio, vt à multis defenditur, ſic etiam multis rationibus comprobatur, ſed illæ, aut ſunt diminutæ, aut propoſitum non ſatis euidenter concludunt.

Hanc igitur nos inſtar omnium fũdamentalem ſtatuimus, id non poteſt eſſe æternum, cuius exiſtentiæ aliquid neceſſariò præſupponitur ſecundum durationem; atqui res omnes ſucceſſiuæ, aut quæ ſucceſſiuè acquiruntur vt ſic, ita ſe habent, ergo, &c.

Maior eſt clara, minor verò proba-

tur, nulla res ſucceſſiua potuit in inſtanti exiſtentiā accipere, alias inciperet intrinſecè per primùm ſui eſſe, & non extrinſecè per vltimum non eſſe, quod eſt contra ſuperiùs dicta, ergo multa inſtantia præterire debuerunt antequam exiſteret, & conſequenter eius exiſtentiæ aliquid prius neceſſariò præſupponi debuit.

Confirmatur primò de motu alterationis & accretionis, ſi ab æterno alteratio & accretio fuiſſent, nunc infinita quantitas actu exiſteret & qualitas infinitæ intenſa; atqui repugnat dari actu infinitum, ergo, &c.

Confirmatur ſecundò de motu recto, ſi ille ab æterno eſſe potuiſſet, ſequeretur dari ſpatium duplo maius ſpatio infinito, quod abſurdum eſt: id verò ſequi oſtenditur: ſtatuto æterno motu ſtatuantur ab æternitate duo homines Petrus, & Paulus qui rectâ moueantur, ita vt Petrus ſit duplo velocior Paulo, Paulus etſi lentiori gradu cieatur, tamen protrahēdo motum ab æterno inceptum infinitum ſpatium hoc tempore intelligeretur confeciſſe, Petrus verò ipſe ex æternitate ipſa motum incipiat, illúmque ſine intermiſſione continuet, ſanè duplo maius ſpatium conficiet quàm Paulus, ergo poſito æterno motu, daretur ſpatium duplo maius ſpatio infinito.

Confirmatur tertiò de motu circulari cælorum, de quo ſolum controuerſia eſſe poteſt, ſi ille circularis cæli motus æternus eſſe potuiſſet, hodie fuiſſent elapſæ infinitæ eiuſmodi reuolutiones cælorum, & ita ſi homo extitiſſet ab æterno, potuiſſet infinitas illas reuolutiones numerare, proindéque infinitum percurrere, quod fieri non poteſt, igitur circularis cæli motus æternus eſſe non potuit.

## QVÆSTIO TERTIA.

*An Mundus ſex dierum ſpatio, an verò in inſtanti conditus ſit.*

RESpondeo probabilius videri quod ſex dierum ſpatio creatus ſit, ita enim factam fuiſſe mundi creationem teſtatur Moſes toto 1. cap. Gen. Nec ſatisfacit quod aliqui dicunt Moſem, hoc loco loquutum fuiſſe ad captum auditorum, & retuliſſe ſex dies in mūdi creatione, vt rudiores Iudæi illam facilius comprehenderent; ſi quidem nullo pacto probabile eſt Moſem, ſtatim initio ſuorum librorum allegoricè, & impropriè locutum fuiſſe, per ſex dies vnū inſtans intelligendo, maximè cū litteralis ſcripturæ ſacræ ſenſus ex communi Theologorum, & potiſſimùm D. Aug. regula retineri debeat, quando nullum inde oritur incommodum quod nullum eſt, licet mundi creatio ſex dierum ſpatio dicatur eſſe confecta. Confirmatur ex ipſa Sabbati inſtitutione, quæ duntaxat habet fundamentum in eo quod Deus ab operibus quieuiſſe dicatur ſeptima die, quod ſatis arguit veros fuiſſe illos dies, quibus Deus mundi creationem operatus eſt.

Obiicies primò illud Eccleſiaſtici 18. *Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul;* ergo non ſex dierum ſpatio mundus conditus eſt.

Reſpondeo ad antecedens, ſenſum loci citati non eſſe quod Deus omnia penitus ſimul condiderit, ſed ſolùm quòd Angelicam naturam cum cælo procrearit: vnde conſequentia neganda eſt.

Eodem modo explicandum eſt Concil. Lateran. ſub Leone 10. cap. *firmiter*, quando ait Deum ſimul ab initiis temporis vtrámque naturam condidiſſe, corporalem & ſpiritalem, Angelicam, & mundanam: ſi quidem docet tantū

hoc loco Concilium ſimul, id eſt eodem die, Angelos, qui ſunt ſubſtãtiæ ſpiritales fuiſſe cum corporibus cæleſtibus conditos; non autem totũ vniuerſum ſimul & in inſtanti fuiſſe productum.

Secundò obiicies, ſi ſex dies in mundi conformatione à Moſe in principio Geneſis numerati, realiter & non allegoricè intelligerentur, quomodo lux diceretur primo die facta, Sol verò quarto tantùm; cùm Sol ſit fõs luminis?

D. Thomas prima parte q. 67. art. 4. docet ex D. Auguſtino per lucem illam primo die creatam Angelos intelligi, quos Moſes lucis nomine ſignificauit, eò quòd luce, id eſt ſumma intellectus acie pręditi ſint. Alij per lucem illam intelligunt nubem lucidiſſimam. Alij denique, vt D. Dionyſius cap 4. de diuinis nominibus, per lucem eiuſmodi primo die factam, infirmam & debilem Solis lucem exponunt, antequam ſortita fuiſſet peculiares illas vires quas 4. die conſecuta eſt, & hoc etiam tempore retinet.

## QVÆSTIO QVARTA.

*Qua anni tempeſtate mundus conditus ſit.*

VErno tempore mundum fuiſſe conditum olim fuit omnium Philoſophorum, & nunc eſt omniũ ferè Theologorum ſententia. Inter Patres hanc veritatem manifeſtè docuit D. Ambr. cap. 4. Hexameron, vbi ſic habet; *Inde mundi cepi oportebat exordium vbi erat opportuna omnibus verna temperies.* Idem habet D Damaſc. de fide orthod. cap. 7. Beda lib. de ratione temporũ cap 28. D. Aug. in quæſtionibus veteris ac noui teſtamenti q. 108. & alij numero propemodo infiniti: imò eadem fuit antiquorum Aſtrologorum opinio, qui propterea Solis motum à principio arietis, in quo eſt veris initium, auſpicabantur.

Fauet ratio, conuenientius fuit vt in optimo anni tempore mundus naſceretur, atqui illud eſt ver, ergo, &c. Maior eſt omnino veri ſimilis. Minor verò probatur, vernum tempus eſt omnium maximè temperatum: nam æſtas nimio ardore flagrans vix ſuſtineri poteſt: autumnus quantumuis initio temperatus eſſe videatur, cùm tamen paululum progreſſus eſt hybernis frigoribus coniunctus, ingentium dolorũ morborúmque cauſam affert: hyems quoque triſtis frigorum, glacierum, pluuiarum, caliginum aliarúmque id genus rerum importunitate hominibus cuiuſcúmque ætatis plurimùm aduerſatur: at ver gratum, amœnum, temperatum, languidos & quaſi ſepultos hominum animos reficit, ac recreat. Itaque verno tempore mundus conditus eſt.

Nec nos mouet quod debuerit mũdus exordium ſumere in anni parte, in qua terra, & arbores fructus ſuos proferunt, quod non vere ſed autumno tantum contingit: ſi quidem probabile eſt etiam in illa prima naſcentis mundi origine terram fruges emiſiſſe, & arbores fructus ſuos protuliſſe, cùm hæc optimum mundi ſtatum compleant.

Si vlterius quæras quare & nunc fructus illi non ferantur ab arboribus verno tempore, ſed autumnali.

Reſponſio facilis eſt, eo quod fructus illi ſupremi parentis indulgentia in gratiam mundi recens nati ſuis arboribus adnati ſint, & ad autumnum vſque conſeruati, vt hoc tempore ſingulis annis colligerentur: vel dicas, arbores eiuſmodi verno tempore maturos & immaturos fructus tuliſſe, maturos ipſo vere extitiſſe: immaturos autem in autumno maturitatem fuiſſet cõſecutos, tum poſtea labentibus annis hoc ſtatuto tempore, & non alio rediiſſe.

Digitized by Google

Dubitatio quædam eſt de interitu mundi, an aliquando corrumpi debeat ſed facilè ſoluitur dicendo: mundum non ſecundum omnes partes eſſe corrūpendum, ſed ſecundum aliquas partes, verbi gratia ſecundum quædam corpora mixta Materiæ enim, elementa & cœli permanebunt, tumque accidentariò mutabuntur per ſuſceptionem nouarum perfectionum. Peregrinis nūc qualitatibus afficiuntur elementa; quę eorum naturæ diſſentaneę ſunt, ſed poſtea in vltimo die & generali iudicio his qualitatibus depoſitis ad perfectum ſtatum, & naturæ puritatem redibunt, cæli quoque noua luce perfundentur, iuxta illud Iſaiæ 30. *Erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum in die illa, &c.*

De motu cæli aliqui dubitant, an ſit adhuc futurus, ſed ſine cauſa, cùm enim non ſit amplius futurus finis eiuſmodi motus, nempe viciſſitudo rerum, ortus & interitus, quibus omnibus cœleſtis motus plurimum ſubſeruit, probabile eſt non futurum amplius orbium cœleſtium motum.

Nec huic veritati aduerſatur illud Pſal. 100. *Cæli peribunt, &c.* Si quidem hoc loco perire idem eſt ac renouari, & cœlos perire, idem eſt ac cælos renouari, videlicet per ſuſceptionem maiorum perfectionum quod ſtatuimus.

Agunt etiam hic aliqui de cauſa efficiente mundi, ſed ſatis conſtat illam non eſſe aliam à Deo, vt habemus Iſaiæ 44. *Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens cœlos, ſolus ſtabiliens terram, & nullus mecum, & conſentiunt omnes.*

Agunt denique de creatione & conſeruatione, ſed de his ſuprà agendo de cauſa efficiente.

## SECTIO TERTIA.

*De eſſentia Mundi.*

HIc mundum accipimus pro vniuerſo, quatenus omnes creaturas complectitur, ſicque definitur, *Mundus eſt ordo, & digeſtio vniuerſorum quæ à Deo, & per Deum aſſeruantur*: vel ſi accipiatur pro ſola congerie creaturarum corporearum: *Mundus eſt compages, è cœlo terráque coagmentata, ex iis naturis quæ intra ipſa continentur.* Ex qua definitione clarè intelligimus mundum non eſſe aliquod ens per ſe vnum, ſed per aggregationem eorum omnium quæ vniuerſitatis ambitu circumcluduntur.

## QVÆSTIO QVARTA.

*De affectionibus Mundi.*

PRima mundi affectio eſt quòd ſit vnus vnitate aggregationis, vt ſuperiori ſectione explicatum eſt: cùm eſſe vnum conſtat, ex eo quod ſit ens, quodlibet autē ens vnum ſit, vt docebimus in Metaphyſica. Quęritur autem an ſit omninò perfectus.

*Prima propoſitio.*

MVndus non eſt omnigena perfectione perfectus. Probatur, ſi ita eſſet perfectus, non poſſet fieri & euadere perfectior: atqui reuera poteſt mundus fieri perfectior additione, ſcilicet nouarum ſpecierum, ergo, &c.

*Secunda propoſitio.*

MVndus in ſuo genere perfectus eſt, id eſt, habet quicquid perfectionis deſideratur ad rationem vniuerſi.

Probatur, perfectio vniuerſi completa intelligitur quando omnes partes, quibus conſtari debet, abſolutam ſuam perfectionem nactæ ſunt, legitimóque ordine conſtitutę: atqui ſic ſe res habet in vniuerſo, ergo eſt vndique perfectum. Prior pars minoris patet, quia nulla eſt ſpecies quę in ſingulis

lis

Digitized by Google

506

his indiuiduis non habeat totam ſuam eſſentialem perfectionem: accidentarias autem ſaltem in permultis: vnde ab iſta partium elegantia, & pulchritudine, probabile eſt vniuerſum nomine mundi fuiſſe à Latinis donatum, quod eo nihil ſit mundius atque ornatius. Poſterior verò pars minoris, nempè omnes vniuerſi partes legitimo ordine eſſe diſpoſitas, ſuprà probata eſt, vbi egimus de loco.

Mitto (quę non paruam parit vniuerſo pulchritudinem, & venuſtatem) incredibilem illam varietatem naturarum quibus mundus abſoluitur, ſicut enim in cantu concors aliquis, & dulcis concentus efficitur ex diuerſarum vocum modulatione, ita ex diſſonantium naturarum conſenſu huius vniuerſitatis decor, & pulchritudo plurimum efflo reſcit.

Obiicies, multa eſſe in mundo ſuperflua, & indecora, imò, & malefica, vt pulices; vermes, ipſáque monſtra quę peccata, & aberrantis naturæ defectus dici conſueuerunt, ergo vniuerſum aliqua imperfectionis labe conſpergi.

Reſpondeo negando conſequentiam, hæc enim omnia quæ adducta ſunt, ſaltem ſuo modo conferunt ad pulchritudinem vniuerſitatis, quatenus nempe ea cum quibus conferuntur magis eluceſcunt, præbéntque homini magnum patientiæ & fortitudinis argumentum.

Item obijcies, ſi in mundo ſit aliqua perfectio, ergo aggregatum ex perfectione Dei & mundi erit quippiam ipſo Deo perfectius; at hoc dicere impiũ eſt, ergo &c. Probatur conſecutio maioris, perfectio addita perfectioni efficit totum perfectius, ergo ſi admittatur in mundo aliqua perfecti, eius additione ad diuinam perfectionem, efficietur aliquid ipſo Deo perfectius.

Reſp. neg. conſeq. maioris & diſtinguendo antecedens probationis: perfectio addita perfectioni reddit totũ perfectius, ſi vna perfectio in alia neque formaliter, neque eminenter includatur concedo, ſecus nego. Porrò etſi detur aliqua mundi perfectio, illa tamen continetur in diuinis perfectionibus, vel formaliter, vt communes perfectiones & gradus, vt potè ſubſtantię viuentis & intelligentis, vel tantùm eminenter, vt reliquæ creaturarum perfectiones diuinis perfectionibus diſſimiles, vtpote eſſe lapidem, eſſe lignum &c. quare adiecta mundi perfectione ad diuinam perfectionem nihil poteſt ipſo Deo conſurgere perfectius.

Hæc de trunco Phyſicæ arboris.

RAMI

# PHISICÆ ARBORIS

*RAMVS SVPREMVS, SEV Cœlum & Sphera*

## PRÆFATIO.

EXactam aſſecuturi magnæ illius Phyſicæ arboris anatomen, radices primò tum corticem, poſtea truncum luſtrauimus, nunc ramos contemplamur à ſupremo, nempe cœlo, exordium ſumentes, quod ſolito ordine explicabimus.

## DISPVTATIO VNICA.

DE COELO ET SPHÆRA.

## SECTIO PRIMA.
### ET SECVNDA.

*De nomine & exiſtentia Cæli.*

TRitum illud effatum peripateticum de quinta ſubſtantia ſatis teſtatur cœli nomine intelligi corpus aliquod ſimplex à quatuor elementis diſtinctũ, vt etiam infrà plenius confirmabitur. Conſtat etiam omnium conſenſu & experientia cœlum exiſtere. Tota controuerſia eſt de numero & multitudine cœlorum.

Quibuſdam viſum eſt vnicum duntaxat eſſe cœlum, quòd ſe haberet velut mare quoddam vaſtiſſimum, cuius ſupremo, medio & infimo ſtellæ piſcium inſtar natarent, & ab vna parte ad aliam tranſmearent.

Alij, vt videre eſt apud Plutarchum de Placitis primo, tres tantum cœlos admiſerunt.

Alij, ac certè numero & authoritate maiores, vt Plato primò de Rep. Ariſtoteles 12. Metaph. cap. 8. textu 47. innumerique alij octo omnino ſtatuerunt firmamentum, & ſeptem planetarum orbes.

Hoc tẽpore non deſũt qui duodecim recipiant, vndecim mobiles & duodecimum immobile; quod quia eſt beatorum ſedes, & domicilium, à Theologis empyreum appellatur.

Veriſſima, & receptiſſima ſententia cœlos mobiles denario numero comprehendi, quibus ex ſententia Theologorum vndecimum empyreum adiungimus.

Denarius autem ille cœlorum mobilium numerus colligitur ex decem diuerſis motibus qui in cœlis reperiuntur hoc modo. Tot ſunt cœli, quot ſunt motus diuerſi quia ex communi doctrina Peripateticorum: *Vni corpori ſimplici*, vt eſt cœlum; *vnus tantum motus eſſe poteſt*: Atqui decem diuerſi motus in cæleſtibus orbibus reperiuntur, ſeptem in ſeptem ſphæris planetarũ, quod ab omnibus conceditur, & tres in firmamento, quorum duo violenti neceſſariò eſſe debẽt, orti à ſuperioribus ſphæris, nona, & decima, vt magis declarabitur infra; ergo re vera ſunt decẽ ſphæræ mobiles: vndecima ex Theologis eſt repetenda, immobilis, quadrata, ſecundum exteriorem ſuperficiem.

Obiicies primò teſtimonium ſcripturæ ſacræ Gen. 1. *Initio Deus creauit cælum*, non cælos, ergo inquies vnicum eſt tantum cælum.

Neganda eſt conſequentia, nam citato loco per cœlum non tantùm intelligitur vna ſphæra in particulari, ſed tota cæleſtis machina, quæ vndecim orbibus continetur.

Rurſus obiicies, D. Paulus in illa mẽtis eleuatione quam habuit, raptus eſt vſque ad ſupremũ cœlum, & tamen non dicitur raptus niſi vſque ad tertium, ergo tres tantùm ſunt cœli.

Neganda eſt conſequentia: nam quando ſupremum cœlum ad quod D. Paulus raptus, vocatur tertium, non numerantur ibi omnes orbes cœleſtes in particulari, ſed primum cœlum ponitur pro mundo elemẽtari, ſecundum pro tota ſerie orbium mobilium, tertium pro empyreo, ad quod ipſe D. Paulus raptus dicitur.

Denique obiicies, ſupra firmamentũ nulla relucent aſtra, ergo fictitij ſunt illi cœli, quos ſupra firmamentum cõſtituimus.

Adhuc neganda eſt conſequentia, cùm enim cœli non dependeant ab aſtris, aliunde eorum exiſtentia colligitur, nempe ex diuerſis motibus, vt nos præſtitimus.

Digitized by Google

507

## SECTIO TERTIA.
*De eſſentia Cœli.*

## QVÆSTIO PRIMA.
*De materia Cœli.*

NE actum agamus, hic duntaxat probandum eſt aliquam cœlo ineſſe materiam contra Auerroëm lib de ſubſtantia orbis cap. 2. Durandum in ſecundum diſt. 12. q. & alios contrarium obnixè tuentes: quòd enim cœli materia ſit eiuſdẽ rationis cũ materia ſublunarium, hoc expeditum eſt ſuprà, diſputando de materia. Sic autem noſtrum inſtitutum probamus: *Cœlum eſt corpus naturale, ergo conſtat materia & forma.* Recta eſt conſequentia, nam *corpus naturale dicitur, quod materia & forma componitur.* Antecedens verò probatur: omne corpus mobile eſt naturale, vt fatentur omnes, ſed cœlum eſt corpus mobile, vt omnes vident, ergo eſt naturale.

Confirmatur, ibi debet eſſe materia, vbi ſunt quantitas, raritas, denſitas, quia hæc ſunt accidentia materiam cõſequentia: atqui in cœlis hæc omnia locum habent, vt patet ex ſe, ergo in cœlis reperitur materia.

Nec his obſtat quod profert in contrarium Durandus loco. cit. futurum inde vt cœlum poſſit corrumpi, ſi materia conſtet, nam ſuprà docuimus poſſe ſine vllo incommodo admitti cælũ eſſe intrinſecè & ratione materiæ corruptibile, quanquam extrinſecè corrũpi non poſſit defectu agentium quæ ipſum deſtruere, & eius formam expellere valeant.

## QVÆSTIO SECVNDA.
*De forma Cœli.*

### ARTICVLVS PRIMVS.
*Quænam ſit forma Cœli.*

DAri aliquam in cœlo formam non ambigitur, ſed tantùm controuertitur quænam illa ſit, an anima, ſiue vegetans, ſiue ſentiens, ſiue rationalis, an forma quædam elementaris, ſeu alicuius elementi, an verò quædam ſpecialis ab illis omnibus diſtincta, Ad expoſitionem veritatis ſit.

*Prima propoſitio*

FOrma Cœli non eſt anima, ſiue vegetans, ſiue ſentiens, ſiue rationalis.

Probatur primò authoritate D. Aug. in lib. de duabus naturis cap. 4. vbi muſcam Soli anteponit quod animata ſit, Sol verò non item.

Fauet ratio, anima eſt tantum forma & actus corporis organici, ex ſecundi de anima capite primo atqui in cœlis nullus apparet organorum apparatus, fabula enim eſt & poëtarum ridicula narratiuncula Solem eſſe cæli oculum quo videt, polos aures quibus audit, & ſic de cæteris, ergo cœlorum forma non eſt anima.

Confirmatur, ſi cœlum eſſet animatum, vtique deberet per aſſumptum alimentum quotidie nutriri: vt etiam conceſſit Heſiodus: atqui intelligi non poteſt quo pacto tam immenſum corpus per aſſumptum alimentum nutriri poſſit, nec certè pabulum ſufficiens facilè inueniretur: nam omnes vapores qui ex mari à mundi initio extracti ſũt, ſimul conglobati vix ſufficerent ad minimum cæli ientaculum: ergo cœli non ſunt animati, ſeu cœlorum forma non eſt anima.

Obiicies Ariſtotelem 2. de cœlo cap. 2. & 12. Metaph. cap. 7. conceptis verbis aſſerere cælum eſſe animatum.

Reſpondendum eſt cælum ab Ariſtotele non accipi pro ſolo illo corpore, quod vulgò cęlum nuncupamus, ſed etiam pro intelligentia aſſiſtente, à qua arbitratur cælum moueri, ratione cuius intelligentiæ mentem & rationem videtur cęlo tribuere.



Digitized by Google

Rurſus obiicies illud Pſal. 135. *qui fecit cælos in intellectu*, id eſt intellectu præditos,

Reſpondo negando gloſſam: ſenſus enim tantùm eſt Deum in intellectu, ſeu ſecundum diuini ſui intellectus ſapientiam cælos condidiſſe, non autem intellectuales creaſſe.

Denique obiicies illud D. Hieronimi Pſalmum illum exponentis, *vt circuitu pergit ſpiritus, & in circulos conuertitur*: vbi docet nomine ſpiritus vel Solem intelligi, vel mundi animam, de qua ſic locutus eſt Virgilius 6. Æneïdos, *Spiritus intus alit, totámque infuſa per artus, Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.*

Reſpondeo à D. Hieronimo per ſpiritum Solem intelligi, non ratione naturæ Solis, quaſi viuifico ſpiritu informetur, ſed ab effectu, quod influxu ſuo rebus omnibus vitam inſpiret: illum porrò non probare verſum Virgilianum de mente mũdi ſecundum ſenſum eorum qui mundum mente & anima præditum aiunt, ſed ſecundum altiorem interpretationem, intelligendo per mentem mundi, non animam quâ informetur, ſed Deum ipſum omnia mouentem & conſeruantem,

*Secunda propoſitio.*

EAque Ariſtotelis & omnium Peripateticorum forma cœli diſtincta eſt à formis elementorum ipſumque cælum eſt ſubſtantia ab elementari diſtincta, & non ex illa compoſita.

Ratio eſt, quia animaduertimus aliquas proprietates in cælis omnino diuerſas à proprietatibus elementorum, vt quod in orbem agitentur, elementa verò vel ſurſum vel deorſum tendant, item formas elementorum ſequuntur primæ qualitates, calor, frigus, humor, ſiccitas, quæ omnis pugnæ & interitus cauſę extant, nec tamen in cælis reperiuntur; quæ omnia ſatis euincunt cælorum formas debere eſſe diuerſas à formis elementorum, & ſic cęlum eſſe quintam ſubſtantiam à ſubſtãtia elementari diſtinctam.

Obiicies primas qualitates cælis tribui, Lunæ enim & Veneri attribuitur humiditas. Mercurio cùm humiditas, tum ſiccitas; calor Soli, & Marti, vt etiam Ioui, ſed moderatus: Saturno denique ſumma frigiditas: imò & ſecũdę qualitates, vtpotè colores, in cælis reperiuntur, tamen, ſolis corporibus mixtis competunt: ergo, inquies, vel cæli ſunt vnum ex elementis, vel ex illis componuntur.

Reſpondeo ad antecedens, nec primas qualitates ineſſe cęlo, affectu & reipſa, ſed tantum effectu & virtualiter, & ſic vnam ſtellam non eſſe reipſa frigidam, vel calidam, ſed virtute tantum; nec veros colores in ipſis cęlis reperiri, ſed tantùm apparentes, totámque ipſorum colorum qui in diuerſis aſtris videntur diuerſitatem peti à luce variè modificata, ſeu attemperata quæ ſic modificari dicitur, vel ob maiorem minorémve à Sole diſtantiam, vel ob maiorem minorémve materię raritatem ſimiléſque cauſas; vnde ex illis non poteſt inferri cælum, vel eſſe vnum ex elementis, vel ex ipſis concretum.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*An ſit tantum vna in omnibus cælis ſubſtantialis forma.*

AFfirmauit Auerroës ſecundo de cœlo, commento 44. Iandunus eodẽ lib. q 10. Durandus in 2. diſt. 14. q. 2. & alij. Contrarium tamen docet Ariſtoteles 2. de anima cap. 2. quem ſecuti ſunt Albertus Magnus tract. de quatuor coæuis q. 4. artic. 4. D. Tho-

Digitized by Google

ma 2, contrà gentes cap. 62. & plures alij.

Accedit ratio, quicquid dicant contrariæ ſententiæ aſſertores, ſi germanæ philoſophiæ decretis ſtandum ſit, diuerſæ proprietates, diuerſáque loca naturalia arguunt diuerſitatem formarum ſubſtantialium, & conſequenter ſpecificum ac eſſentiale diſcrimen inducunt, vt patet in ipſis rebus ſublunaribus: atqui variæ ſunt in variis cœlis proprietates: Luna efficit maris reciprocationem, alij planetæ exſiccant, humectant alij, alij calefaciũt, frigefaciũt alij. Itẽ quemadmodũ rectus ordo elementorum poſtulat, vt terra aquę, aqua aëri, aër igni ſubſit, ita cœlorum pulchritudo, & ordinatio exigit, vt orbis Lunę ſub orbe Mercurij, hic ſub orbe Veneris, & ſic de cæteris cõtinuata ſerie collocetur, ergo ex his ſaltem probabiliter arguitur diuerſas eſſe in diuerſis cœlis ſubſtantiales formas, & ex conſequenti illas non accidentariò tantùm, ſed verè eſſentialiter differre.

Nec debent in eadem ſpecie collocari cœli omnes propter communia quędam accidentia, quæ materiam conſequuntur, vt ſunt quantitas, denſitas & ſimilia, illa enim duntaxat identitatem materiæ arguere poſſunt, non formarũ: proindéque relinquunt ſemper in cœlis diſcrimen eſſentiale, ex parte diuerſarum formarum ſubſtantialium.

## ARTICVLVS TERTIVS.

### *Vtrum aſtra à ſuis orbibus eſſentialiter diſtinguantur, formámque ſubſtantialem diſtinctam habeant.*

PLerique affirmant, vt Heraclides, & Pythagoreorum nonnulli, qui quodlibet aſtrum, vnum mundum ex terra & aëre conflatum, ſtatuerunt. Anaximander, qui ipſa aſtra ex ære compoſuit, & inſtar rotæ in gyrum egit, ignéque impleuit propter flammas quas quotidie euomunt. Xenophanes qui ex imbribus ignitis ſtellas efformauit. Anaxagoras denique qui aſtra ingentes quoſdam lapides, ipſúmque mundi oculum ſolem ingens ſaxum eſſe arbitratus eſt. Verum hæc ſunt rudioris ſæculi & balbutientis ad huc philoſophię figmenta: nunc vbi magicam excreuit ſapientia res omnino plana habita eſt, & omnium firmata conſenſione aſtra non diſtingui ſpecie & natura ab orbibus quibus affixa ſunt, nec diuerſam ab illis formam ſubſtantialem obtinere, Antequam verò hæc ſententia exactius confirmetur: Notandum primò erit in quolibet totali orbe has partiales reperiri: primus eſt excentricus ſimpliciter: ſecundus & tertius dicuntur excentrici ſecundùm quid, quartus epicyclus in quo corpus planetæ, vel ſtellę continentur excepto Sole, quem nullum epycyclum ſortiri aſtronomi tradiderunt.


Excentricus orbis ſimpliciter eſt ille qui ſecundum craſſitiem omnino vniformis eſt, habétque centrum à medio mundi diuerſum, tam ſecundum ſuperficiem concauam, quam conuexam.

Infra vtérque non ſeruat æqualem in omnibus ſuis partibus craſſitiem, ſed habet partes alias craſſiores, alias tenuiores, eo tamen modo vt craſſiores inferioribus reſpondeant, tenuioribus ſuperiores & vice verſa.

Denique in illis hic ordo cernitur vt ſuperior ratione ſuæ conuexæ ſuperficiei habeat centrum ſeu medium mũdi pro centro, ſecundùm verò concauum centrum expoſcat à centro mundi diuerſum: Inferior verò è contra ratione ſuperficiei ſuę conuexæ habeat pro centro aliquid diuerſum à mundi centro, ipſum tamen mundi centrum

agnoſcat ratione ſuæ concauæ ſuperficiei.

Poſtremò epicyclus eſt ſphærula quędam ſolida intra craſſitiem centrici orbis ſimpliciter deſcripta, quæ proprium centrum habuit, circa quod voluatur diſtinctum à centro mundi & excentricorum omnium circulorum: Sed quia hæc valdè intricata ſunt, illa præſēti figura enucleatiùs explicabim°.




In hac figura primò conſiderandi ſunt tres circuli, primus eſt ſuperior excentricus ſecundum quid, per lineā nigram deſcriptus, cuius conuexa ſuperficies habet centrum H, quod vniuerſi centrum eſt: concaua verò habet centrum G, quod ab vniuerſi centro ſeu medio diuerſum eſt.

Secundus circulus eſt excentricus ſimpliciter per lineam albam deſcriptus, qui tam ratione ſuæ conuexæ quàm cōcauæ ſuperficiei centrum G, à mundi centro diſtinctum agnoſcit. Intra hunc circulum deſcribitur paruus circulus qui dicitur epicyclus, & ducitur à centro, quod diuerſum eſt, tum à centro mundi, tum aliorum excentricorum circulorum.

Tertius eſt excentricus ſecundum quid inferior per lineam etiam nigram deſcriptus, cuius concaua ſuperficies habet centrum H, quod eſt totius mundi centrum; conuexa verò ſortitur centrum G, à priori diſtinctum vt poſita figura non obſcurè declarat.

Notandum præterea hos omnes partiales orbes non eſſe inter ſe continuos ſed tantum contiguos.

Notandum tertiò eos eſſe eſſentialiter, ſpecie diſtinctos, variiſque formis ſubſtantialibus informatos, tum quia diuerſis motibus agitantur, tum quia diuerſa loca ſibi à natura præfixa exigunt, ex quibus, tum elementorum, tum cœlorum eſſentiale diſcrimen & formarum ſubſtantialium diuerſitatem deduximus.

His notatis, quoniam diximus aſtra eſſe idem cum ſuis orbibus, id non de omnibus partialibus intelligi poteſt, alias cùm tres ſint eſſentialiter diſtincti, quodlibet aſtrum eſſet idem eſſentialiter cum tribus eſſentialiter diſtinctis, quod eſt impoſſibile, ſed tantum intelligitur de orbe cui aſtrum affixum eſt, vt de epicyclo quando illi aliquis planeta affixus eſt, cùm enim ſtellæ omnes ſint tantum denſiores orbis ſui partes, non niſi accidentariò ab illo diſtinguuntur, quod non tantum de planetis ſuo epicyclo affixis, ſed etiam de ſtellis in firmamento collucentibus, intelligi debet.

Dixi quando epicyclo aliquis planeta affixus eſt, ſi enim verum eſt quod docent aſtronomi, Lunam non continuari cum epicyclo, ſed in illo tantum contineri, vt gemma in annulo comprehenditur, propriòque motu cieri diſtincto à motu epicycli, dicendum eſt, Lunam eſſe eſſentialiter diſtinctam à ſuo epicyclo, vt diuerſum ab illo motum ſubit, ita diuerſam formam ſubſtantialem ſortiri.

*BREVIS APPENDIX AD SVPRAdicta, de diuiſione cœli & ſphæra in ſuos circulos, aliiſque eò pertinentibus.*

Digitized by Google

## SECTIO PRIMA.

*De diuiſione cœleſtis ſphæra in ſuos circulos generatim.*

PRiuſquam cœli diuiſionem attingamus nonnulla ſunt ad noſtrum propoſitum ſumenda ex doctrina Ioannis à Sacroboſco, quem omnes tanquam aſtronomiæ principem reuerentur ac ſuſcipiunt.

Primò igitur notandum ex primo capite ſphæræ illius, ſphæram dupliciter diuidi, primò ſecundum ſubſtantiam, quo pacto illam diuidit in nouē orbes, & nos in vndecim ſupra diuiſimus. Secūdò diuidi poteſt diuiſione accidentali in ſphærã rectam & obliquã.

Sphæra recta eſt, cùm neuter polorũ, ſeu cardinum, magis altero ſublimatur, qualem habent qui ſub æquinoctiali, & in medio zonæ torridæ manent. E contrario ſphæra obliqua dicitur, cùm alter polorum magis alio eleuatur, qualem obtinent qui ſunt vltra æquinoctialem plagam, & habitant in aliis Zonis, ſiue temperatis, ſiue frigidis, de quibus infrà.

Notandum ſecundò in ſphæra omnia hæc reperiri, primò reperitur ſuperficies aliqua concaua, quam cogitamus eſſe in primo mobili, deinde cētrum quod medium eſt.

Tertio axis, ſeu diameter, qui ab vna extremitate ſuperficiei illius concauę cœli tranſit ad alteram ſibi oppoſitam per centrum mundi. Poli denique Arcticus, & Antarcticus: qui ſunt duæ ipſius axis extremitates.

Polus Septentrionalis quem conſpicimus, Arcticus dicitur, ea ſcilicet ratione quòd ſit vicinus illi ſtellę, quæ Græcis Ἄρκτος, à Latinis vrſa dicitur, ſēperque circa eiuſmodi polum lentiori agitatu circumoluitur.

Meridionalis verò polus, ab oppoſitione quam habet cum Septentrionali & Arctico, Antarcticus dicitur.

Arcticus nobis ſemper apparet & eleuatur ſupra horizontem, Antarcticus verò nobis abſconditur, & tantùm deprimitur, quantùm Arcticus attollitur. Audite Virgilium primo Georgicorũ.

*--Hic vertex ſemper ſublimis: at illum*
*Sub pedibus Styx atra videt, manéſque profundi.*

Notandum tertiò ex poli eleuatione colligi obliquitatem ſphærę: & ita tot gradibus obliquè conſiſtere quot illi ſunt, quibus ipſe polus de terrę vicinia recedens ad altiora ſublimatur. Communis eſt omnium aſtronomorum ſententia, imò & quotidiana praxis nauigantium: ſi enim ob repente ſubortam tempeſtatem contigerit eorum nauem à recto tramite deuiaſſe, vt qua in prouincia, quáue in mūdi parte ſint explorare poſſint, ad polum Arcticum ſe cōuertunt, nituntúrque quot à terra gradibus eleuatur comperire, vt inde iudicent in quo terræ tractu, & quàm remotò ab æquinoctiali plaga, in ſphæra recta eſt, conſiſtant.

His notatis author ſphærę Ioannes à Sacroboſco cap. 2. circulos ſphæræ diuidit in maiores & minores.

Maiorem circulum hunc eſſe ait, qui ſupra ſphæram deſcriptus illam ſecat in partes æquales, ſicut è contrario circulum minorem vocat, qui deſcriptus in ſuperficie ſphæræ illam diuidit in partes inæquales.

Maiores circuli ſunt ſex, æquinoctialis, zodiacus, duo coluri, meridionalis, & horizon.

Minores quatuor, tropicus cancri, tropicus capricorni circulus arcticus, & circulus antarcticus, de quibus omnibus tam maioribus, quàm minoribus ſigillatim agendum eſt.

## SECTIO SECVNDA.

*De circulis ſphæra in particulari.*

## QVÆSTIO PRIMA.

Digitized by Google

*De circulis maioribus.*

## ARTICVLVS PRIMVS.

*De circulo æquinoctiali ſeu æquatore.*

CVm definitio circuli maioris omnibus circulis maioribus conueniat, facile eſt definire quid ſit hic primus circulus maior, putà æquin.

*Æquinoctialis eſt circulus ſphæram in duas partes æquales diuidens, & ex æquo ſecundũ omnem ſui partem à polis mundi diſtans,* quippe qui ipſam ſphæram vndique ſcindat, & ab oriente in occaſum pergens per occidentem, redit ad ortum æquali ſemper ductu, vnde fit vt ęqualiter omni ex parte à polis mundi ſtare cenſeatur.

Æquinoctialis autem dicitur eò quòd Sol per illum tranſiens dies artificiales æquales noctibus faciat: quod vt intelligatur.

Notandum eſt duplicem diem ab Aſtronomis conſtitui, vnum naturalẽ, alterum artificialem. Naturalis ille eſt qui deſumitur ex motu 1. mobilis ſibique ſemper eſt æqualis, & viginti quatuor horis conſtat. Artificialis verò ille eſt, qui ab ortu Solis incipit, & ad eius occaſum terminatur, nec ſibi ſemper æqualis, ſed continuò variatur.

Dicitur autem artificialis, quod in eo artifices ſoleant operari, & in eius fine à ſuis laboribus conquieſcant.

Hoc notato circulus ille æquinoctialis de quo hîc ſermo eſt, ideò æquinoctialis dicitur; quòd Sol per illum trãſiens noctes & dies artificiales ſibi omnino ſimiles omnino efficiat. Excipe illos qui ſub polis habitant, quoniam hi nunquam diẽ artificialem nocti æqualem habent, ſed ſex integros menſes die perfruuntur, totidem verò menſibus in noctis tenebris verſantur.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*De Zodiaco circulo.*

CIrculus Zodiacus eſt vnus ex maioribus ſphærę circulis illam in duas partes æquales diuidens, ipſúmque etiam æquinoctialem circulum in duo æqualia interſecat, à quo non ſecus interſecatur, vt auctor eſt Sacroboſco c. 2. ſphærę intuitu deprehendi poteſt

Dicitur Zodiacus à Græco vocabulo ζωὴ, Latinè vita: quia, inquit idem auctor, omnium planetarum motus ſub illo fiunt, qui viuifico quodam influxu vitam cæteris rebus impertiunt.

Alij hunc circulum obliquum appellant, eo quod obliquè ſpæram cingat, habeátque vnam extremitatem in vno tropico, & alteram in altero. Quid verò ſit tropicus ſtatim declarabitur.

Denique ab aliis hic circulus Signifer vocatur, eo quod ſigna ferat, ſeu duodecim ſtellas quas Sol ſuo motu peragrat, quæ quidem ſtellæ & ſigna non malè hoc diſticho cõprehendũtur.

Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo,
Virgo, Libráque, Scorpius, Arcitenens,
Caper, Amphora, Piſces.

Hæc autem omnia ſigna ab Aſtrologis certis quibuſdam figuris notantur; ſiue quòd eorum ſcientia ab Ægyptiis, qui omnia in imaginibus referebant, ad nos manauerit; ſiue quod veteres doctrinam illam de ſignis cœleſtibus, vt planè diuinam, voluerit quibuſdam ſignis & inuolucris abſcondere. Vt autem diſtinctiùs notentur illæ figuræ, & quæ vni conueniat ſigno dignoſcatur, ea quæ vni propria erit ſupra ipſum collocabitur.

♈ ♉ ♊ ♋ ♌
Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo,
♍ ♎ ♏ ♐
Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius,
♑ ♒ ♓
Capricornus, Aquarius, Piſces.

Cæterum,

Cæterum, priuſquam ab huius circuli expoſitione manum retrahamus, aliqua de ipſis ſignis, tum de linea ecliptica in medio ipſius circuli contenta, tum denique de eclipſis Solis & Lunæ, eiuſdémque Solis per omnia illa ſigna ingreſſu, ſubiiciemus.

Quod ſpectat ad ſigna Zodiaci, primũ eſt Aries, ea fortaſſe ratione, quia, cùm Sol ſignum iſtud ingreditur, *Omnia tunc florent, tunc eſt noua temporis ætas*, ab hoc ſigno ducitur dierum & noctium æqualitas, ſeu æquinoctium vernale: ſicut in Libra illi oppoſita æquinoctium autumnale naſcitur.

Conſtellatio eſt duodecim ſtellis exiguę lucis inſignis, rapidóque motu agitur, ex Ouidio primo Faſtorum.

Dicitur etiam fortaſſe hoc ſignum Aries, quia quemadmodum Aries eſt animal calidum, ita Sol in hoc ſigno exiſtens ſuum in hæc inferiora calorem incipit fortius immittere.

Huic ſigno ſuccedit Taurus ita dictus, propter ſimilitudinẽ quã habet cum animali terreſtri, quod communiter Taurus dicitur: ſicut etiam cum vacca, vnde etiam à nonnullis vacca nuncupatur, potiſſimum ab Ouidio.

*Vacca ſit, an Taurus, non eſt cognoſcere promptum.*

Stellarum verò numerus quibus componitur non eſt certus, ſed ab illis maior, ab aliis minor ſtatuitur, ab Ouidio ſeptenarius.

*Cuncta micant Tauri ſeptem radiantia flammis.*

Alii Aſtrologi hanc conſtellationem octodecim ſtellis inſignitã eſſe tradunt alij denique re nondum ſatis explorata aliter ſentiunt.

Tertium ſignum ſunt Gemini apud poëtas, Caſtor & pollux, quorum fabula, quæ ſatis nota eſt, prætermiſſa, de eorum tantum diſpoſitione agimus, quæ talis eſt vt Caſtor propius Taurum contingat, Pollux verò ſit cancro vicinior: quibus ſtellis inſigniatur hęc conſtellatio, procerto non habetur, ſed ab aliis plures ab aliis pauciores ſtellæ illæ ſtatuuntur.

Quartum Zodiaci ſignum, ſeu conſtellatio eſt Cancer, quæ quidem conſtellatio ſecundum nonnullos octo ſtellis componitur, ſecundum alios, innumeras aceruatim congeſtas complectitur. Hoc ſignum cùm primum ingreditur Sol, ſolſtitium æſtiuale facit ſtatímque quaſi terminum ſibi præfiſixum pertimeſcat, regreditur.

Huic ſuccedit Leo animal virtutis penè incredibilis, ob eam fortaſſe cauſam, quòd Sol ſtatim poſt ingreſſum in iſtud ſignum intenſiores radios eiaculari & calorem vehementiorem producere ſoleat.

Poſt Leonem Virgo locum habet, quæ eſt conſtellatio quatuor ſtellis inſignis, vt benè aduertit Aratus: hanc vocat Manilius ſpiciferam, eò quòd ſpicam manu geſtare videatur, nec quidem immeritò, cum Sol illam eo tempore ingrediatur, quo terra ſuos fructus agricolis colligendos exhibet.

Virginem ſequitur Libra, quæ ſic dicitur quod diem & noctem æquo pondere examinet.

Octavum ſignum eſt Scorpius conſtellatio ingentis magnitudinis quæ hybernæ importunitatis præbet initium.

Nonum eſt Sagittarius, vel Sagittipotens, vt loquitur Tullius, tredecim ſtellas complectens, & ita ſe habens, vt cùm Sol illud ingreditur, hyems ſæuire incipiat.

Decimum eſt Caper, ſeu Capricornus, à poëtis Pan in cœlum euectus & inter cœleſtia ſigna Iouis imperio collocatus.

Vndecimum eſt Aquarius formoſus il le adoleſcens, quem à diis raptum fingunt Poëtæ, & in cœlo collocatum vt ijs pocula miniſtraret: quadraginta quinque ſtellæ in hac conſtellatione continentur aquæ profundendæ aſſuetæ, vnde Aquarij nomen manauit.

Poſtremum ſignum ſunt Piſces, ita fortaſſe dicti, quòd aquis ab Aquario fuſis innatent. In hoc ſigno Solis curſus terminatur, & redire noui anni exordium oſtendit.

Quod ſpectat ad lineam eclipticam, illa ſic dicitur quòd in ea fiat eclipſis Solis, paritérque Lunæ.

Notandum enim diligenter Solem ſuo motu totum ſpatium ſub illa linea contentum traiicere, nec ab illa verſus vllam partem deuiare, ideóque propriè Solis eclipſim, ſeu defectum contingere. quando Luna quæ inferior eſt, & media inter Solem & terram ſub eadem linea decurrens in nouilunio, ſeſe ponit inter Solis corpus & noſtrum aſpectum; tunc enim cùm ſit corpus denſum, ipſum Solem nobis obumbrat & abſcondit, facítque ſępiſſimè vt Sol duas in partes videatur diuiſus; quoniam ſcilicet cùm Luna longè ſit minor Sole, illum omnino occultare non poteſt, ſed partem dumtaxat aliquam: quòd ſi directè ſub medio Solis conſtituatur, mediam tantum partem occultabit, extremæ verò tanquam duæ Solis partes diſiunctæ, vel etiam tanquam duo Soles apparebunt,

Ex quo intelligis eclipſim illam Solis, quæ tempore Dominicæ paſſionis contigit, non fuiſſe naturalem, ſed omninò miraculoſam, & pręter ordinarium naturæ curſum, cùm Solis eclipſis oriatur tantùm Luna cum Sole coniuncta, ſeu in nouilunio: ea -ò contigerit in plenilunio, quando Sol & Luna inter ſe oppoſitionem ſeruabant.

Lunæ autem defectus accidit cùm Luna tota orbe plena Soli è diametro opponitur, & cum illo ſub linea ecliptica rotatur: contingit enim tunc terram interiici inter Solem & Lunam & cùm terram magnitudine multoties Lunam ſuperet, impedit ne ipſa Luna radios à Sole emiſſos recipiat, illóſque in noſtrum aſpectum reiiciat, quod eſt Lunam pati eclipſim.

Denique, quod ſpectat ad ingreſſum Solis in ſigno Zodiaci, ille hac ratione efficitur. Sol. 21. die Martij Arietem ingreditur, 21. Aprilis Taurum, 22. Maij Geminos, 22. Iunij Cancrum, 23. Iulij Leonem, 23. Auguſti Virginum, 23. Septembris Libram, 24. Octobris Scorpium, 23. Nouembris Sagittarium 22. Decembris Capricornum, 22. Ianuarij Aquarium, 19. Februarij Piſces.

Quodlibet porrò ſignum triginta gradus ſuæ latitudinis complectitur, per quos Sol ſuo naturali motu voluitur. Quare ſi illi omnes inter ſe coniungantur, trecentos ſexaginta gradus conficient, quibus totus ſphæræ ambitus continetur. annúſque conſtat, & abſoluitur,

Annus verò ille quatuor tempora complectitur: vernale, æſtiuale, autumnale, & hyemale,

Ver initium habet, Sole primum arietis gradum ingrediente, quo tempore æquinoctium vernale naſcitur, vt dictum eſt.

Æſtas incipit eo tempore, quo Sol primum cancri gradum ingreditur, & fit æſtiuale ſolſtitium.

Autumnus oritur: cùm Sol in primo libræ gradu excipitur; & tunc alterum æquinoctium, autumnale videlicet, habet exordium.

Hyems denique incipit cùm Sol in

Digitized by Google

primò Capricorni gradu exceptus, per Aquarium & Piſces progrediens nititur annuum curſum abſoluere.

Denique priuſquam hunc circulum abſoluamus, duo obſeruatione digna ſubiicienda ſunt primum in Zodiaco dari duos alios polos diſtinctos à polis totius vniuerſi, ſupra quos agitur. Conſtituuntur verò illi in diſtantia à Zodiaco, quatenus ad duos tropicos declinat, vt ſphæræ ſtructura oſtendere poteſt.

Alterum eſt ex laudato ſphæræ auctore capite tertio, titulo *de diuerſitate dierum & noctium artificialium per omnia terræ loca*, hoc diſcrimen eſſe inter eos qui ſphæram rectam habent manéntque ſub æquatore, & eos qui ſphęram obliquam obtinent, & ab æquinoctiali circulo remoti ſunt: quod illi bis in anno ſolem in vertice capitis, aliter *Zenith* habeant, ſemel in primo Arietis puncto, & iterum primo Librę gradu: Hi verò non item, ſed vel nunquam habeant Solem in *Zenith*, ſi ſcilicet maneant extra tropicos, & Zonam torridam; vel ſemel tantùm habent, ſi intra tropicos & Zonam torridam, non tamen ſub æquatore exiſtant.

## QVÆSTIO PRIMA.
### *De duobus coluris.*

DVo coluri ſunt circuli maiores ſphæram in duas partes æquales diuidentes, ſéque etiam per mundi polos, & ipſum æquinoctialem circulum interſecantes quorum vnus per polos Zodiaci tranſiens ipſum Zodiacum per primum cancri & capricorni gradum ſecat, vbi duo ſolſtitia, æſtiuale ſcilicet in primo cancri puncto, & hyemale in primo capricorni gradu conſtituit, & diſtinguit: alter verò per polos mundi tranſiens diuidit Zodiacum in primis Arietis, & Libræ gradibus: vbi duo facit æquinoctia, vernale in primo gradu Arietis, & autumnale in primo Librę puncto, vt ſuprà demonſtrauimus, & ſphæræ intuitu facilè percipitur. Prior autem colurus, quod ſolſtitia diſtinguat, dicitur ſolſtitiorum; poſterior, quod ſecernat æquinoctia, æquinoctiorum appellatur.

His coluris quædam aſdcribũtur officia, primum ac generale, quòd æquinoctia & ſolſtitia diſtinguunt: Peculiariter coluro ſolſtitiorum tribuitur quod 12. ſigna in duas claſſes diuidat, in quarum vtráque ſex contineantur: in ea quæ à cancro incipit, iſta, Cancer, Leo, Virgo, Librę, Scorpius, Sagittarius: in altera, quæ habet initium à Capricorno hæc, Capricornus, Aquarius, Piſces, Aries, Taurus, Gemini.

Eidem coluro aſcribitur maximas Solis ab æquatore declinationes metiri, cùm enim Sol ſuo motu naturali ad hunc circulum, ſiue ex parte ſeptentrionali in principio cancri: ſiue ex parte auſtrali, ſeu meridionali in principio Capricorni peruenit, maxima tunc eſt ipſius Solis ab æquatore declinatio, quoniam vlterius non progreditur, ſed ſtatim ad ipſum æquatorem reuertitur: ſumma autem illa Solis ab æquatore declinatio viginti tres gradus comprehendit cum quibuſdam minutis, quæ ab aliis plures: ab aliis pauciores ponuntur, vt videre eſt apud Clauium ad cap. 1. ſphæræ Ioannis à Sacroboſco.

## ARTICVLVS QVARTVS.
### *De meridionali circulo.*

SAcroboſco eodem ſemper pede in ſuæ ſphæræ explicatione progre-



Digitized by Google

diens meridionalem circulum illum eſſe ait, qui per polos mundi tranſit, & per *Zenith* capitis noſtri: eſt autem *Zenith*, vt dictum eſt, punctum illud verticale, quod ſupra noſtrum caput directé conſtituitur, cui aliud è regione opponitur, & *Nadir* dicitur. Dicitur autem circulus ille meridianus à medietate diei artificialis, quia vbicúmque ſit, homo & quodlibet anni tempore cùm Sol primo mobilis impetu raptus ad eius meridianum peruenit, tunc ei fit meridies.

Notat hîc auctor ſphærę eundem meridioneam circulum illis non eſſe, qui propiùs ad Orientem accedunt, & illis qui magis ab illo remouentur; ideóque eas omnes ciuitates quæ habent eundem meridiem, æqualiter ab Oriente & Occidente diſtare.

Ex quo colligitur primò circulum meridionalem vnum habere, quo tum ab æquatore, tum à Zodiaco coluríſque diſtinguatur. quod ſcilicet ſit variabile, & pro diuerſis terræ tractibus diuerſis diſtinguatur, imò tot meridionales circuli concipi poſſint, quot ſunt *Zenith*, ſeu puncta verticalia. Prędicti verò circuli ſunt omnino in ſphæra immobiles, nec pro diuerſis regionibus variantur.

Colligitur ſecundò in meridiano circulo Solem aliáque aſtra ſummam habere altitudinem, quia ſcilicet ſunt in verticali puncto ad quod aſcendebant, & quod ſtatim deſcendendo à tergo relinquunt.

## ARTICVLVS QVINTVS.

### *De Horizonte.*

HOriſon eſt circulus maior ſphæram in duas partes æquales diuidens, duoque inde hemiſphæria efficiens; alterum ſuperius; quod habitantium oculis obiicitur, alterum inferius quod pedibus ſubjacet. Dictus autem eſt circulus iſte horizon ſeu terminator, definitor, eò quod viſum noſtrum terminet, ſicque totum illud ſpatium cœli, quod oculus in plano conſtitutus ſublatis omnibus impedimentis intueri poteſt.

Cæterum reſpectu habitantium horizon duplex, rectus ſcilicet, & obliquus: ille in illis tantùm admittitur qui ſphæram rectam obtinent, & ſub æquatore habitant. Obliquus verò illis omnibus conuenit qui obliquam ſphæram ſortiuntur, & ſub æquinoctiali circulo non manent.

Ex quo ſequitur hunc circulum cum meridiano in eo conuenire, quòd varietur pro diuerſis terræ partibus, ſicut meridianus; proindéque etiam ab æquatore, Zodiaco & coluris immobilibus perſpicuè diſcrepare.

## QVÆSTIO SECVNDA.

### *De quatuor minoribus Circulis,*

QVatuor numerati ſunt circuli minores in ſphæra, duo tropici, vnus Cancri, alter Capricorni, circulus Arcticus, & circulus Antarcticus.

Tropicus Cancri eſt circulus à Sole in principio Cancri exiſtente, & ibi primi mobilis motu circumacto deſcriptus. Vocatur etiam æſtiualis, quod Sole in Cancro exiſtente, & talem circulum deſcribente ęſtas incipiat. Vocari etiã poteſt meta & terminus Solis ad partem Septentrionalem, quia Sol nunquam illum prętergreditur, ſed vbi ad illum perductus eſt in contrariam partem reuertitur, & ad æquinoctium partéſque meridionales redit.

Similiter Tropicus Capricorni eſt circulus deſcriptus à Sole in primo Capricorni gradu exiſtente, & ibi primi mobilis raptu & impetu concitatiſſimè in orbem acto.

Dicitur quoque hyemalis Tropicus ille, quòd Sole in hoc gradu exiſten-

Digitized by Google

re, & talé circulum deſcribente hyems oriatur: nec non etiam eſt altera meta Solis curſum illius verſus Auſtralem, & Meridionalem plagam terminans, ita vt vltrà non proficiſcatur, ſed ſtatim regrediatur.

Circulus Arcticus eſt ille, qui deſcribitur à polo Zodiaci circa polum Arcticum mundi, & tantùm ab ipſo vniuerſi polo diſtat, quanta eſt maxima declinatio Solis ab æquatore, ſeu clariùs quantum diſtat Tropicus ab æquatore.

Circulus denique Antarcticus eodem modo intelligitur, éſtque circulus à polo Zodiaci circa polum mundi Antarcticum deſcriptus, & iiſdem ab illo diſtans gradibus, quibus maxima Solis verſus Auſtrum declinatio diſcernitur.

## QVÆSTIO TERTIA.

*De quinque Zonis.*

EX ſphæræ circulis deducit Sacroboſco quinque Zonas: quæ à Geographis parellelæ dicuntur, quòd ſcilicet æqualiter omni ex parte diſtent, nec vnquam coëant.

Prima eſt torrida, quæ continet totum illud ſpatium quod inter duos Tropicos interiacet.

Duæ aliæ dicuntur temperatæ, quæ totum illud ſpatium complectuntur, quod inter Tropicos & circulos polares interiicitur.

Duæ poſtremæ dicuntur frigidæ, quæ circumſcribuntur à Circulo Arctico & Antarctico circa mundi polos.

Notandum verò eſt Zonas non tantam in cælis conſtitui, ſed etiam per proportionem in terra; & ita Zona torrida vocatur in terra, ea pars quę correſpondet illi toti ſpatio, quod inter vtrúmque Tropicum interiacet: duæ temperatæ, quæ cæleſtibus temperatis, & duæ frigidę quæ frigidis directè ſubiiciuntur.

Porrò harum Zonarum, tam in cœlo, quàm in terra mentionem fecerunt nobiliſſimi poëtæ, cœleſtium, Virgil. Primo Georg.

*Quinque tenent cœlum Zonæ, quarum vna coruſco*
*Semper Sole rubens, & torrida ſemper ab igne;*
*Quam circum, extremæ dextra, læuáque trahuntur*
*Cærulea glacie concreta, atque imbribus atris,*
*Has inter mediámque duæ mortalibus ægris*
*Munere conceſſa diuûm.*

Terreſtrium vero meminit Ouid. 1. Metamorph.

*------ Totidém plagæ tellure premuntur,*
*Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu:*
*Nix tegit alta duas, totidē inter vtrámque locauit,*
*Temperiémque dedit mixta cum frigore flamma.*

## QVÆSTIO QVARTA.

*De Stellis, earúmque numero & magnitudine.*

TAm hîc agitur de ſtellis fixis quæ ſunt in firmamento, quàm de aliis quæ inferioribus cœlis ſunt affixæ, & erraticæ nuncupantur, ſeptémque numerantur, Luna, Mercurius. Venus, Sol, Mars, Iupiter, Saturnus.

Fixarúmque ſtellarum aſtronomi octo & quadraginta conſtellationes fecerunt comprehenſis in hoc numero 12. Zodiaci ſignis. Eſt autem conſtellatio certus numerum ſtellarum alicuius animalis, ſiue alterius rei inferioris effigiem repræſentans, quas omnes conſtellationes propriis nominibus deſignabimus hoc ordine, vt aliæ ſint ad Boream, aliæ ad Auſtrum, aliæ demum ad medium.



Digitized by Google

Ad Boream numerantur 21. Prima eſt vrſa minor conſtans ſtellis 7.
2. Vrſa maior 27.
cum 7. informibus.
3. eſt Draco 31.
4. eſt Cæphæus 11.
5. eſt Engonaſis ſeu Hercules 28.
6. eſt Lyra 10.
7. eſt Cygnus 17.
8. eſt Caſſiopeia 13.
9. eſt Perſeus 20.
10. eſt Auriga 14.
11. eſt Ophiucus ſeu Serpentarius 24.
12. ſerpens Ophiuci 15.
13. eſt Sagitta 5.
14. eſt Aquila 9.
15 eſt Delphinus 10.
16. eſt Equicul⁹, ſeu Equiſegmentũ, 4.
17. eſt Pegaſus 28.
18. eſt Andromeda 23.
19. Triangulum 4.
20. Arctophylax ſeu Bootes 14.
21. Corona Borealis 9.

In media parte duodecim reperiuntur ſigna, de quibus ſupra. Ad Auſtrum denique quindecim numerantur.

Prima eſt Cetus 22.
2. eſt Orion 38.
3. eſt fluuius ſeu Eridanus, vel Nilus 34.
4. eſt Lepus 12.
5. Canis maior 18.
6. Canis minor, qui & Procyon dicitur 2.
7. Argo nauis 45.
8. Hydra 25.
9. Crater 7.
10. eſt Corona 7.
11. eſt Centaurus 29.
12. eſt beſtia Centaura, ſeu Lupus 19.
13 eſt Thuribulum 7.
14. Corona Auſtralis, quæ & Ixionis rota dicitur 13.
15. Piſcis Auſtrinus. 15.

Quod attinet ad ſtellarum magnitudinem, ſic de fixis cenſent Aſtrologi: aliæ ſunt primæ, aliæ ſecundæ, alię tertię, aliæ quartæ, aliæ quintæ, aliæ denique ſextæ magnitudinis.

Stellæ primæ magnitudinis centies ſepties continent totius terrę magnitudinem, & quindecim admittuntur.

Stellæ ſecundæ magnitudinis nonagies, & hæ ſunt 45.

Tertiæ bis & ſeptuagies, & hæ 208. ſtatuuntur.

Quartę quater, & quinquagies, & ſunt quadringentę ſeptuaginta quatuor.

Quintæ ſexies, & trigeſies, quæ ſunt ducentæ 17.

Poſtremę denique magnitudinis octo & decies: & hę 49. recipiuntur, quibus omnibus quinque nebuloſas, & nouem lucidas adiiciunt. Completus omnium iſtarum ſtellarum numerus eſt, vt ſint mille viginti duę, & facta additionis regula facilè apparebit.

De ſtellis autem errantibus ita ſtatuunt, Saturnus ſuperat terram ſemel & nonagies, Iupiter quinquies, & nonagies. Mars ſemel. Sol centies ſexagies ſexies. Venus ſuperatur à terra trigeſies ſepties. Mercurius etiam ſuperatur pluſquam millies. Luna denique vincitur à terra trigeſies nouies.

## SECTIO QVARTA.

*De affectionibus cælorum.*

### QVÆSTIO PRIMA.

*De eorum figura.*

NOn eadem fuit olim omnium Philoſophorum de figura cœli ſententia: alij enim cœlum ipſum in figuram oui conformabãt. Alij inſtar cuiuſdam habitaculi cælum figuratum eſſe concipiebant; iuxta illud Iſaiæ 4. extendit cœlos ſicut tabernaculum ad habitandum. Conſtat autem rotundum tabernaculum haud eſſe ad habitationem idoneum, ſed quid iſta moramur?

Digitized by Google

Concludendum eſt cum receptiſſima omnium Philoſophorum ſententia, cœlum eſſe in orbem conformatum. Hæc concluſio non obſcurè colligitur ex illis verbis quę habentur initio Eccleſiaſtis: *Sol occidit, & in locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem lluſtrans vniuerſa. In circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur.*

Eandem concluſionem docet, & probat ex profeſſo Ariſtoteles 2. de cœlo, cap. 4. cuius rationes hæ ſunt pręcipuæ.

Prima, quod figura omnium prima, primo corpori, quale eſt cœlum, debeatur; figura verò rotunda omnium prima ſit, vt hinc commonſtrat, quod magis vnitatem affectet, quippe quæ vna tantum linea contineatur, cùm tamen aliæ figuræ multarum linearum aggregatione conſurgant, conſtet autem vnitatem eſſe multitudine priorē. Secunda ratio: Ariſtoteles ſupponit primum cœlum eſſe rotundum, & hoc ſuppoſito infert aliquos eſſe rotundos, vt ipſi cohæreant, & contigui ſint. Tertia ratio, quam nos hunc in modum formamus, petitur à motu cœli, ſi cœli non eſſent rotundi, ſed alterius figurę, putà triangularis, vel quadrangularis, non poſſent oppoſitis motibus ferri, niſi vel ſe mutuo diſrumperent, vel penetrarent, quod viribus naturæ fieri non poteſt, debent igitur eſſe rotundi.

Mitto quod ſingulis diebus in ſenſus noſtros incurrit, ſtellas omnes circa polum, velut circa centrum pręperi vertigine ferri, quod ſatis indicat ipſas rotundum cœli ſpatium conficere.

Obiicies illud Pſalmi, extendens cœlum, ſicut pellem, ergo figuram cęlorum non eſſe rotundam.

Reſpondeo negando conſequ. intendit enim tantum regius Propheta demonſtrare, quàm facilè Deus cœlos conformauerit, ex facilitate quæ eſt in extenſione pellis, non verò agit de ipſa cæli figura, an pellis figurę ſimilis eſſe debeat, an verò diſſimilis.

Rurſus obiicies, ſi cœlum rotundum eſſet, omnes ſtellę ſaltem fixę in eadē à terra diſtantia apparerent: atqui non apparent, vt experientia compertum eſt, quia cùm ipſæ ſtellæ ſunt prope horizontem, maiores conſpiciuntur: ergo, &c.

Reſpondeo negando minorem: quod enim ſtellæ ad noſtrum horizontem proprius accedentes maiores appareāt, non ideo eſt quod ſint nobis propinquiores, cùm potius ad rigorem Mathematicum ſint remotiores quam vbi exiſtunt in meridie, tota videlicet intercapedine & magnitudine ſemidiametri terræ, ſed ea tantum ratione maiores apparent, quod non videantur in alto, ſed iuxta ipſam terræ ſuperficiem, vel prope illam, quo pacto res ſolet maior apparere, quàm in alto, propter craſſius medium & magnis vaporibus repletum.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*De raritate, denſitate aliiſque cœli accidentibus.*

ROgabis primò, an cœli ſint rari & denſi?

Reſpondeo affirmatiuè, nam planetæ & ſtellę nihil aliud ſunt quàm denſiores cœli partes, ſecundum aſtronomos.

Confirmatur: non aliunde proueniunt maculæ in Luna, niſi quod quædam eius partes denſiores ſint, alię rariores: denſiores vberius lumen recipiant, & ad noſtrum aſpectum reflectāt: rariores verò minus luceant, ideóque nigræ appareant. Itaque in cœlis reperiuntur raritas & denſitas.

Digitized by Google

Obiicies ex Ariſtotele primo de partibus animalium, raritas à calore, denſitas verò frigore generatur: atqui in cœlo neque calor, neque frigus reperiuntur: ergo neque raritas, neque denſitas.

Reſpondeo ad maiorem, Ariſtotelē loco citato non loqui generatim de omni raritate & denſitate, ſed ſpeciatim de raritate & denſitate corporum ſublunarium.

Rogabis ſecundò, an cœli duri ſint, vel molles?

Reſpondeo duros eſſe: ita legitur Iob. 31. *Tu forſitan cum eo fabricatus es cælos, qui ſolidiſſimi ſunt, quaſi ære fuſi.*

Aſtipulatur ratio, ita ſe habent corpora mollia; vt ſi agitentur, ſæpiùs permiſceantur: atqui quotidie cernimus cælos cõcitatiſſima vertigine volui, nec tamen miſceri; ergo non ſunt molles, ſed duri.

Rogabis tertiò, an cœli ſint pellucidi & diaphani, an verò opaci?

Reſpondeo eſſe ex parte diaphanos, & ex parte opacos.

Prior pars clara eſt; illud eſt pellucidum & diaphanum quod non terminat viſum, nec impedit lucis traiectionē: atqui ita habet ſe cælum, videmus enim ſuperiores orbes, & eorum aſtra per inferiores, ergo, &c.

Probatur etiam poſterior pars: illud corpus propriè dicitur opacum quod ita terminat actionem videndi, vt ferri nequeat vlterius, impedítque lucis traiectum: atqui cæli in quibuſdam ſuis partibus, ita ſe habent vt poteſt intelligi ex Solis eclipſi, quæ ideò tantum contingit quod Luna interpoſita inter Solem & noſtrum aſpectum, impediat ne viſus noſter ad Solem vſque penetret, ergo cæli quadam ex parte ſunt opaci.

Quærunt hic aliqui præterea, an primæ qualitates, calor frigus, humor & ſiccitas: itémque ſecundę, nempe colores, cęlis inſint: ſed hoc ſuperius ſect. 5. q. 3. nobis ſufficienter expoſitum eſt.

## QVÆSTIO TERTIA.

### *De perfectione Cælorum.*

QVeſtio, an cœlum reliquis omnibus corporibus ſublunaribus dignitate ante ſtet: & quidem, ſermo eſſe poteſt tam de corporibus inanimatis quam animatis ſiue perfectis, vt ſunt homo, leo, &c. quæ per ſemen generantur: ſiue imperfectis, vt vermes, muſcæ, aliáque id genus, quæ ſine ſemine generantur. Sit autem.

*Prima propoſitio.*

COelum in dignitate cætera omnia corpora ſublunaria ſaltem inanimata vincit: communis eſt omnium ſententia: & ſatis ex eo apparet, quod cælo figura omnium perfectiſſima, nēpe rotunda, motúſque omnium digniſſimus, ſcilicet circularis, concedatur.

*Secunda propoſitio.*

COelum eſt entitatiuè, & eſſentialiter imperfectius quolibet corpore animato. De homine res eſt certa tum teſtimonio ſcripturæ ſacrę, Pſal. 8. *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis*, tum ex eo quod mente, & ratione præditus ſit, ideóque ſit capax beatitudinis, quę omnia de cælis dici non poſſunt.

De aliis vero animatis, tam perfectis, quàm imperfectis propoſitio confirmatur, primò expreſſo D. Auguſt. teſtim. 2 de Ciuit. Dei, cap. 19. vbi ſic habet: *In creaturis quæ quodcúmque ſunt, & nō ſūt quod Deus eſt, à quo facta ſūt præponuntur viuētia nō viuentibus, ſicut ea quæ habent vim gignendi, vel etiam appetendi: his quæ iſto motu carent, & in his quæ viuūt præponuntur*

*præponuntur ſententia non ſentientibus, animalia arboribus : & in his quæ ſentiunt præponuntur intelligentia non intelligentibus, ſicut homines pecoribus, & in his quæ intelligunt præponuntur immortalia mortalibus, ſicut Angeli hominibus.* Idem ferè habet lib. de vera religione, cap. 29. & aliis in locis.

Accedit generalis ratio, viuere eſt quid nobilius quàm non viuere, ergo omne corpus viuens quolibet non viuente erit perfectius; & ſic cęlum quod vita caret, imperfectius erit quàm res vlla viuens, & animata.

Probatur antecedens: viuere eſt perfectio ſimpliciter, continetur enim in eſſentia diuina formaliter in qua ſola perfectio ſimpliciter includitur: ergo viuere eſt perfectiùs quàm non viuere. Hæc conſequentia oſtenditur: perfectio ſimpliciter eſt melior ipſa quàm non ipſa, aut forma incompoſſibilis, id eſt oppoſita, vt communiter docent Theologi, igitur ſi viuere ſit perfectio ſimpliciter, erit nobilius quàm non viuere, quod illi opponitur.

Dixi in propoſitione cœlum eſſe entitatiuè imperfectius quolibet corpore viuente: ſi enim de perfectione accidentali ſermo ſit, cœlum multis viuentibus haud dubiè iuſtis titulis anteponetur, vt ipſius magnitudo, conſtantia, motus, alięque virtutes ſatis oſtendunt.

Obiicies: effectus numquam eſt nobilior ſua cauſa; ſed viuentia, & etiam animalia ſunt cœli effectus, ergo, &c.

Diſtinguo maiorem, effectus non eſt nobilior ſua cauſa, vniuoca concedo, qualis eſt homo reſpectu hominis æquiuoca verò ſaltem creata, nego, quo modo cœlum eſt cauſa viuentium & animalium. Conſule quæ diſputatione de cauſis hac de re diximus.

Reliquę obiectiones, vel ſupponunt falſum, quod ſcilicet cœli nobiliorem habeant materiam, cui nobilior forma debeatur, vel demonſtrant tantùm maiorem perfectionem accidentalem in ipſis corporibus cœleſtibus, quàm ſublunaribus, quod vltrò admiſimus.

## QVÆSTIO TERTIA.

*De Motu cœli.*

### ARTICVLVS PRIMVS.

*Qualis ſit cœli motus, & an ſit ei naturalis, ſeu à propria forma, an verò ab intelligentÿs aſſiſtentibus*

HOc vnum certum eſt cœlorum motum eſſe circularem ſeu cœlos in orbem agi, id enim quotidiana experientia commonſtrat, ſed difficultas eſt, eáque celeberrima, num ille circularis cœli motus ſit ipſi naturalis, & à propria forma proficiſcatur, an verò ab externis intelligentiis.

Variæ ſunt ſententiæ, omnes tamen ad duas generales poſſunt reuocari, prima eſt eorum qui voluerunt à propria forma cœlos non moueri, inter quos non leue eſt diſſidium. Dixerunt alij, vt Democritus & Epicurus, cœlos caſu & fortuitò moueri.

Voluerunt alii vnicam intelligentiā totam ſphærarum cæleſtium machinam torquere: alii ſingulis orbibus inferioribus ſuas intelligentias conceſſere, primum verò mobile à Deo immediatè volui exiſtimauêre, vt Ariſtoteles ipſe 8. Phyſ. cap. vltimo.

Oppoſita ſententia veritate maior, eſt Ioannis Maioris lib. 2. Phyſ. & aliorum, cum quibus concludimus cœleſtes orbes moueri à propria forma, inſtructa tamen certis quibuſdam qualitatibus quæ ad motum ſuapte natura ordinatæ ſunt, non autem ab intelligentiis aſſiſtentibus.



Digitized by Google

Probatur: motus circularis eſt cœlo naturalis, non tantùm ratione materiæ ſed etiam ratione formę, ergo debet à propria cœli forma proficiſci,& non ab extrinſeca motrice intelligentia: Conſequentia patet, nam cùm motus ab extrinſeco profectus non ſit naturalis, ſed violentus ex 3. Eth. cap, 1, vbi definit Ariſtoteles violentum id cuius principium eſt extra, ſi motus cœli ſit naturalis, debet proficiſci à propria eius forma.

Antecedens verò probatur, omnis forma ſubſtantialis eſt principium alicuius motus localis, vt alibi diximus; ergo & in cœlis forma ipſa ſubſtantialis alicuius localis motus debebit eſſe principium, nullius tamen alterius quàm circularis, vt patet, ergo circularis ille cœli motus eſt à propria eius forma.

Probatur ſecundò, corpora cœleſtia non ſunt deterioris conditionis quàm ſublunaria, ſed ſublunaria à propria forma mouentur: alia ſurſum, alia deorſum, alia in omnem partem, vt ſuprà docuimus, ergo & cœleſtia corpora à propria forma mouebuntur.

Confirmatur hæc ratio, niſi forma cœli efficienter concurreret ad motum ipſius cæli, otioſa planè foret, & nullius operationis gratia, quod abſurdum eſt, ergo, &c.

Obiicies primo illud Iob. cap 9. Sub quo curuantur qui portant orbes, id eſt Angeli, ergo cœli ab Angelis mouentur.

Reſpondeo ad antecedens, negando gloſſam, nam per eos qui portant orbes, non Angeli, ſed Reges & Magnates commodè intelliguntur: qui quia orbem moderantur ac regunt, illum ſuis quaſi humeris portare perhibentur.

Obijcies ſecundò: quicquid mouetur à propria forma animatum eſt, ſed cœli non ſunt animati, ex ſupradictis, ergo, &c.

Maior abſolutè neganda eſt, nam docuimus ſuprà elementa à proprijs formis moueri, quæ tamen nullus animata eſſe dixerit.

Obiicies tertiò: quando corpus à propria forma mouetur conquieſcit naturaliter in ſuo loco naturali, vt videre eſt in elementis: atqui cœlum non conquieſcit in proprio loco: ſed in eo perpetuò mouetur, vt vident omnes, ergo, &c.

Reſpondeo ad maiorem, corpora naturalia quieſcere naturaliter in ſuo loco naturali, niſi ad bonum vniuerſi moueantur, vt videre eſt in aqua, quæ licet naturaliter quieſcat in ſuo loco, ad bonum tamen vniuerſi mouetur aſcendendo, ne detur vacuum, ita de cœlis licet debeant naturaliter quieſcere in ſuo loco, tamen etiam naturaliter mouentur ad bonum vniuerſi, vt rerum generationes fiant, & vbi non fient amplius generationes, non mouebuntur, ſed quieſcent.

Inſtabis, miraculum erit quando cœli quieſcent, ergo non quieſcunt naturaliter.

Reſpondeo negando antecedens, duo enim ad miraculoſum opus requiruntur, alterum vt ſit præter vſitatum naturæ curſum, alterum vt ſit ſupra naturam, eiúſque limites prætergrediatur, licet autem quies in cœlis primā ſortiatur cōditionē, quoniā reuera nunquā futura eſt, ſecundū communē rerū curſum, tamē caret altera conditione; quia non ſuperat naturales ipſius cœli vires, ſed ex internis eius principijs non ſecus ac motus manat.

Denique obiicies, ſi cœli moueātur à propria forma quare nō omnes verſus eādem partē agitantur, & cur aliud

Digitized by Google

515

ab oriente in occaſum, nempe primum mobile, alij verò è contra ab occaſu ad ortum feruntur?

Reſpondeo cauſam illã petendã eſſe ex diuerſis formis ſubſtãtialibus & varijs qualitatibus quæ ipſas formas cõſequuntur, ratione quarũ diuerſi cœli varias in partes circũferri deſiderãt, ſicut proportione ſeruata elemẽta alia verſus vnã, alia verſus aliã partẽ tẽdũt, pro diuerſitate formarum ſubſtantialiũ & qualitatum motriciũ illis adiũctarũ.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*An cœli motu ſit cauſa caloris*

Occaſione motus cœli vniuerſim quæſtio hoc loco tractabitur, an motus ſit cauſa caloris: ad cuius explicationem.

Notandum eſt aliã eſſe cauſam per ſe, & vniuocã, quæ ſuopte ingenio tendit ad productionẽ alicuius effectus ſimilis, vt calor ad productionẽ caloris, frigus ad frigoris productionẽ, & ſic de cæteris: aliã eſſe veluti per accidens & æquiuocam, quæ ſuapte natura nõ reſpicit aliquem effectũ, illiúſque productionem aſſequitur, ea tamen efficit, quibus poſitis talis ponitur effectus quomodo agitatio aëris eſt cauſa caloris, quatenus ſcilicet eius interuentu excitatur calor, hicque excitatus alium progignit. Hoc poſito, ſit.

*Prima propoſitio.*

Motus non eſt cauſa per ſe, vniuoca caloris.

Probatur, motus non poteſt eſſe cauſa per ſe, & vniuoca caloris, niſi per ſe ad illum terminetur: atqui per ſe motus localis, de quo loquimur, non terminatur ad calorem, ſed ad vbi vt patet ex dictis de motu, ergo, &c.

Confirmatur, cauſa vniuoca, & effectus ſunt eiuſdem rationis: atqui motus, & calor non ita ſe habent, vt patet, ergo, &c.

*Sexta propoſitio.*

Motus eſt ſaltem cauſa per accidẽs, & æquiuoca caloris.

Probatur multis exemplis, ſi quidem videmus attritu duorum corporum durorum, vt potè chalybis & ſilicis ignem elici, ſagittas per aërem emiſſas incẽdi, molas farinarias attritas inardeſcere, fulgurare conſtrictam nubem, exhalationem celeri raptu vectam micare & denique ipſa maria, alioquin frigida, crebro ventorum flatu agitata intepeſcere, quod ſaltem de cauſa æquiuoca intelligi debet, itaque motus eſt cauſa per accidens & æquiuoca caloris. Hæc ſanè propoſitio certa eſt, ſed difficilis modus, ſecũdum quẽ dicitur motus cauſare calorem. Durandus in ſecundũ diſt. 13. q. 3, alij recentiores dicũt, calorem motu productũ virtualiter extitiſſe in corporibus quę fricantur, ſed hoc nihil explicat, nec docet quo pacto calor ille eliciatur ex corporibus frigidis; ex quorum attritu dicitur procreari.

D. Thomas arbitratur ideò motum localem eſſe cauſam caloris, quia cùm ſit primus inter motus eſt cauſa reliquorum, & conſequenter potiſſimẽ alterationis nempe calefactionis.

Verùm nec iſta ſententia probari poteſt, quia non explicat etiam modum quo motus calorem producit.

Omnium igitur optimẽ ſentit Albertus Magnus primo Meteororum cap. 1. tract. 1. motum calorem producere diſtractione & rareſactione partium corporum quæ atteruntur, & confricantur: cùm enim, inquit, vnum corpus ſuper aliud acri, celerique motu fertur, & ambo corpora colliđũtur, diſtrahũtur eorũ partes, quæ vbi diſtractæ ſũt rarioreſſiũt quã raritatẽ calor ſequitur, vel potius cõcomitatur, cuius rei indiciũ eſt, quod inter ſolidiora corpora citius



Digitized by Google

ignis excitetur: vt inter chalybem & ſilicem, vtique quia inter ea aër magis atteritur & attenuatur, rariórque euadit, ex qua raritate calor eius comes naſcitur.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*An motus cœlorum ſint vniformes & æquabiles.*

NOtandum eſt æquabilitatem & vniformitatem motuũ cœleſtium conſiderari poſſe dupliciter, vel ratione temporis quod inſumitur, vel ratione ſpatij quod tranſigitur.

Si de priori agamus, aſſerendum eſt non omnes cœleſtes motus eſſe vniformes & æquabiles: quoniam alij cœli maius ſpatium, alij minus eadem temporis mora tranſcurruut, ſicut alij ſunt aliis maiores.

Addo & alia de cauſa illos motus cœlorum non eſſe æquabiles, quia nẽpe eodem tempore non peraguntur, ſed alij breuiori, alij verò prolixiori, quod inductione patet.

Primùm mobile ab Oriente in occaſum ſpatio vigintiquatuor horarum vertitur, & ſuo motu inferiores orbes trahit, diémque naturalem conficit. Nonum cœlum quod cryſtallinum & aqueum vocatur, motum ſuum naturalem ab occidente ad ortum conficit annis ferè quadraginta nouem millibus: ita Alphonſus Rex cenſet, vel, vt putat Ptolomæus Rex, annis triginta ſex millibus.

Firmamentum ſuum naturalem trepidationis motum abſoluit annorum ſeptem millibus, quorum dimidium inſumit in motu, quo à Septentrione vergit ad Meridiem. & alterum dimidium in motu quo à Meridie redit ad Septentrionem.

Sequuntur motus naturales planetarum ab Occidente in Orientem, Saturnus ſuum trigiata annorum ſpatio complet. Iupiter annis ferè duodecim. Mars annis propè duobus. Sol diebus trecentis ſexaginta quinque, horis fermè ſex, quod ſpatium annus ſolaris ab ipſo Solis motu dicitur. Suum curſum eodem interuallo conficiunt Venus & Mercurius. Luna denique omnium certiſſimè motum ſuum naturalem abſoluit, diebus ſcilicet viginti ſeptem, horis octo, vel circiter, ex communi doctrina Aſtronomorum: ex quibus elicitur propoſitio intenta ratione temporis quod inſumitur, cœlorum motus non eſſe vniformes & æquabiles.

Si verò de poſteriori æquabilitate & vniformitate ſpatij nẽpè quod trãſcurritur, ſermonẽ inſtituamus, dicendũ eſt etiam cælorum motus non eſſe æquabiles cum & vniformes; alij cœli nempè ſuperiores, maius ſpatium decurrant, alij minus, ſcilicet inferiores.

## ARTICVLVS QVARTVS.

*An cœli motus ſit neceſſarius ad omnes actiones agentium inferiorum.*

NOtandum eſt actionum duo eſſe genera, aliæ enim videntur magis naturales, quę ſcilicet ad motum, ſiue localem, ſiue alium quemlibet pertinent, nec non ad generationem ſubſtantialem & corruptionem corporum, aliæ verò magis videntur immateriales, vt effuſio lucis à corpore lucido, & emiſſio ſpecierum intentionalium ab obiectis. Hoc notato, ſit.

*Prima propoſitio*

COeli motus ſimpliciter & abſolutè non eſt neceſſarius ad actiones agentium inferiorum, ſiue ſint prioris generis, ſiue poſterioris.

Probatur primò, Ioſue pugnante cœlum ſtetit, nec tamen propterea ceſſarunt actiones illæ inferiorum corporum, ergo, &c.

Probatur ſecũdò, nullus credet ſtãte

516

cælo lapidem in alto exiſtentem centrum non eſſe petiturum, en actio prioris generis. Item Solem aliáque corpora lucida ſuum lumen non eſſe effuſura, nec colores ſuas ſpecies & imagines tranſmiſſuros, en actiones poſterioris generis, ergo motus cæli non eſt ſimpliciter & abſolutè neceſſarius ad actiones agentium ſublunarium tam prioris, quàm poſterioris generis.

*Secunda propoſitio.*

SEcundum quid, & ad melius eſſe, motus cœli eſt neceſſarius ad actiones omnes agentium naturalium ſublunarium.

Probatur illud dicitur neceſſarium ſecundùm quid, ſine quo non poteſt commodè id fieri ad quod dicitur neceſſarium: atqui haud commodè actiones agentiũ ſublunarium fieri poſſunt deſinente cæli motu: imò verò cùm motus ille ſit neceſſarius ad temperãdos aptéque diſpertiendos influxus, & ſine eo vel frigore minus vrgente res perimerentur, ea ſcilicet parte, quam Sol benigno ſuo conſpectu non recrearet, vel nimio calore inardeſcerent, in ea videlicet plaga in quam Sol ſuos ſemper radios mitteret; planum eſt motum cæli, ſaltem ſecundùm quid & ad melius eſſe, neceſſarium eſſe ad actiones agentium ſublunarium, tam prioris, quàm poſterioris generis.

## ARTICVLVS QVINTVS.

*An cæli motus concentum efficiat.*

AFfirmauit Pythagoras, contradicit ſchola Peripatetica, quæ vt concentum illum non audit, ſic odit, rationem aliqui addunt: quod ſonus tantùm oriatur ex aëris colliſione, vt docebitur in libris de Anima, aëris verò colliſio in cœlis nulla eſſe poſſit, ſicut illic nullus aër reperitur.

Præterea nullus eſt præter Pythagoram qui aſſirmet ſe hunc concentum háncque cœlorum harmoniam audiuiſſe: ergo valdè eſt probabile concẽtum illum eſſe fictitium, ſi quidem habita ratione magnitudinis cœlorum ex quorum motibus oritur, ingens admodum eſſe deberet, & ita ad noſtras aures peruenire poſſet.

Reſpondebit fortè Pythagoras ſonũ illum cœleſtem à nobis non audiri, quoniam aures noſtræ aſſuefactæ ſunt ad illum percipiendum, ita vt eum amplius dignoſcere non poſſint, ſicut accidit illis qui prope catadupa Nili habitant: etſi enim Nilum ingenti fragore ex altiſſimis montibus præcipitet, ab iis tamen hominibus non auditur, vtique quia illi audiendo omnino aſſueſacti ſint.

Verùm hæc ſolutio facilè refellitur; ſaltem enim qui aliquot annis audiendi facultate caruerunt, eámque poſteà recuperarunt, concentum illum percipere potuiſſent, quod nullus eorum dixit.

## QVÆSTIO QVINTA.

*De lumine Cæli.*

## ARTICVLVS PRIMVS.

*An lux omnis à Sole deriuetur: vbi ex occaſione de via lactea.*

ALientem partem plurimi docuerunt Solem vnicum eſſe principium & fontem luminis, alij, vt Auicenna & Macrobius, reliquis aſtris à Luna lucem conceſſerunt, Lunam verò de ſuo collucere negauerunt. Hi homines quotquot ſunt, à veritate longè ſunt, nos eam duplici propoſitione aperimus.

*Prima propoſitio.*

LVx omnis Cœli & aſtrorum non deſumitur à Sole tantùm, ſed &



Digitized by Google

cœli & aſtra omnia, Luna etiam aliquo lumine ſplendent.

Probatur, ſiquidem cùm lux ſit qualitas cœlo propria, probabile eſt illam per totum cœlum fuiſſe diffuſam, licet tamen inæqualiter, & pro diſpoſitione partium cæli, quarum aliç, nempè denſiores, ſunt aptiores ad lucem ſuſcipiendam, vt illç quibus via lactea deſcribitur & continetur, quæ proptereà cæteris cæli partibus lucidior conſpicitur, minus tamen lucida, quàm aſtra vel ſtellæ: aliæ minus aptæ, ſcilicet rariores, vt cæteræ cæli partes quæ minus collucent, quàm ſtellæ & aſtra, ipſaque via lactea.

Ex quibus intelligimus quod ſit via lactea (vernaculè, *le chemin de Sainct Iacques*) circulus aliquis firmamenti minimis ſtellis reliquis cæli partibus lucidioribus refertiſſimus, habens latitudinem aliquam & ſplendorem, cādorémque exhibens propter quem lacteus nuncupatur, teſte Ouidio 1. Metamorph.

*Eſt via ſublimis cælo manifeſta ſereno:*
*Lactea nomē habet candore notabilis ipſo.*

Quapropter meritò hîc reiicitur opinio Ariſtotelis 1. Meteororum, cap. 10. ſtatuenti, circulum lacteum eſſe latè diffuſam, & exhalationibus exuberantem concretionem: reiicitur inquam, quia credibile non eſt ſingulis annis tantam tamque certam poſſe ex terra extrahi exhalationum copiam, vt ſufficiat ad exhibendam ſemper eandē effigiem, & figuram quam circulus iſte offert oculis; tum quia nulla eſt ratio quare talis exhalatio ad vnam determinatè partem in qua hic circulus deſcribitur, efferatur, & non ad alias.

Confirmatur noſtra propoſitio ſpeciatim de Luna quod ſcilicet aliquam lucem participet, præter eam quam à Sole mutuatur; ſi quidem in eius eclypſi rubet: quod fieri minimè poſſet, niſi illi aliquid lucis ineſſet, non tantùm à Sole acceptum ob terram interpoſitam, proindeque proprium.

*Secunda propoſitio.*

PLurimùm tamen lucis & Luna, & reliqua aſtra aliæque cæli partes à Sole mutuantur. Hæc propoſitio patet experientia, & euidentius oſtenditur in variis Lunæ faciebus, quæ enim cauſa eſt cur varias induat figuras, modò curuata ſit in cornua, modò æqua proportione diuiſa, modò toto orbe plena, nempe quia vario Solis aſpectu variè illuſtratur, corniculata conſpicitur in ipſo ferè cum Sole congreſſu, & cùm propè ſub eo ponitur, medio verò orbe facta cum quarta cæli parte à Sole receſſit, tum paulatim in rotundum circinata, tandemque recepto quoquouerſum ſplendore plena prout magis à Sole recedens magis illi opponitur, magiſque eius radios recipit, & ad noſtrum aſpectum reflectit.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*An lux omnis ſit eiuſdem ſpeciei.*

LVx eſt qualitas variis diſperſa corporibus, cæleſtibus nempè & ſublunaribus, imò & corporibus glorioſis. Iam quæſtio eſt an omnis lux ad eandem ſpeciem pertineat. Reſpōdeat his propoſitionibus.

*Prima propoſitio.* A

LVx omnium aſtrorum & cælorum eſt eiuſdem ſpeciei.

Probatur, lux quæ ineſt ſingulis aſtris & aliis cæli partibus in eandem naturā ſingularem coït cum aſcitio lumine, ſeu illo quod à Sole mutuatur, vt ex eo patet quod lumen illud Solis natiuum cuiuſque aſtri intendat, ergo lux omnium aſtrorum, &c. Eadem ratione probaueris cælorum lucem eſſe eiuſdē

Digitized by Google

ſpeciei cum luce rerum ſublunarium, quoniam ſcilicet lux cæleſtis auget lucem rerum ſublunarium.

Obiicies, interuentu lucis aſtra varios ſpecie effectus in his ſublunaribus producunt, ergo lux illa variorum aſtrorum ſpecie diſtincta eſſe debet.

Neganda eſt conſequentia: & ratio eſt, quia eadem ſpecie accidentia, & ſolo numero diſtincta in diuerſis ſubiectis, poſita pro diuerſis ipſorum ſubiectorum virtutibus diuerſos ſpecie producunt effectus, vt ex eo intelligis, quod idem ſit ſpecie calor qui diſponit ad generationem hominis, cum illo qui diſponit ad canis generationem, & tamen ex illis caloribus ſpecie diuerſis conſequantur effectus, pro diuerſis virtutibus quæ ipſi homini & cani inſunt: eo modo quo lux variorum aſtrorum pro diuerſis ipſorum virtutibus varios effectus producit.

Præterea obiicies, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei ſe mutuò interturbare non poſſunt; atqui lux Solis impedit lucem aliorum aſtrorum, ita vt Sole lucente non luceant: ergo, &c.

Reſpondeo negãdo maiorẽ vniuerſim ſumptã, reuera enim vehementius ſenſibile impedit tenuius, vt hoc diſtinctè à ſenſu percipi nequeat, verbi gratia ſonus vehementior ita aures implet, vt alij tenuiores ſaltem diſtinctè non audiantur: ſimiliter lux Solis quãuis ſit eiuſdem ſpeciei cum luce aliorum aſtrorum, hanc tamen impedit, quia ita viſum occupat, vt vel illam lucem exiguam aſtrorum non percipiat, vel ita tenuiter, vt notari non poſſit ſitne lux aſtrorum, an vero Solis.

*Secunda propoſitio.*

PRobabilius etiam videtur lucem corporum glorioſorum futuram eiuſdem ſpeciei cum luce aliorum corporum, ſiue cæleſtium, ſiue ſublunarium.

Probatur, non eſt ſine cauſa inducenda diuerſitas: atqui nulla eſt cauſa quæ moueat ad inducendam diuerſitatem ſpecificam lucis corporum glorioſorum, & aliorum corporum: ergo de facto non eſt inducenda.

Probatur minor primò, nam quemadmodum colores exiſtent in corporibus glorioſis ſunt eiuſdem ſpeciei cum illis coloribus qui cæteris corporibus inhærent, ita etiam lux illorum non videtur eſſe alterius ſpeciei à luce quæ in his deprehenditur.

Secundo, ſi quæ ratio cogeret admittere diſtinctionem ſpecificam inter lucem corporum glorioſorum & aliorũ, eſſet illa potiſſimum, quòd lux corporum glorioſorum ſit ſupernaturalis & ſupernaturaliter tantum producatur, lux verò aliorum corporum ſit naturalis, & naturaliter producta: ſupernaturale autem, & naturale eiuſdem ſpeciei eſſe nequeant: ſed hęc ratio nulla eſt: ergo, &c.

Probatur minor ſupernaturale ſecundum modum tantum & naturale ſecundum entitatiuam non differt ſpecie à naturali, & ſecundùm modum, & ſecundùm eſſentiam, verbi gratia, viſus cęco à natiuitate per diuinam potentiam communicatus, à viſu naturaliter procreato, quamquam prior ſit quoad modum ſupernaturalis, poſterior autem & quoad modùm, & quoad entitatem naturalis: atqui nulla ratio cogit admittere lucem corporum glorioſorum eſſe aliter ſupernaturalem, quàm ſecundùm modum quo producitur, & non ſecundùm entitatem: ergo nulla ratio cogit diſtinguere lucem corporum glorioſorum à luce aliorum corporum.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*An lux ſit cauſa caloris.*

TOta ſchola Peripatetica cum ſuo Ariſtotele 1. Meteor. cap. 3. affirmat contra Durandum in ſecundum diſt. 14. quæſt. 1. fauet experientia, quâ compertum eſt radios Solis corpora illa in quæ incurrunt calore perfundere, imò vero id de Luna videtur demonſtrare Ariſtoteles libro de partibus animalium capite 3. quando ait noctes plenilunij aliis eſſe tepidiores, quod non aliunde prouenit quam quia Luna, vt tunc vberiorem lucem profundit, ita quoque plus caloris ſubiectis corporibus imprimit.

Modus autem quo lux calorem producit eſt maximè per reflexionem, ideóque infima aëris regio calidior eſt quàm media, quia in infima illa fit lucis & radiorum Solis reflexio, ad mediam verò vſque pertingere non poteſt, imò ſi quando radij ſolares aliquod corpus ſolidum feriant, propè illud intenſiorem calorem experimur, quam ſi nos magis ab illo remoueamus.

Obiicies, ſi lux calorem producere queat, vbi intenſior erit lux, ibi intenſiorem producet calorem: ſed non ita eſt, ſiquidem plus lucis ineſt Ioui, Veneri, & Lunæ, quàm quibuſdam aliis ſtellis, vt pote Syrio vel cani minori, & tamen Syrius communiter calore & exuſtione infamis habetur, ergo, &c.

Reſpondeo admittendo maiorem cæteris paribus & dicendo ad maiorē in allatis exemplis non omnia eſſe paria, re vera enim niſi aliunde impediretur lux prædictorum planetarū maiorem calorem produceret, quàm lux Syrij: impeditur vero maximè ob inſitam quandam ipſis planetis refrigerandi facultatem, quæ non ſinit illos pro ſuæ lucis amplitudine calorem effundere.

## QVÆSTIO SEXTA.

*De influxu & virtute cauſandi Cæli.*

### ARTICVLVS PRIMVS.

*Vtrum generatim cælum influat in hæc inferiora, & quo modo.*

CErtum eſt cœlum ſaltem per motū & lucem influere in hæc inferiora producendo calorem & ſiccitatem. Dubitatur verò an per alias vires, quas alij influentias vocant, influat.

Negatiuam partem ſequuntur Auerroës, Picus Mirandulanus libro 3. cōtra Aſtrologos cap. 3. 5. & 6. & alij plures, qui propterea contrariam ſententiam deridentes influentias delirātium ſomnia, & aſylum ignorantiæ appellant.

Affirmatiuam tamen probabilius amplectuntur ſapiētes Peripatetici, re vera cœlos in hęc inferiora influere, non tantùm per motum & lucem, ſed etam per alias vires occultas ſeu influentias.

Probatur experientia multorum affectuū qui cœlis adſcribuntur, ratione aliarum virium, quàm lucis & motus, vt aurum & metalla in terræ viſceribus generare, ad quæ tamen nec motus, nec lux cœli pertingunt, item magnetem attrahere verſus partem Septentrionalem & reciprocum maris æſtū efficere, ſimiliáque præſtare, quæ ad lucem & motum referri non poſſunt.

Probatur ſecundò, quælibet forma ſubſtantialis requirit virtutem aliquā & facultatem ſibi propriam, ergo formæ eſſentialiter diſtinctę poſtulant virtutes eſſentialiter diſtinctas: atqui in cœlis variæ ſunt, & eſſentialiter diſtinctæ formæ ſubſtantiales, ex ſuperioribus, ergo exigunt virtutes aliquas eſſentialiter

eſſentialiter diſtinctas, atque ideò diuerſas à luce & motu, quę ſunt eiuſdem ſpeciei in omnibus cœlis : ergo ; &c.

Dices has influentias eſſe aſylum ignorantiæ, & Philoſophum dedecere qui ſcientiam, non ignorantiam profitetur.

Reſpondeo : eas de medio tollere non ignorantię tantùm, ſed arrogantiæ argumentum eſſe: ignorantiæ, quia ſublatis illis, multorum effectuum cauſæ aſſignari non poſſunt, non tantùm quoad quæſtionem quid ſint, ſed etiam quoad quæſtionem an ſint: arrogantiæ verò, omnium etiam occultiſſimorū effectuum ſibi facilem & expeditam audere polliceri notitiam, potiſſimum vbi ſummi Philoſophi de ingenij infirmitate conſcij malint eos mirari quam rimari.

Secundò obiicies, ſi præter lucem & motum in cœlis admittantur aliquæ aliæ virtutes peculiares, hæ lucem dignitate vincent at conſequens, eſt falſum, cùm lux, communi Philoſophorum ſententia, omnium qualitatum nobiliſſima cenſeatur, ergo & antecedens. Probatur ſequela maioris, quotieſcunque in re aliqua multæ reperiuntur proprietates, quarum vna ſequitur naturam genericam, altera ſpecificam, hęc quæ naturam ſpecificam conſequitur, illam nobilitate ſuperat quæ ſequitur naturam genericam, vt patet in homine, cuius intellectus præſtat appetui, eò quòd intellectus ſequatur gradū ſpecificū hominis, appetitus verò genericū animalis: ſed ſi in cœlis admittantur occultæ vires, illæ erunt tanquam proprietates naturam ipſorum ſpecificam conſequentes ; lux verò illis omnibus communis erit aliqua proprietas naturæ genericæ conueniens, ergo in cœlis aliquæ vires ſeu actiuæ qualitates luci præſtabunt.

Reſpōdeo, negādo ſequelam maioris: ad eius probationē dico maiorē nō eſſe vniuerſim veram, cùm in equo facultas ſentiendi ſeu tangendi cenſeatur nobilior quàm hinniēdi, quāquā illa naturam genericam, hæc verò ſpecificam conſequatur.

Denique obiicies hāc de occultis cœlorū viribus & influentijs ſententiam, multum fauere Aſtrologis indiciarijs, à tota Eccleſia condemnatis, qui futuros euentus ex cœlorum & ſyderum circumſpectione ſe prædicere poſſe gloriantur ; ſtatim enim poſitis illis viribus occultis dicent ipſi Aſtrologi iudiciarij tales euentus ob latentes illas vires neceſſariò oriri, ergo omnino ſunt explodendæ.

Reſpondeo negando conſecutionem antecedentis, reuerà enim imperitè, & imprudenter ſe poſſe neceſſariò futuros euentus, ſaltem liberos, prænuntiare pollicentur Aſtronomi iudiciarij etiam poſitis influentiis quia nec illæ neceſſitatē inferunt, nec tollunt, potētiā ad cōtrarium: flectunt quidem, & inclinant, ſed non cogunt hominum voluntates.

Cōfirmatur, ſi enim cęlorū influx⁹ ita quēlibet inclinaret vt non poſſet ſe in contrariū reiicere, qui eodē tempore cōciperentur, & de quorum genitura ſeu natiuitate idem cœli thema deſcriberetur, illic ſanè iiſdem moribus forent præditi, eoſdémque paterentur euentus : atqui ipſa experientia contrarium docet, nam, vt alia mittamus exempla, Eſaū & Iacobi in ſacris litteris eodem tempore geniti sūt, eodemque ſtellarum conſpectu & tamen conſtat eos varia vitę genera duxiſſe, ergo nequeunt Aſtrologi prænuntiare neceſſariò euentus futuros.



Digitized by Google

Reſpondent Genethliaci, ſeu illi qui natalitiam diuinationem profitentur, licet mora quæ inter ortum geminorum dignoſcitur nobis exigua videatur, attamen reſpectu cœlorum qui rapidiſſima vertigine circumuoluuntur, ipſam eſſe inſignem, & magnam, inducere varietatem inclinationum in ijs qui naſcuntur.

Verùm, erit qui eos refellat D.Greg. homil. 10. ſuper Euangelia hoc pacto: *Si propterea Iacob & Eſau non cenſentur nati ſub eadem conſtellatione, quòd non ſimul nati ſint, ſed vnus poſt alterum: ob eandem cauſam iudicandum erit nullum hominem ſub eadem conſtellatione totum naſci, non enim totus ſimul ex vtero procedit ſed particulatim, & membratim: quare ſingulis membris ſingula erunt fata, quod ridiculum eſt.*

Nec dicas pro illis Aſtrologis ea quæ prænuntiarunt ſæpé eueniſſe, verbi gratia contigiſſe, vt Nero creatus Imperator matrem Agrippinam occideret, quod ab Aſtrologis in die natiuitatis eius fuerat prænuntiatum, ſi quidem tam multa Aſtrologi iſti dicunt, vt aliqua interdum eveniant, vel vt loquar cum Diuo Auguſt. 7. Confeſſ. cap. 6. *Conjectura hominum ſæpè ſibi dent vim ſortis*, & multa dicendo pleráque dicuntur ventura neſcientibus ijs qui dicerent, ſed in ea non tacendo incurrentibus.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*Speciatim an cœlum Empyreum influat in hæc inferiora*

RESpondeo affirmatiué cum Alberto Magno, Durando & aliis. Ratio Durandi hæc eſt, abſurdum eſt ponere aliquam ſubſtantiā otioſam, ſeu omni operatione deſtitutam, ſed niſi cœlum Empyreum influeret in hæc inferiora corpora, otioſum eſſet & expers cuiúſcumque operationis: nam cum eius operatio non ſit immanens, quia hæc tantùm viuentibus conuenit, illa neceſſariò debet eſſe tranſiens, & in inferiora corpora tranſire, ergo &c.

Quod ſi quæras modum quo eiuſmodi cœlum Empyreum influit, reſpondet ipſe Durandus influere per lumen, cùm ſit corpus lucidum, lumen verò illud calorem producere; aliámve, ſed nobis ignotam qualitatem: quid verò influxus ille præſtet, & quoúſque pertingat, ignotum eſſe dicunt Conimbriſēces in cap. 3. lib. 2. de Cœlo. q. 3.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*Quid præſtet cœleſtis influxus in his inferioribus.*

CErtum eſt cœlum eſſe cauſam efficientem multorum effectuum ſublunarium, cùm in illos producendos tum lucis, tum motus, tum etiam aliarum virium occultarum interuentu influat. Duæ ſunt peculiares difficultates, altera de voluntate an cœlum directè in illam influat, ſed in moralibus expedita eſt, altera de generatione animalium tam perfectorum, quam imperfectorum, an etiam ad illam cœlum ipſum influat.

Ad quam difficultatem affirmatiuè reſpondeo, cum hoc tamen diſcrimine quod cœlum, Sol potiſſimum, producat omnes diſpoſitiones requiſitas ad formam imperfecti animalis, quippè quòd careat cauſa vniuoca ad producendas illas diſpoſitiones concurrente: at verò partiales tantùm perfecti animalis diſpoſitiones producat, cùm illud habeat cauſam vniuocam, quæ præcipuas diſpoſitiones procreat vt communiter Philoſophi agnoſcunt.

## QVÆSTIO SEPTIMA,

### ET POSTREMA.

*An dentur differentiæ poſitionum.*

VIdetur affirmare Ariſtot. 2. de Cœlo cap. 2. vbi has poſitionum differentias aſſignat, *dextrum, ſiniſtrum,*

Digitized by Google

*antè,retrò.* *deorſum.* Reuera tamen illæ poſitionum differentię cœlo ex natura rei non non conueniunt, ſed tantũ impropriè & metaphoricè.

Prior pars ſatis ex eo deducitur, quod varié liceat pro varia quam habet quis ad cœlum diſpoſitione, varias poſitionum differentias illi attribuere & modò vnam partem dextram modò ſiniſtram appellare. Sic aſtronomi qui ſtellarum curſus contemplaturi ad æquinoctialẽ circulum, vbi concitatior eſt illarum motus, ſeſe vertunt partem Occidentalem dextram habent, & Orientalem ſiniſtram: è contra verò Geographi propè æquatorem habitantes, qui ad polum arcticum proſpectant, vt ex altitudine cœli, & poli eleuatione, terrę magnitudinem deſcribere queant, dextrum habent in Oriente, ſiniſtrum verò in Occidente. Denique & ipſi Poëtæ qui occaſum intuentur vt ſiderum obitus obſeruent, habent dextrum ad Septentrionem, & ſiniſtrum ad Meridiem.

Poſterior verò pars nempè impropriè ſaltem & metaphoricè poſitionum differentias cœlis competere, eſt expreſſa Ariſtotelis citato loco ſententia & oſtenditur ab illo in hunc modum. Quemadmodum, inquit: animalibus illæ poſitionum differentiæ conueniũt, vt fatemur, ita etiam ſaltem pro ſuo modo (quod addo ad expoſitionem Ariſtotelis) videntur poſſe cœlis attribui, adeo vt quemadmodum in animalibus dextrum dicitur, vnde motus incipit, cùm pars dextra aptior ſit ad motum, quàm ſiniſtra, ita etiam in cœlis dextrum dici poteſt, vnde incipit motus, nempe Oriẽs, & ab oppoſito ſiniſtrum Occidens, in animalibus pars anterior eſt, ad quã motus tendit, poſterior verò quæ à tergo eſt: ita in cœlo pars anterior erit illa quæ inter Orientẽ & Occidẽtem porrigitur poſterior verò quæ ex diametro ipſi anteriori opponitur. Denique polum Antarcticũ tãquã inferiorẽ plãtã pedis eſſe volũt & ſic ſurſum in Antarctico, & deorſum in Arctico polo conſtituunt.

Hactenus de Cœlo & Sphæra.

## RAMVS SECVNDVS.

# PHYSICÆ ARBORIS,

## *SEV ELEMENTA.*

## DISPVTATIO PRIMA.

*De Elementis in communi.*

### SECTIO PRIMA

*De nomine & varia acceptione Elementi*

ELementum generatim id dicitur quod in re aliqua primum eſt, & ex quo ipſa res componitur, vt litteræ orationis. Variis autem modis ſumitur. Primò pro primis cuiúſque rei principijs, quęcumque tandem illa ſint in quo ſenſu diximus litteras eſſe orationis elementa Secundò pro omnibus principiis generationis, materia, forma, & priuatione. Tertiò pro Solis principijs compoſitionis, materia & forma, Quartò & ad noſtrum inſtitutum pro illis quatuor ſimplicibus corporibus igne, äere, aqua & terra, ex quorum permixtione omnia corpora, ſublunaria, quæ propriè mixta dicuntur, conſurgunt.

### SECTIO SECVNDA.

*De exiſtentia Elementorum.*

QVadam dari elementa fatentur omnes, ſed in aſſignando eorum numero diſſentiũt. Sententia Ariſtot. &

Peripateticorum eſt: eſſe quatuor non plura, nec pauciora, ignem, aërem, aquam, & terram. Colligitur autem iſte numerus ex quatuor primarium qualitatum combinationibus,hoc modo:tot ſunt elementa quot ſunt coniugationes primarum qualitatũ:atqui quatuor ſunt; prima caloris ſummi cũ, remiſſa ſiccitate, quæ conuenit igni ſecunda ſummæ humiditatis cum remiſſo calore, quæ conuenit aëri; tertia ſummi frigoris cum remiſſa humiditate, quæ conuenit aquæ; poſtrema ſummæ ſiccitatis cum remiſſo frigore, quæ conuenit terræ:ergo quatuor ſunt elementa.

Rurſus colligitur ex reſolutione corporum mixtorum quæ fit in illa quatuor elementa: ſic enim verbi g. lignum viride ab igne comburatur, hæc quatuor cernere poteris,flammam quę ignem demonſtrat, fumum qui aërem, aquæ guttulas per ipſas ligni extremitates decidentes, & cineres qui craſſam terræ materiam participãt.

Peculiariter verò quòd detur ignis elementaris, non tantum ille qui apud nos in vſu eſt, vel in ſubterraneis locis gignitur, cùm nimia ſua impuritate, & peregrinarum qualitatum mixtione vix mereatur nomen elementi, ſed ille qui communiter in Lunæ concauo, tanquam in loco naturali ponitur,contra Pythagoricos probatur: ad perfectionem vniuerſi elementum ignis deſideratur, vt patet ex eo quod ſummus calor non alteri elemento quàm igni conueniat, ergo neceſſario admittendum eſt ignis elementum: exiſtere vero in Lunæ concauo conſtat, tum ex eo quod omnis noſter ignis, vt iam dictum eſt, impurus ſit, & minus propriè elementaris tum etiam eo quod ignem ad ſuperiora aëris contendere experiantur.

Obiicies, ſi daretur ignis elementaris in concauo Lunæ,oculis cerni poſſet, ſed hoc falſum, ergo & illud.

Reſpondeo negando maiorem, ſi quidem licet omnium conſenſu detur aër, itémque ventus, nihilo minùs oculis non percipiuntur eo quod rariores ſint: ac proinde multo minus ignis elementaris in Lunæ concauo exiſtens oculis cernetur propter maiorem raritatem quæ ipſi ineſt, quàm aëri vel vento.

Rurſus obijcies, ſi daretur ignis elementariis in Lunæ concauo, cùm maximé actiuus ſit, & cœli, & vicinus aër incendio deflagrarent,ſed hoc non fit, ergo, &c.

Confirmatur authoritate Ariſtotelis 1. Meteor. cap. 3. docentis ideo corpora cœleſtia non eſſe ignea,quia cum ſint potentiſſimæ virtutis ad agendum iam ſubiecta ipſis corpora deflagraſsét ergo propter eandem rationem ignis elementaris à concauo Lunæ reiiciendus eſt.

Reſpondeò negando ſequelam maioris, licet enim ignis de ſe ſit maximè actiuus, non poteſt tamen alia corpora deſtruere, tum quia ab influxu cœlorum cohibetur eius acrimonia: tum quia rariſſimus eſt, & propterea minus potens ad agendum. Ad confirmationem nego conſequentiam, cùm enim cœlorũ,maximè aſtrorũ,& ſtellarũ materia valde compacta: de facto ſi cœli eſſent ignei,timor eſſet ne reliqua corpora penitus abſumerent; at cum ignis elementaris in Lunæ concauo exiſtens ſit valdé rarus vt dictum eſt, eam vim habere non poteſt, quã aliis ſibi vicinis corporibus interitum afferre queat.

Denique obiicies,ignis eget pabulo vt cõſeruetur, illóq; ſemoto ſtatim extinguitur ergo cum in concauo Lunæ

Digitized by Google

nullum igni pabulum adhiberi poſſit, ſi illic eſſet, ſtatim extingueretur.

Reſpondeo diſtinctione, verum eſt antecedens de igne noſtrate, & impuro, qui quoniam à contrariis impeditur, nutrimento indiget, vt ſubinde inſtauretur, falſum verò eſt de igni elementari in concauo Lunę exiſtente, quia illic tum ſua magnitudine, tum actiuitate immunem ſe protegit à contrariorum iniuriis, & ſic paſtu non indiget vt conſeruetur, & damna recepta reſarciat.

## SECTIO TERTIA.

*De eſſentia Elementorum.*

ARiſtoteles 5. Metaph. cap. 3 tex. 3. elementum hoc modo definit: *Elementum eſt id, ex quo inſito & indiuiſibili in aliam ſpeciem aliquid primò componitur.* 3. verò de cælo cap. 3 ſic: *Elementum eſt corpus in quod diſſoluuntur reliqua corpora, quibus ineſt actu, vel potentia*, Clarior hoc modo erit: *Elementum eſt corpus ſimplex in quod alia reſoluuntur.*

Prima particula, *corpus*, ponit diſcrimen inter elementum, & materiam & formam, quæ corpora non ſunt ſecūdā *ſimplex*, ſecernit elementum à corpore mixto. Poſtrema particula, *in quod omnia reſoluuntur*, ſeiungit elementum à cæleſtibus corporibus, quæ licet ſint ſimplicia, in alia tamen corpora reſolui non poſſunt.

Cæterum ad hanc elementorum eſſentiam pertinet quæſtio, an in ipſis dentur quædam formæ ſubſtantiales. Plærique negāt recipiētes tantum qualitates, ſiue alteratiuas, calorem, frigus, humorem, ſiccitatem: ſiue motrices, grauitatem, & leuitatem, loco formarum ſubſtantialium.

Verior tamen eſt contraria ſententia noſtra, affirmans dari ſubſtantiales elementorum formas, tum quia ſunt corpora naturalia: ac proinde materia, & forma ſubſtantiali conſtant; tum quia, & inter ſe & ab aliis eſſentialiter ac ſubſtantialiter diſtinguuntur, ideóque per formas ſubſtantiales, cum in materia non tantum elementa, ſed omnia corpora conueniant.

Occurres Ariſtotelem 2. de generatione textu 10. conceptis verbis contrarium docere, cum ait formas & differentias elementorum eſſe qualitates tactiles, ſeu primas.

Reſpondeo explicatione Ariſtotelis, docet quidem ipſe qualitates tactiles eſſe formas, & differentias elementorū proprias, vt eſt riſibilitas reſpectu hominis, non vult tamen eſſe maximè proprias, & eſſentiales vt rationale reſpectu hominis, maximè autem propriarum, & eſſentialium differentiarū non meminit, quod illæ occultę ſint, & abſcōditæ, miniméque innoteſcant.

## SECTIO QVARTA.

*De affectionibus Elementorum.*

### QVÆSTIO PRIMA.

*Vtrum Elementa ſuſcipiant magis & minus.*

PArtem affirmatiuam ſequitur Auerroës, in primum de Cœlo commento 65. negans tamen, vt communior, ita probabilior eſt quamuis à nonnullis longo verborum tractu explicetur, ſufficienter tamen hac vnica ratione à nobis demonſtratur. Nulla ſubſtantia ex Ariſtotele in ſuis categoriis, cap. de ſubſtantia ſuſcipit magis & minus, atqui elementa ſunt veræ ſubſtantiæ, ergo non ſuſcipiunt magis & minus.

Confirmatur: graduum latido, & intenſio non habent locum ſubſtantialis; quæ quantumuis exiguæ totam rationē ſubſtantiæ omnéſque eius gradus par-

ticipant: ergo elementa quæ ſunt ſubſtantiæ, intendi & remitti, ſeu ſuſcipere magis & minus non poſſunt.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*Quænam qualitates Elementis inſint, & quomodo ad illas ſe habeant.*

NOtandum qualitates in elementis eſſe in duplici differentia, alias, primas ſeu quæ ex ſuperioribus non oriuntur, vocarique ſolent alteratiuæ, hæ nempè quatuor; calor, frigus, humor, ſiccitas: aliæ ſunt ſecundæ, ſeu ex primis ortæ, & hæ multiplices, aliæ motrices, grauitas ſcilicet & leuitas, aliæ non, vt perſpicuitas, raritas, denſitas, & ſimiles, quas omnes ex quatuor primis oriri communis eſt Philoſophorum ſententia, potiſſimum de aliis à motricibus, vt de coloribus, odoribus, ſaporibus, ſonis, duritie, mollitie &c. Id de coloribus habet Ariſtot. ſect. vlt. problematum de odoribus lib. de ſenſu cap. 5. de ſaporibus eiuſdem lib. cap. 4 de ſonis, ſectio 11. problem. de duritie, mollitie aliiſque tactilibus qualitatibus lib. 2. de ortu cap. 2. Speciatim verò grauitatem ex primis qualitatibus oriri hinc patet, quod terra per calorem in exhalationem attenuata leuior fiat, aqua verò frigore concreta grauior euadat.

## QVÆSTIO TERTIA.

*De primis qualitatibus motricibus ſpeciatim.*

### ARTICVLVS PRIMVS.

### ET SECVNDVS.

*De nomine primæ qualitatis alteratiuæ, eiuſque exiſtentia.*

QVid intelligatur nomine primæ qualitatis alteratiuæ ex ſuperiori quæſtione conſtat, ea ſcilicet, qualitas quæ nulla alia eſt, ſed ex qua reliquæ fiunt, quæ ſint peculiares corporibus ſublunaribus, quod addo propter lucē per totum cœlum diffuſam, quæ à nulla prima qualitate proficiſcitur.

Conſtat etiam omnium conſenſu dari aliquas eiuſmodi qualitates primas alteratiuas, ſed tantum in earum numero inter Cardanum, & reliquos Philoſophos conuertitur, Cardanus enim tantum recipit calorem & humiditatem, frigus verò & ſiccitatem vult tantum eſſe negationes caloris & humiditatis.

Alij tamen longè melius refellendo Cardanum: non tantum recipiunt calorem & humiditatem, ſed frigus etiā & ſiccitatem, tanquam qualitates reales, idque hyemalis tempeſtas anni 1616. de frigore, & ſiccitas æſtatis anni ſuperioris de ſiccitate, ſatis confirmant.

Obiicies: calor non eſt prima qualitas, ergo non ſunt quatuor primæ qualitates. Probatur antecedens, calor à motu & luce producitur: ergo non eſt prima qualitas, motus enim & lux illum antecedunt.

Reſpondeo negando antecedens, & conſequentiam probationis, vt enim calor ſit prima qualitas, ſufficit quod à nulla alia qualitate alteratiua corporibus ſublunaribus peculiari oriatur, quod certè verum eſt, etſi à motu, & luce proficiſcatur quocumque modo id fiat, ſiue per ſe, ſiue per accidens, quia imprimis motus non eſt qualitas, lux verò etſi ſit qualitas, non eſt tamē peculiaris ſublunaribus corporibus, ſed per omnes cæleſtes globos diffuſa.

Secundò obiicies, grauitas & leuitas ſunt qualitates priores quatuor ſupradictis alteratiuis, ergo hę non ſunt primæ. Antecedens probatur primò: motus localis ex capite vltimo vltimi lib. Phyſ. prior eſt motu alterationis: ergo illius principia, nempe grauitas, & leuitas, priora erunt quatuor primis

qualitatibus alteratiuis, quæ ſunt principia motus alterationis.

Secundò grauitas & leuitas ſunt cauſa caloris; ergo ſaltem illo priores eſſe debebant; ſic calor non erit prima qualitas: antecedens huius probationis oſtenditur, quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati, ex ſupradictis; ſed grauitas & leuitas ſunt cauſa motus, qui eſt caloris cauſa, ergo grauitas & leuitas ſunt cauſa caloris.

Reſpondeo negando antecedens, ad primam probationem diſtinguo antecedens, ſecundum Ariſtot. motus localis eſt prior motu alterationis, ſi ille in genere ſumatur, vt etiam cœleſtem lationem quæ omnem antecedit alterationem complectitur, concedo: ſi verò in ſpecie, vt ſolum motum localem elementorum comprehendit, nego, & ſic neganda eſt conſequentia.

Ad ſecundam probationem reſpondeo negando antecedens, & diſtinctione maioris illius ſyllogiſmi quo confirmatur: *Quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati*, ſi ſit cauſa alicuius cauſæ per ſe, concedo: alicuius tantum cauſæ per accidens, nego: Iam ad minorem venio, & dico motum non eſſe cauſam per ſe caloris, ſed tantum per accidens, ex ſuperioribus: ideóque grauitatem & leuitatem, quæ dicuntur cauſæ motus, eſſe tantum cauſas alicuius cauſæ per accidens, & non per ſe, caloris.

Denique obiicies, ſiccitas à calore producitur, & humor à frigore, ergo non ſunt primæ qualitates.

Diſtinguo antecedens, ſiccitas producitur à calore, & humor à frigore, per accidens verum eſt; quatenus ſcilicet calor reſoluendo humidiores partes in vapores ſiccas relinquit, & frigus vniendo humidiores cum ſiccis, impedit ne in exhalationem abeant; per ſe verò falſum, & ita nego conſequentiam.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De eſſentia primarum qualitatum.*

QVoniam concreta notiora ſunt abſtractis, per concreta definiuit Ariſtoteles 1. de ortu cap. 2. primas qualitates.

*Calidum*, inquit, *illud eſt quod congregat homogenea* (ſcilicet ea quę ſunt eiuſdem rationis) *& ex conſequenti heterogenea* (ſeu diſtinctæ rationis) *ſecernit ac ſegregat.* Sic ignis in fornace veri auri partes congregat, & in vnum cogit; ſegregat verò aliorum metallorum admixtorum plumbi, ferri, &c. partes magis terreſtres.

Notandum verò eſt, vt bona ſit iſta calidi definitio ab Ariſtotele aſſignata, per partes homogeneas, non eas tantùm intelligendas eſſe quæ ſunt eiuſdem naturæ & ſpeciei, ſed eas etiam quæ ad vnius naturæ compoſitionem venire poſſunt cùm in concoctione diuerſa alimenta in eandem chyli naturam coëant, & in eodem vaſe pix & cera liquefacta vi caloris ſimul admiſceantur & congregentur.

Obiicies, calidum diſgregat etiam homogenea, vt cùm aquæ partes in vapores diſſolutas ſurſum attolit, ergo malè definitum eſt calidum quod tantùm diſgregat heterogenea, & congregat homogenea.

Vt huius obiectionis diſſoluatur antecedens, Notandum eſt heterogeneũ duplex eſſe: alterum ſecundùm ſubſtantiam, vt ſunt ignis & terra, quæ ſubſtantialiter diuerſa ſunt: alterum ſecundùm accidentia, vt vapor & aqua; quorum quidem eadem ſubſtantia eſt, diuerſa tamen qualitas, & diuerſum accidens; cùm aqua,

Digitized by Google

vt aqua frigida omnino ſit, vt verò in vaporem diſſoluta, aliquid caloris acquirat: pariter homogeneum duplex, vnum ſimpliciter, tam ſecundùm ſubſtantiam, quàm accidentia, vt omnes aquæ partes, quarum & eadem eſt ſubſtantia, & eædem ſimiliter qualitates, eadémque accidentia: alterum ſecundùm quid & ratione ſubſtantiæ, non verò accidentium, vt vapor & aqua, exhalatio & terra, & hoc homogeneũ idem planè eſt cum heterogeneo, poſteriori modo ſumpto. Hoc præmiſſo ad ſupradictum antecedens

Reſpondeo diſtinctione: calidum diſgregat homogeneum ſecundum quid, & quod accidentario heterogeneum eſt, vt aquam & vaporem, admitto: homogeneum ſimpliciter, tam ratione ſubſtantiæ, quàm accidentium, quod nullo modo heterogeneum eſſe poteſt, nego, quomodo explicanda eſt ſupradicta calidi definitio.

Secundo frigidum definit eodem loco, *quod aqualiter cogit, & congregat homogenea, & heterogenea*, cuius rei exemplum inſigne eſt in aqua gelu concreta, tunc enim frigus non modò aqueas partes, ſed ligna, lapides, oſſa, carnes, domos integras, & ſi quæ alia propè ſint, aceruatim congerit, vt experientia anno 1616. comprobauit.

At, inquis, videmus ſæpè frigoris vehementia ſaxa ingentia & magna ædificia diſrumpi, & citato anno in Sequanam cecidiſſe, eorúmque partes diſſociari: & diſgregari: ergo malè frigidũ definitum eſt, quod homogenea & heterogenea cogit.

Diſtinguo antecedens: ſaxa frigore diſrumpuntur per accidens verum eſt, quatenus ipſorum partes nimis conſtringuntur frigore: & ideo dum ſe anguſtius coarctant cogũtur diſſociari, per ſe autem nego. Et iuxta hanc diſtinctionem expono frigidi definitionem.

Tertio, ſiccum ab eodem definitur *quod ſuo termino facilè continetur, difficilè tamen alieno*, vt patet in lapide, qui in ſuo loco & termino placidè conquieſcit, in alieno verò poſitus omnem conatum facit, vt exeat, & ad proprium locum redeat.

Denique humidũ definitur *quod proprio termino difficilè coërcetur, facilè tamen alieno*, vt patet in aqua quæ cõtinuo defluit, ſi ſit in proprio loco & termino, alieno tamen termino, puta vaſe, vel aliquo alio corpore, facilè continetur.

Dices, cùm glacies humida ſit, hinc ſequitur termino ſuo non velle contineri, quod pugnat contra experientiam.

Reſpondeo: glaciem habere etiam ſiccitatem aliquam admixtam ratione cuiuſdam terrenæ concretionis, vt in Meteoris dicemus; & ideo ratione illius ſiccitatis proprio termino cohiberi.

## ARTICVLVS POSTREMVS.

*De affectionibus primarum qualitatum.*

PRima affectio eſt, an omnes illæ quatuor primæ qualitates ſint actiuæ, an verò earum aliquæ ſint tantùm ad patiendum natæ: ſed ſolutio patet ex dictis art. 2. videlicet quatuor qualitates eſſe actiuas.

Confirmatur de humore & ſiccitate, de quibus videtur quaſi dubitare Ariſtoteles ſecundo de ortu cap. 2. Quod eſt principium tranſmutationis alicuius, illud debet eſſe actiuum: atqui humor & ſiccitas ſunt eiuſmodi: ergo, &c.

Probatur minor, in ſingulis elemẽtis, vt igne & aëre, aqua & terra, quæ ſæpè tranſmutatur in ſe inuicem, nullum

Digitized by Google

lum aliud eſt principium tranſmutationis, quàm humor & ſiccitas, nam in aliis qualitatibus conuenit, nempe ignis & aër in calore, aqua & terra in frigore, ideóque ſecundum illas qualitates inter ſe pugnare, & ſe mutuò tranſmutare non poſſunt, ergo humor & ſiccitas ſunt principia alicuius tranſmutationis.

Confirmatur, præterea ex vſu & praxi Medicorum, qui cùm humorem plus æquo abundare deprehendunt ſicca corpora admiſcent, vt ſcilicet humor & ſiccitas in ſe mutuò agant, ſeſeque corrigant, & ad temperiem reducant: quod non eſſe verum, ſi humor & ſiccitas non eſſent actiuæ qualitates.

Circa hanc affectionem rogabis primò, quo pacto in agendo illæ qualitates comparari poſſint?

Reſpondeo hunc eſſe ordinem, calor magis actiuus quàm frigus; frigus magis actiuum, quàm humor; & humor quàm ſiccitas, quod totum experientia teſtatur.

Rogabis ſecundò, an quæ qualitates ſunt minus actiuæ, eo magis paſſiuæ, & reſiſtant?

Reſpondeo affirmatiuè, probóque experientia: nam cùm calor maximè ſit actiuus, omnium citiſſimè extinguitur minúſque iniuriam inferenti reſiſtit, frigus item minus reſiſtit, quam humiditas, quia citius expellitur minúſque remoratur actionem contrarij agentis: tandé ſiccitatis maior eſt reſiſtentia, quàm humiditatis, cùm difficilius expellatur, & fortius contrariorum conatus repellat.

Mitto quod in hoc maximè elucet Dei & naturæ prouidentia; ſi enim maiorem, aut ſaltem æqualem reſiſtendi facultatem qualitatibus magis actiuis contuliſſet, iam aliis interitum attuliſſet, nec minus actiuæ potuiſſent illis ſatis reſiſtere, quare dicendum eſt, Deum & naturam defectum actiuitatis, in minus actiuis qualitatibus, maiori reſiſtenti potentia compenſaſſe.

Secunda affectio, eſt illę duæ qualitates, quas ſuperius ſingulis elementis ineſſe diximus, ſint æqualis intenſionis, v.g. an calor & ſiccitas quæ in igne admittuntur, eundem intenſionis gradum obtineant, idémque de aliis elementis dicendum eſt.

Nonnulli ex recentioribus affirmant cum Auerroë in tertium de Cœlo cõm. 62. contraria tamen ſententia cõmunior eſt, ambas qualitates quæ exiſtunt in quolibet elemento, non eſſe æquè intenſas, ſed vnam eſſe in ſummo gradu, alteram verò remiſſiorem: v.g. in igne dari ſummum calorem, magis tamen remiſſam ſiccitatem, idémque dicas de cæteris elementis.

Hæc porrò ſententia à diuerſis authoribus diuerſo modo explicatur volunt enim Nominales remiſſionem qualitatis fieri per admixtionem contrariæ, verbi gratia remiſſionem ſiccitatis in igne fieri per admixtionem cõtrariæ humiditatis.

Alij è contrario, & probabilius id negant, nóſque eorum ſententiam duplici propoſitione explicandam aggredimur.

*Prima propoſitio.*

IN ſingulis elementis non dantur duę qualitates ſummè intenſæ, ſed vna eſt intenſiſſima, altero verò remiſſa.

Expreſſa eſt Ariſtotelis ſententia ſecundo de generatione cap. 3. vbi ait terram plus habere ſicci, quàm humidi, aquam plus frigidi quàm humidi, aërem plus humidi, quam calidi; & ignem plus calidi, quam ſicci.

Fauet ratio, ſi enim ignis, verbi g. ſummè ſiccus eſſet, cum etiam ſit ſum-



Digitized by Google

mè calidus,per calorem ſummè ageret & per ſiccitatem ſummè reſiſteret, atque adeò in omnibus reliqua elementa ſuperaret; quare & ipſa tandem abſumeret. Idem pari iure de reliquis elementis dicendum eſt:ergo in ſingulis, &c.

*Secunda propoſitio.*

REmiſſio vnius qualitatis in elementis non fit per admixtionem contrariȩ, verbi gratia remiſſio ſiccitatis in igne non fit per admixtionem humiditatis.

Probatur, alioqui tres eſſent qualitates in quolibet elemento, vna ſumma, ſecunda remiſſa, tertia remittens, v g. in igne calor ſummus, ſiccitas remiſſa, & remittens humiditas, & ſic elementa eſſent mixta, & non corpora ſimplicia, tum quia vna ex illis remiſſis qualitatibus & refractis non poteſt nõ eſſe accidentaria elemento: ſi enim ambæ eſſent naturales, cũ ſint contrariæ alteratiuæ, vt potè ſiccitas remiſſa ignis, & remittens humiditas, duo contraria alteratiua eidem elemento ſecundùm naturam ſuam conuenirent, quod non videtur vllo pacto admittendum,nec vllius vſus eſſe poteſt.

Obiicies contra vtrámque oppoſitionem, ſi remiſſa qualitas elementi nullam habeat admixtionem contrariæ, poterit in inſtanti intendi; ſed hoc abſurdum eſt, cùm talis intenſio ſit verus motus ad quem ſucceſſio requiritur, ergo, &c.

Probatur ſequela maioris, qualitas introducitur in ſubiectum in inſtanti, quando nullam contrariam qualitatem in ipſo reperit,vt patet in lumine quod quia contraria caret, in inſtanti producitur:ergo ſi qualitas remiſſa non habeat admixtionem contrariæ, in inſtanti poterit intendi.

Aliqui ſequelam maioris admittere non dubitant, ſcilicet fieri intenſionẽ eiuſmodi qualitatum remiſſarum in elementis in inſtanti, ſicut in momento fit luminis productio.

Verùm quia mihi potius perſuadeo nec illuminationem, nec vllam alterationem quæ fit in ſubiecto extenſo, vel ratione qualitatis graduum latitudinem habentis, eſſe inſtantaneam, nego ſequelam maioris,& ad ejus probationem reſpondeo, reperiri in ſubiecto, v.g. in ipſo aëre repugnantiam, ſi non intrinſecam & poſitiuam, ſcilicet ratione poſitiuæ obſiſtentiæ contrariæ qualitatis, ſaltem extrinſecam ratione latitudinis graduum ipſius qualitatis quæ producitur, quæ quidẽ repugnantia intrinſeca ſufficiens eſt ad intenſionem motus retardandũ, ſicut diximus agendo de vacuo, internam repugnantiã, ex quæ petitur ex diſtantia terminorum, ſufficientem eſſe ad moram motus localis, nec poſitiuam ex parte medij petitam eſſe neceſſariam.

Tertia affectio eſt, num ſymbolicæ qualitates, id eſt illæ, quȩ ſub eodem nomine diuerſis elementis conueniunt ſint eiuſdem ſpeciei, v. g. calor ignis & calor aëris, humiditas *aëris* & humiditas aquæ, frigus aquȩ, frigus terræ: ſiccitas ignis & terræ ſiccitas.

Negant aliqui, ſed communior & verior eſt contraria ſententia, quam ſatis docet Ariſtoteles, tum alibi, tum maximè vbi ſtatuit quaternarium qualitatum numerum, ſi enim ſymbolicæ illæ qualitates, nempe calor ignis, & calor aëris cæteræque ſupradictæ ſpecie,& eſſentialiter diſcreparent,iam nõ quatuor tantum eſſent, ſed octo primæ qualitates.

Adſtipulatur ratio, quæ ſpecie, &

eſſentialiter diſtinguuntur, ſe mutuò intendere non valent: atqui calor ignis intendit calorem aëris, & quęuis ſymbolica qualitas aliam, vt experientia notum eſt, ergo calor ignis, & calor aëris, aliæque ſymbolicæ qualitates non poſſunt inter ſe ſpecie differre. Maior probatur, intenſio qualitatum fit additione graduum eiuſdem ſpeciei, ex quibus vna totalis conſurgat: non igitur ea quæ ſpecie; & eſſentialiter diſtinguuntur, poſſunt ſe mutuò intendere.

Confirmatur, ſi qualitates illæ ſymbolicæ, vt calor ignis, & calor aëris diſtinguerentur, nulla forent elementa ſymbola, quia debent in aliqua qualitate convenire quod eſt contra Ariſtotelem, & omnes Peripateticos.

Obiicies: proprietates rerum ſpecie diſtinctarum, ſpecie etiam diſtinguuntur, vt patet inductione: atqui ſymbolicæ illæ qualitates ſunt proprietates rerum ſpecie diſtinctarum, nempe eorum elementorum ſpecie differentium quibus inſunt, ergo ſpecie pariter diſcrepare debent.

Reſpondeo conceſſa maiori de proprietate quarti modi, & reciproca, negando minorē: nō enim calor, verbi gratia, eſt proprietas ignis reciproca, & quarti modi, ſed tantùm ſecundi: qui modus proprii ex Logica eſt improprius, & ideò etiam poteſt aëri convenire: Quòd ſi reciprocam ignis, v g proprietatem (& idem dicito de aliis elementis) inquiras: Reſpondeo eſſe combinationem duarum qualitatum ſiccitatis, & caloris, quæ tenera in nullo aliorum elementorum reperitur,

Ex occaſione huius affectionis non eſt omittenda quæſtio: an non tantum calor ignis, & calor aëris, ſed omnis alius, ſiue elemētaris, ſiue cœleſtis, ſiue vitalis in eadem ſpecie collocari debeant.

Reſpondeo affirmatiuè, probóque calor quiuis quemlibet intendit, verbi gratia, cœleſtis ſublunarem, ergo quiuis calor eiuſdem ſpeciei eſſe debet. Antecedens experientia notum, conſequentia verò ſuperius demonſtrata fuit.

Cōfirmatur, tactus qui tactiliū qualitatum (de quarū numero eſt calor) optimus iudex eſt, aliāi differentiam non agnoſcit inter omnes calores, à quocumque proficiſcantur quàm accidentariam penes exceſſum & defectum, ſeu magis & minus, quę, vt vulgo fertur, ſpeciem non mutant: ſed accidentariò tantum diſcriminant. ergo non videtur vllum eſſe diſcrimen eſſentiale inter calorem cœleſtem, terreſtrem, elementarem & natiuum.

Nec iis repugnat Ariſtoteles, cùm ad vitam conſeruandum non quemlibet calorem, ſed natiuum tantum, & naturalem requirit, vt colligitur ex cap. 8. Politicorum, vbi definit mortem extinctionem natiui caloris cum humido, hoc enim tantum arguit diſcrimen accidentarium inter calorem natiuum, & alios: quod ſcilicet natiuus ſit cōiūctus cum humiditate, ratione cuius non eſt tantæ actiuitatis, vt omnia in cineres redigat, ſicut elementaris, ſed omnia temperet diſponátque ad vitam conſeruandam, & animam in corpore retinendam.

Rurſus obiicies; calor febrilis, qui naturæ igneæ eſt, natiuum extinguit, ergo ſpecie diſtinguuntur.

Diſtinguo antecedens: calor febrilis interimit naturalem, per accidens concedo quatenus propter inſolentē ſuam intenſionem ſupra modum aperit poros, & meatus corporis,



Digitized by Google

& ita in cauſa eſt, cur ſpiritus qui ſunt natiui caloris vincula, foras euolent, ipſéque proinde calor naturalis abſcedat, per ſe verò nego, & ſic nulla eſt conſequentia.

## QVÆSTIO TERTIA.

*De motricibus qualitatibus Elementorum.*

### ARTICVLVS PRIMVS.

*Quotnam illæ ſint.*

COmmunis omnium ſententia eſt dari quatuor motrices qualitates in elementis, leuitatem ſimpliciter igni conuenientem, illúmque ad ſupremum elementaris mundi locum deferentem, leuitatem ſecundum quid aëri propriam, & illum ſupra terram & aquam, infra tamen ignis eleuantem deuehentem, illámque ad infimam mundi partem, & vniuerſi centrum deferentem, & grauitatem ſecundum quid aquæ peculiarem, illámque infra ignem & aërem, ſupra tamen terram demittentem.

Rogabis an leuitas aëris ſecundum quid habeat aliquos gradus grauitatis ſibi adiunctos, ratione quorum remittatur: & grauitas aquæ nonnullos leuitatis gradus quibus refrangatur, ſicut ſuprà de remiſſis qualitatibus alteratiuis elementorum diximus.

Reſpondeo affirmatiuè contra plærósque, & hoc modo probo: ibi eſt mixtio leuitatis cùm grauitate, vbi vterque ille motus cernitur, aſcenſus & deſcenſus, ſurſum & deorſum: atqui duo illa illementa, aqua, & aër, quorum prius graue eſt ſecundum quid, alterum leue, hos duos motus ſubire poſſunt: ſiquidem aër v. g. in terræ viſceribus contentus ſurſum aſcendit, idem verò in concauo Lunæ poſitus ad ſuam regionem deſcendere poſſet, ergo, &c.

Obiicies quare potius fiet remiſſio grauitatis per admixtionem contrariæ leuitatis, & vice verſa; quàm ſiccitatis per admixtionem humiditatis in ipſis elementis, quod tamen poſterius negauimus.

Reſpódeo huius rei rationē eſſe quod nullum effectum contrariæ qualitatis alteratiuæ deprehendamus in elemento habente ſuam qualitatem remiſſam, v. g. nullum effectum humiditatis in igne habente remiſſam ſiccitatem, è contrario verò reperiamus effectum aliquem contrariæ qualitatis motricis in elemento ſecundum quid leui vel graui, nempe in aëre vel aqua.

### ARTICVLVS SECVNDVS.

*Quomodo diſtinguantur inter ſe illæ motrices Elementorum qualitates.*

OMnino certum eſt grauitatem & leuitatem inter ſe ſpecie, & eſſentialiter diſtingui; ſed difficultas eſt de grauitate ſimpliciter, & ſecundum quid, itémque de leuitate ſimpliciter, & ſecundum quid, an grauitas ſimpliciter, & ſecundum quid eſſentialiter ac ſpecie diſcrepent; & idem de leuitate ſimpliciter, & ſecundum quid proponitur.

Aliqui eas eſſentialiter diſtinguunt. ſed oppoſitum probabilius eſt, accidentariò tantùm diſtingui penes magis, & minus intenſum.

Probatur, calor intenſiſſimus non diſtinguitur eſſentialiter ac ſpecie à calore remiſſo, ſed tantum accidentariò ſecundùm magis & minus intenſum, ex omnium Philoſophorum ſententia, ergo nec grauitas ſimpliciter, & ſumme inteſa ſpecie eſſentialitérque à grauitate ſecundum quid, & remiſſa ſeparari poterit.

Probatur item ratione ſuperius adducta: quæ mutuò ſe intendunt,

non poſſunt ſpecie diſtingui: atqui leuitas ignis intendit leuitatem aëris, cùm ſcilicet aër in ignem conuertitur, ergo duæ iſtæ leuitates non diſtinguũtur ſpecie. Idem de grauitate terræ & aquæ dicendum eſt.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*An leuitas & grauitas conueniant Elementis in ſuis locis exiſtentibus.*

CErtum eſt grauitatem, & leuitatem in actu primo, ſeu pro virtute mouendi deorſum & ſurſum conuenire elementis in ſuis propriis locis exiſtẽtibus, quia habent ſemper potentiam mouendi, & tendendi ad ſua loca naturalia, ſi ab illis ſeparata fuerint: ſed difficultas tantum eſt de grauitate & leuitate, in actu ſecũdo ſeu grauitatione & leuitatione an videlicet elemẽta in propriis locis poſita grauitent.

Videtur affirmare Ariſtoteles 4. de cælo cap. 4. ſaltem quoad media elemẽta, aërem videlicet & aquam: rectius tamen cæteri negant, elementa pure in ſuis locis naturalibus conſtituta grauitare, vel leuitare.

Fauet imprimis huic ſententię experientia, ita enim aliquando videmus nonnullos mediis ſub aquis natantes, vt ſupra ſe aquæ pluſquam 20. pedes habeant, quam tamen aquæ copiam ferre non poſſent, ſi illic grauitaret. Item qui aquam puteo hauriunt, vas in quo continetur aqua ſine labore ſurſum attrahunt, donec ex aqua emerſum per aërem attrahatur, quod palã indicat in ſuo loco aquam nullatenus grauitare.

Accedit ratio: elementa in ſuis locis naturalibus cõſtituta naturaliter quieſcunt, nec grauia deorſum, nec leuia ſurſum aguntur, ergo nec grauitant, nec leuitant, nam grauitare eſt deorſum agitari, & leuitare eſt ſurſum moueri, vt conſtat ex prædictis.

Dixi elementa pura, ſi enim impura ſint & peregrinis qualitatibus imbuta, poterunt grauitare, & leuitare, & meo iudicio illud eſt quod voluit Ariſtoteles ſupra: docuitque ex experimento deſumpto ex vtribus aëre impuro plenis, quos ait facilius deſcendere, quàm ſi inanes eſſent, quia aër ille quo replẽtur ob admixtos vapores plurimum de aqua grauitate participantes grauitat & deorſum impellit.

Obiicies, ſi ſubtraheretur terra, aqua deſcenderet, itẽmque aër ſubtracta aqua, ergo videntur hæc elementa in ſuis locis conſtituta grauitare, & leuitare.

Neganda eſt conſequentia: non enim ſequitur elementa actu grauitare & leuitare, ſed tantum habere vim leuitandi, & grauitandi, quam ad actum reducerent, poſito illo caſu qui in obiectione ponitur ad fugam vacui.

## QVÆSTIO QVINTA.

*De figura Elementorum.*

COmmunis omnium ſententia eſt figuram elementorum eſſe rotundam: atque vt ordine procedamus, de igne facile hæc ſententia demonſtratur. Ille enim talis eſſe debet vt reſpondeat ſingulis partibus cœli lunę, cuius concaua ſuperficie ambitur, quare ſicut cœlum lunæ, ipſiúſque concaua ſuperficies, quæ ipſum ignem complectitur, rotunda eſt, ita quoque ignis figura debebit eſſe rotunda & ſphærica.

De aëre videtur eſſe eadem ratio, cùm pariter globoſæ ſuperficiei concauæ ignis reſpondeat.

Tertiò, quod aqua figuram habeat rotundam, ex eo ſic concluditur, quod terram quæ ex infra dicendis rotunda eſt, omni ex parte ambire debeat.

Adde quod nauigantes alij tardius

ſtellarum ortum & occaſum cernunt, quod non ſit niſi propter aquarum ipſarum rotunditatem.

Denique quod etiam terra ſit globoſa oſtenditur ex eo quod qui habitant ad Orientem, citius orientia ſydera conſpiciant quàm incolæ Occidentis, quod aliunde oriri non poteſt, quàm ex ipſa terræ rodunditate, idémque ſignificant Mathematici in eclipſi Lunæ, cum enim illa contingat, circa Lunæ corpus notatur globoſa terrę vmbra, quæ ab ipſa terra iacitur.

Nec his obſtat inæqualitas terræ in ſuis partibus, nata potiſſimum ex variis inſulis in medio mari poſitis, variiſque montibus & vallibus, quæ cum rotunditate ipſius terræ conſiſtere nequeunt: non inquam obſtat, quia iſta inæqualitas partium terræ impedit quidem abſolutam, in rigore mathematico, terræ rotunditatem, cùm tamen ſit parui momenti reſpectu totius terræ, non impedit quin ſaltem communi æſtimatione & iudicio hominũ, moralitérque loquendo ipſa terra rotunda habeatur.

## QVÆSTIO SEXTA.

### *De exceſſu Elementorum.*

Hic duplex exceſſus in elementis notari poteſt, vnus molis & magnitudinis, alter perfectionis: Circa priorem quæritur, an elementa quo ſunt ſuperiora, eo ſint ampliora & maiorem molem habeant. Cui difficultati.

Reſpondeo primò omnium Mathematicorum iudicio ignem eſſe omniũ elementorum mole ampliſſimum: nam, præterquàm quod in longum & latum plus cæteris extenditur illa adhuc ſecũdùm profunditatem vincit, ex obſeruatione Mathematicorum.

Reſpondeo ſecundò aërem videri ampliorem terra & aqua, ſi ſecundùm omnem dimenſionem extendatur, quamuis enim eius profunditas ſit minor profunditate terræ, attamen quia longè maior eſt latitudo atque longitudo aëris, quàm terræ & aquę, ſimpliciter illis amplior videtur.

Denique ſi aquam & terram inter ſe conferamus, nihil dubium quin penſatis omnibus dimenſionibus terra ſit maior aqua, licet enim aqua longior ſit & latior, exceſſus tamen profunditatis in terra reſpectu aquæ facit, vt ſimpliciter terra maior habeatur quàm aqua.

Quod attinet ad exceſſum perfectionis ipſorum elementorum, Reſpondeo illa ſe mutuò diuerſa ratione excedere, nam terra cæteris ſua conſtantia firmitate & beneficentia longè anteſtat.

Rurſus verò quod aqua cæteris elementis ipſiſque terræ pręferenda ſit, oſtendunt variæ virtutes haud doctioribus medicis incognitę, vt quòd quædam aquæ oculos iuuent, aliæ ſanguinem ſupprimant, aliæ rigentes neruos laxent & molliant, aliæ laxatos reſtringant, aliæ denique viſcerum querelas leuent.

Tertiò, quòd aëri honoris palma debeatur, indicat imprimis eius ad vitã animalium conſeruandam neceſſitas, quę tanta eſt, vt illius tamquam ſalutaris cuiuſdam ſpiritus reciprocatione inhibita, calor natiuus confeſtim opprimatur: Accedit quòd procellæ & venti qui agitantur in ipſis aëris prouinciis maximum commodum mortalibus afferant, cùm ſcilicet nubes excitant, caſque ad opportunam terrarum irrigationem in quas ſoluunt, cùm naues ad diuerſos terræ tractus commercii gratia vehunt, & quod pluris faciendum eſt, leni quadam aura efferueſcentem nimis æſtatis calorem temperent.

Digitized by Google

Denique quod inter omnia elementa principem dignitatis gradum ignis obtineat. comprobat primò nobiliſſima qualitas, putà calor quæ illi in ſũmo gradu ineſt, itémque ſubtilitas, claritas, & aliæ multæ naturales dotes quibus exornatur: quare patet ipſa elementa diuerſa cõſideratione ſe mutuò ſuperare, & à ſe inuicem, ſuperari.

## QVÆSTIO SEPTIMA

*De tranſmutatione Elementorum.*

### ARTICVLVS PRIMVS.

*Vtrum quodlibet Elementum poſſit in quodlibet immediatè tranſmutari.*

Notandum primò quod iam ſupra indicauimus, alia elementa eſſe ſymbola, quæ in aliqua qualitate conueniunt vt ignis & aër in calore, aër & aqua in humiditate, aqua & terra in frigore, terra & prædictus ignis in ſiccitate: alia diſſymbola, quæ ſecundum vtrãque qualitatem pugnant, vt ignis & aqua, aër & terra.

Notandum ſecundò tranſmutationem eſſe duplicem, vnam proximam & immediatam, qualis eſt tranſmutatio hominis in cadauer, alteram remotam & mediatam, vt alimenti in ſubſtantiam viuentis, prius enim in chylum deinde in chymum, tum in ſanguineum rorem, tum denique in ſubſtantiam viuentis tranſmutatur. His poſitis ſit.

*Prima propoſitio.*

Symbola elementa poſſunt in ſe inuicem immediatè tranſmutari.

Probatur, nam terra verbi gratia, & ignis mutuò inter ſe pugnant, ſi præualeat ignis ſuperabit frigiditatem terræ, illique ſuum calorem imprimet; quo impreſſo vnà cum ſiccitate terræ refracta tamen & remiſſa propter rarefactam terræ materiam, ſufficiens ponetur diſpoſitio ad formam ignis, ipſéque proinde ignis immediatè ex terra generabitur: ſimiliter cum aqua & aër inſe inuicem decertant, ſi fortior fuerit aqua reportabit victoriam, inducétque frigus in aërem, quo naturalis ipſius aëris calor perimatur; & quo ad formam aquæ diſponatur, & ita ſtatim immediatè ex aëre generabitur aqua. Eadem ratio eſt de igne & aëre, aqua & terra, ergo, &c.

Obiicies, aër ex igne immediatè generari non poteſt, nec etiam ex aqua: ergo quodlibet elementum non poteſt in aliud ſymbolicum immediatè tranſmutari. Probatur antecedẽs, vt aër generaretur ex igne immediatè, deberet frangere calorem ipſius ignis, pariter ſi ex aqua gigneretur, ſuo remiſſo calore interimeret ſummum aquæ frigus: atqui neutrum fieri poteſt: non primum, quia cùm contrarium non niſi à fortiori contrario expellatur, calor ignis non poteſt expelli niſi à fortiori frigore, quod in aëre nullum eſt, vel ſi ſit aliquod, remiſſum tantum eſt & aduentitium: non autem ſecundum, quia cùm calor aëris ſit remiſſus tantum, & coniunctus cum maiori raritate, non poterit ſuperare ſummum frigus aquæ, & ſic ſe in eius materiam inſinuare, ergo aër nec ex igne nec ex aqua poterit vmquam immediatè generari.

Reſpondeo negando antecedens quãtum ad vtrãmque partem, & ad minorem probationis vtriuſque partis ordine dico: & quidem ad priorem, vt aër ſufficienter perimat calorem ignis multa ei auxilio eſſe poſſe: primò enim eſt externa quædam & aduentitia frigiditas, ſecundò materiæ copia, quæ exiguæ ignis portioni admouetur, tertiò influxus quidam cœlorum

coercentium ipſum calorem ignis: his ſi quidem omnibus fieri poterit, vt tãtùm remittatur calor ignis, quantum ſatis ſit vt diſponatur ad formam aëris maximè cum eius ſimiliter ſiccitas facile fuerit per ſummam aëris humiditatem expulſa, vnde ſtatim poterit ex igne aër generari. Ad poſteriorem verò partem eiuſdem minoris eodem modo proportionaliter reſpondendum eſt.

*Secunda propoſitio.*

POſſunt etiam diſſymbola elementa, vt terra & aër, aqua & ignis, in ſe mutuò immediatè tranſmutari.

Fauet experientia, ſi enim aquæ guttula in vehementem ignem conijciatur, non eſt dubium quin ſtatim & immediatè in ignem tranſmutetur, cùm ſtatim ſub ipſius ignis forma conſpiciatur.

Ratio adiungitur, diſſymbolum elementum, verbi gratia ignis poteſt omnes diſpoſitiones ad ſuam formam requiſitas in diſſymbolum elementum, videlicet aquam inducere, ergo poterit aqua in ignem ſtatim & immediatè tranſmutare. Antecedens probatur, fieri poteſt vt aquæ humiditas per cõtrariam terræ ſiccitatem valdè remiſſa, nõ minus ſuccumbat in certamine quod init cum ignis ſiccitate, quàm frigus in conflictu cum calore eiuſdem ignis, maximè ſi exigua aquæ portio in prælium deſcendat cum igne ingẽtis magnitudinis: ergo poteſt ignis omnes ſuas diſpoſitiones, calorem ſcilicet & ſiccitatem, deſtructis contrarijs, frigore, & humiditate, in aquam introducere proindéque ex illa immediatè generari eadem ratio vrget de aëre & terra.

Obiicies, ſi aqua immediatè in ignẽ commeet, cum ignis raritatem maiorem aëris raritate prærequirat in materia, tanquam diſpoſitionem vt in illa recipiatur, materia quæ eſt ſub forma aquæ antequam recipiat formam ignis, poterit eſſe rarior quàm materia aëris, & ſic forma aquæ ſub maiori raritate conſiſtere quàm forma aëris: ſed hoc eſt abſurdum, ergo & illud.

Reſpondeo ad maiorem: poſſe aquã in puncto quo dicitur corrumpi, manere ſub maiori raritate quàm maneat aër, quia maior denſitas illi tantum conuenit, quatenus eſt in ſuo ſtatu cõnaturali, non quatenus ad corruptionem vergit immediatè.

Deinde quod ex igne non poſſit aqua generari ſic concluderes, ignis nullum frigus poteſt admittere, ex ſecundo de partibus animalium cap. 2. ergo nec ad formam aquæ diſponi, nec conſequenter in aquam immediatè tranſmutari.

Reſpondeo ad antecedens, tametſi non poſſit ignis ſub ſumma frigiditate conſiſtere, adeo vt deſinat dici calidus, quod laudato loco voluit Ariſtoteles, poſſe tamen aliquam ſuſcipere quæ ſit ſufficiens, vt aqua ſe in eius materiam inſinuet, maximè cùm eius humiditas aliunde ab aſtrorum influxu & maiori materiæ copia roborata ipſius ignis ſiccitatem perimere poſſit, & ſe in eius locum ſubrogare: vbi autem aquæ forma ſeſe in illam ignis materiã remiſsè refrigeratam, & adhuc remiſsè calidam inſinuauerit, expellet reliquos caloris gradus, & ſuum natiuum frigus intendet, ſicque poterit tandem ſe ad naturalem ſtatum reducere.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*Quorum Elementorum ſit facilior tranſmutatio.*

*Prima propoſitio.*

CÆteris partibus facilior eſt tranſmutatio ſymbolorum elementorũ, quàm

Digitized by Google

quàm diſſymbolorum: propoſitio eſt Ariſtotelis ſecundi de ortu cap. 4. hocque modo.

Probatur: eorum elementorum facilis eſt tranſmutatio quæ ſibi minus aduerſantur: atqui ſymbola elementa ſunt eiuſmodi, quia ſibi tantum per vnam qualitatem repugnant, per aliam verò amicitiæ nexu copulantur, diſſymbola vero ſecundum omnes qualitates inter ſe pugnant, vt ex dictis ſatis conſtat ergo, &c.

*Sexta propoſitio.*

Inter elementa diſſymbola, illa facilius tranſmutantur quæ actiniores qualitates in ſummo obtiné:, v.g. ignis & aqua.

Probatur, ea facilius tranſmutantur quæ fortius & vegetius habent agendi & tranſmutandi principium, atqui illa elementa diſſymbola quæ habent actiuiores qualitates in ſummo, vt ignis & aqua, ſunt eiuſmodi, vt patet ergo, &c.

*Tertia propoſitio.*

Inter elementa ſiue ſymbola, ſiue diſſymbola, illud facilius tranſmutat aliud in ſe quod fortius eſt & actiuiori qualitate in ſummo præditum, in ignis comparatione aëris.

Probatur, illud elementum poteſt facilius tranſmutare aliud quod poteſt de illo victoriam reportare, ſed actiuius & actiuiori qualitate præditum facilius poteſt de lentiori & hebetiori victoriam reportare ergo, &c.

*Quarta propoſitio.*

Inter elementa ſymbola illa facilius tranſmutantur quæ ſibi repugnant per actiuiores qualitates, & in minus actiuis conueniunt, verbi gratia, quia aër & aqua diſſentiunt in calore & frigore quæſũt maximé actiuæ qualitates propterea facilius in ſe mutuò conuertuntur cæteris paribus (hoc enim ſemper intelligitur) quàm aër & ignis quæ diſſentiunt tantum in humiditate & ſiccitate minus actiuis.

Ratio eſt in promptu, eadẽ quæ fuit in ſuperioribus propoſitionibus, illa elementa quæ fortius agunt & dimicant facilius, in ſe mutuò tranſmutantur, atqui elementa quæ diſſentiunt ſecundum qualitates magis actiuas fortius agunt & dimicant in ſe inuicem, quando quidem pugnant tantum per qualitates in quibus diſſentiunt, ergo &c.

## ARTICVLVS TERTIVS ET POSTREMVS.

*Vtrum ex pugna duorum Elementorum tertium generari poſſit*

Senſus præſentis difficultatis triplex eſt, primus an ex duobus elementis vel elementaris naturæ, tertium aliquod naſci poſſit, per actionem alterius tertij elementi interuenientis, & hic ſenſus omnino certus eſt, quia ſæpè videmus ex vaporibus qui ſunt eiuſdem naturæ cum aqua; & ex exhalationibus, quæ ſunt terrenæ naturæ ſimul iunctis ignem generari ab alio igne in ipſos vapores, & exhalationes agente. Secundus ſenſus eſt, an quando duo elementa ita agunt, vt vnum eorum tantum patiatur, aut pati videatur, aliud tertium ab iis diſtinctum oriri poſſit, & hic etiam ſenſus eſt ſine controuerſia veriſſimus, ſæpè enim cùm ignis agit in aquam illa corrupta non fit ignis, ſed aëris generatio itémque ex aëre qui in terræ viſceribus concludebatur deſtructo per actionem terræ, non terra, ſed aqua ferè ſemper gignitur. Tertius ſenſus eſt, an ex duobus elementis corruptiſque actione alterius tertij agentis poſſit generari tertium elementum,

verbi gratia corruptis igne, & aëre fieri poſſit aqua. De hoc ſenſu maior eſt quàm de aliis difficultas, cui vt ſatis fiat, ſit.

*Prima propoſitio*

SI elementa diſſymbola inter ſe pugnent, ſeſe mutuò poterunt corrumpere, & ex illis tertium elementum oriri.

Explicatur propoſitio, ſimúlque probatur: fieri poteſt vt ignis & aqua quæ ſunt elementa diſſymbola ita in ſe inuicem agant, vt mutuò vincantur, ignis vincat aquam, illius frigiditatem corrumpendo, aqua verò è contra vincat ignem illius ſiccitatem deſtruendo, in qua cauſa nec ignis, nec aqua remanere poterunt, ſed ſtatim corrumpentur, & exurget materia humiditate aquæ, & ignis calore affecta, in quam inducetur forma aëris quæ poſtea intendet humiditatem aquæ & remittet calorem ignis.

Quæres à quo producatur illa tertij elementi forma, cum duo elementa corrupta ſint, & nullum tertium ex hypotheſi interueniat?

Reſpondeo produci à diſpoſitionibus inductis tanquam à cauſa inſtrumentali, & a Deo ſupplente ſpeciali concurſu abſentiam cauſæ præcipuę, modo ſuperius expoſito, agendo de productione formæ ſubſtantialis.

*Sexta propoſitio.*

EX duobus ſymbolis elementis inter ſe pugnantibus numquam tertium ab iis diſtinctum generatur, ſed vnum vertitur in aliud. Hæc propoſitio illuſtratur exemplo, ſimulque.

Probatur: cùm ignis & aër, quæ ſunt elementa ſymbola, in ſe inuicem decertant, non poſſunt in ſe inuicem agere niſi per vnam contrarietatem, nempè ſiccitatem & humiditatem, quia vnam tantùm contrarietatem habent, ergo ſemper remanet idem natiuus calor ignis & aëris, tantúmque corrumpitur, vel aëris humiditas vt in eius locum ſubrogetur ignis ſiccitas, in quo caſu in ignem vertitur: vel ſiccitas ignis, vt introducatur aëris humiditas, & tunc ignis in aërem tranſmutatur, ergo ex illis ſymbolis elementis nullum ab iis dictum generari poteſt.

Hæc de Elementis in communi.

## DISPVTATIO SECVNDA.

*De Elementis in particulari.*

### SECTIO PRIMA.

*De Igne.*

NOn hîc quærimus quid ignis intelligatur, & an detur, vtrúmque enim ſatis notum eſt ex ſuperioribus, quædam leuiora dubia proponenda ſunt, & breuiter ſoluenda.

Rogabis igitur primò, quomodo noſter ignis dicatur à ſe ipſo corrumpi, & minor à maiori, vt tradidit Ariſtoteles 3. de cœlo cap, 6. textu 51.

Reſpondeo ignem à ſe ipſo non per ſe, ſed tantùm per accidens corrumpi deficiente ſcilicet pabulo, quod perenniter abſumit, & quo indiget vt nutriatur, quomodo lucerna conſumpto oleo extinguitur, vel etiam ex mali pabuli applicatione, cùm ſcilicet ei non idoneè applicatur, quomodo eadem lucerna oleo nimia copia ſuper iniecto extinguitur, Eodem modo dicendum eſt minorem ignem à maiori non corrumpi per ſe & propriè, ſed tantum ſpecie tenus qua minor ita agglutinatur & admiſcetur maiori, vt non amplius diſtinctus appareat, ideóque interiiſſe videatur: quo etiam pacto ſtellarum lux à Solis luce dicitur corrumpi, quia vigente Solis luce ſtellarum lux diſtinctè non percipitur.

Digitized by Google

Rogabis ſecundò, cur ignis in vmbra magis conſeruetur, quam ſi ad Solem conuertatur?

Reſpondeo, quia in vmbra ob circumobſeſſionem contrarij frigoris ipſe calor ignis reprimitur nec illi conceditur egreſſus, ſicut cùm ad Solem conuertitur.

Rogabis tertiò cur ignis aſcenſus fit in figuram pyramidis, vt teſtatur experientia.

Reſpondeo, quia tenuiores partes ſemper citius aſcendunt & craſſiores infrà manent, mediocres tantum iniiciuntur, ita vt baſis componatur ex craſſioribus, reliquæ verò partes in pyramidis figuram cacuminentur, pro vt ſunt maiores, & citius aſcendunt.

Rogabis quartò, cur illi qui ingenti frigore premuntur grauem doloris ſenſum experiantur, ſi ſtatim ad copioſum ignem accedant, non autem ſi paulatim incaleſcant.

Reſpondeo, quia caro aſtringitur per frigus, & magis addenſatur, ideóque calorem in minori copia excipit à quo doloris ſenſus deriuatur.

Rogabis quintò, cur Salamandra in in igne viuat?

Reſpondeo negatiuè: quando enim dicitur Salamandra in igne viuere, ideò dicitur, quod ſe in nullum iniiciat, iniectáque ſtatim moriatur.

## SECTIO SECVNDA.

### *De Aëre.*

Rogabis primo quare in aëre tanta oriatur tempeſtatum diuerſitas, vernante hyeme, & vere hyemante, æſtate frigente, & calente hyeme.

Reſpondeo quia aſtrorum influxus plurimum habet momenti ad varias in ſublunari mundo mutationes efficiendas, ex quo fit vt cùm alia aſtra frigida ſint, alia calida, temporum vices mutentur, prout diuerſa aſtra dominantur.

Rogabis ſecundò, cur aër in terræ viſceribus incluſus, dum per reſpirationé attrahitur, animantibus noceat.

Reſpondeo, quia aër recentis auræ perflatu deſtituitur, & ita corrumpitur ac fit peſtilens, ſpiritúmque adeo tetricum exhalat, vt eius hauſtu pecora, aues, ferçque omnes interimantur, ſicut aqua in cauernis detenta & effluédi viciſſitudine deſtituta putreſcere conſueuit.

Rogabis denique cur illi peius habent qui frigido aëre ſudant? Reſpondeo, quia frigus aduentitium capitalem valetudinis vitæque hoſtem laxatis poris recipiunt.

## SECTIO TERTIA.

### *De Aqua.*

## QVÆSTIO PRIMA.

### *Quædam continens problemata ad Aquam in vniuerſum pertinentia*

Primum dubium eſt, num idem locus aquæ & terræ debeatur, ſed reſponſio ex prædictis patet, ſcilicet non deberi, cum ſit elementum à terra diuerſum, & ideo diſtinctum locum naturalem poſtulet.

Rogabis ſecundò, an fluuiorum motus qui per mæandros, & anfracta fiunt ſint aquæ naturales?

Reſpondeo partim eſſe naturales, partim non eſſe: partim eſſe, quia manant ab aquæ grauitate ob quam in decliuiora loca defluit, partim verò non eſſe, quia naturalis aquæ motus, cum ſit rectus, debet eſſe breuiſſimus, fluuiorum tamen in mare decurrentium motus longo itinere, & ſinuoſis conficitur anfractibus.

Rogabis tertiò cur aquæ celeriter hauſtæ minus ſitim extinguant, quàm paulatim ſumptæ.

Reſpondeo, quia aqua celeriter hauſta præceps tota ruit deorſum, ſic-



Digitized by Google

quæ haud ſeſe in omnes corporis partes inſinuat, cum tamen lentè progrediens communicetur ſingulis ipſius corporis partibus, illáſque irroret ac madefaciat.

Rogabis quartò, cur aqua frigida ab homine æſtuante hauſta, illum nonnunquam interimat?

Reſpondeo, quia tunc aqua in præcordiis apertis poris recipitur, ſicque ſuo nimio ſubitóque frigore natiuum calorem ad vitam neceſſarium perimit.

Rogabis poſtremò cur aquæ minus putreſcant quæ frequentius agitantur, quod vſu venire compertum eſt?

Reſpondeo, quia mutatio aëris inhibet acceſſum externi caloris, qui in humido putrefactionem efficit, vt tradit Ariſtoteles 4. Meteororum cap. 1

QVÆSTIO SECVNDA.

*De Mari.*

## ARTICVLVS PRIMVS.

*De eius natura & diuiſione.*

Metrodorus & Anaxagoras arbitrati ſunt mare nihil aliud eſſe quàm ſudorem terræ vi caloris eductum, ideóque ſalſum mare dixerunt, quod ſudoribus aliqua ſemper ſalſedo inſit: melior tamen eſt doctrina Ariſtotelis, mare eſſe ipſum aquæ elementum licet impurum, temporum initiis à Deo conditum, quod totam terram alluebat poſtea verò in vnum locum quem nunc occupat iuſſu Dei ſe ceſſit.

Quod attinet ad maris diuiſionem quinque Hydrographorum conſenſu: maria recenſentur, mare Oceanum, Mediterraneum, Rubrum, perſicum, & Caſpium, ſeu Hircanum.

Oceanum mare longè latéque funditur, & pro variis partibus ad quas extenditur varia ſortitur nomina quatenus ad Occidentem porrigitur à monte athlante, Athlanticum nuncupatur: cum vergit ad Orientem, Æolum: qua parte ad meridiem extenditur, ab Æthiopia, Æthiopicum appellatur: quatenus ad Septentrionem diſtenditur; Scythicũ, ſeu Septentrionale nuncupatur. Sortitur etiam pecularia nomina à ſpecialibus regionibus, à Britannia dicitur Britannicũ à Germania Germanicum & aliis eiuſmodi nominibus.

Mediterraneum ex Oceano per fretum Herculeum inter Herculis columnas, per medias terras funditur, & Africam ab Europa diſterminat, in varia præterea maria partialia diſtribuitur. Ibericum, Adriaticum, Galſicum, & alia, de quibus Geographi.

Mare Rubrum aliter Erythræum à Rege Erythreo, vt tradit Plinius, lib. 6. cap. 23. ita dicitur quòd colorem rubrum referat.

Mare Perſicum, aliter ſinus Perſicus, à Perſicis populis ita dictum eſt.

Mare denique Caſpium; ſeu Hircanum, à Caſpiis & Hircanis montibus ita vocatum eſt. De quibus omnibus lege Geographos.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*De motibus Maris.*

Varios ſtatuerunt motus in mari: primus eſt quo ſuapte natura deorſum fertur, ad modum aliorum corporum grauium Secundus eſt quo ventorum flatu & agitatione huc illúcque rapitur, & vterque motus eſt notiſſimus. Tertius à Nautis obſeruatur, mare ab ortu ad occaſum fluẽdo vehit, & de hoc difficultas quædam exiſtit à quo oriatur. Nonnulli dicunt proficiſci à cœli motu, qui ab ortu ad occaſum ipſam aquam rapit.

Sed facilè cõfutantur, quia cæleſtis

motus vix concitat aërem ſupremæ regionis ad motum, vt ex eo patet, quòd litteræ in cacumine altiſſimorum montium ſupremam aëris regionem attingentium exaratę integræ remaneāt, quod nō fieret, ſi à motu cæleſti aër ille exiſtens concitaretur: quapropter non poteſt ille cæleſtis motus ab Oriente in Occidentem ſuam vim ad ipſum mare extendere, illúdque ortu ad occaſum rapere.

Dixerim igitur potius illius maris motus ab Oriente in Occidētem, ſi de facto detur, cauſam eſſe occultam, & eſſe de eorum numero quæ cæleſtibus influentiis attribuuntur: nec pudeat ignorantiam agnoſcere, vbi decet arrogantiam abiicere. Quartò adhuc maioris momenti motus in mari cernitur, reciprocus nempe æſtus, quo tunc mare intumeſcit, & ad littora magis accedit, nunc detumeſcit, & in ſe redit.

Alij dixerunt fluxum illum & refluxum ſeu reciprocum maris æſtum oriri ex rarefactione & conſtipatione aquarum, ita vt aquæ rarefactæ tumeſcant, conſtipatæ verò detumeſcant.

Docuerunt Stoïci agitationem illam maris reciprocam ex illo potiſſimum proficiſci, quod nontātùipſa terra ſed tota mūdi vniuerſitas velut quoddam animal, debeat cogitari, quòd per nares in profundo Oceani conſiſtentes emittit ſpiritus, & retrahit maria inflando emiſſione, & diminuendo retractione.

Sed vt huius rei veritatem aſſequamur conſulamus Plinium lib. 2. cap. 49. D. Thomam in 2. diſt. 14. q. vnica, art. 5. & alios, cum illis concludamus reciprocum maris æſtum in lunā potiſſimum eſſe refundendum.

Probatur: maris æſtus maiori ex parte ſequitur Lunę periodos, ergo probabile eſt æſtum illum maris Lunæ eſſe adſcribendum. Antecedens probatur, ſicut enim motus Lunæ diurnus in quatuor partes ſecatur, ex quibus quatuor puncta principalia exiſtunt, ortus, vertex diei, occaſus, & vertex noctis, ita etiam maris æſtus diuiditur, ſingulíſque diebus naturalibus mare quater cietur, bis fluendo, & bis refluendo, fluēdo cùm Luna ab ortu ad verticem diei ſeu meridiem aſcendit; refluendo verò cùm à meridie incipit ad occaſum declinare, fluendo iterum, cùm progreſſa ad punctum Occidentale accedit ad punctum verticali noctis, & refluendo cùm ab iſto puncto verticali noctis redit ad Orientem.

Confirmatur, pro diuerſo Lunæ ſtatu, & aſpectu varietatem ſubit marinus æſtus, maximè enim feruet, cùm Luna toto orbe plena eſt, alio verò tēpore miteſcit: item quemadmodū Luna 24. horis totum cœli ſpatium non traiicit, ſed ſemper remanet aliquid quod vnius horę ſupradictæ interuallo compleat, ita etiam æſtus maris vna hoc ſingulis diebus retardatur, id eſt pluſquam viginti quatuor horas, nempe 25. in duplici illo fluxu & refluxu inſumit.

Conſtat igitur Lunam reciprocum maris æſtum potiſſimum efficere Dico potiſſimum, quia non eſt diffitendum Lunam in efficienda maris reciprocatione plurimum iuuari à Solis aſpectu, maxime, cùm tunc maiores æſtus efficit cùm Soli oppoſita eius luce tota perfunditur ſecundùm eam faciem qua nos reſpicit.

Quæ ſit autem illa virtus qua Luna hunc æſtum efficit, quæſierunt maiores, quærent & poſteri, ſed non inuenient, quia occulta eſt, & vna ex influentiis.

Obiicies primò, reciprocus maris

æſtus non poteſt fieri niſi noua aquarum additione, cùm mare tumeſcit, & earum detractione, cùm detumeſcit; ſed Luna nullas nouas aquas addit aut detrahit, ergo, &c.

Nego maiorem, tumeſcunt enim maris aquæ ad littora aſcendentes & detumeſcunt ad decliuiora loca reuertẽtes, & ſeſe ad illa retrahentes ſine productione nouarum aquarum.

Obiicies ſecundò: ſi ob qualitatem in marinam aquam à Luna immiſſam mare æſtuet, omnes aquæ fluuiales debebunt etiam æſtuare, ſed falſum conſequens, ergo & antecedens.

Reſpondeo negando ſequelam maioris, ſicut enim magnes non quodlibet ad ſe corpus trahit, ſed ſolum ferrum, ita Luna non quamlibet aquam indiſcriminatim mouet, ſed marinam tantùm aquam, quæ ſola idonea eſt ad recipiendam qualitatem occultam, quam Luna imprimit.

Denique obiicies: ſi ob Lunæ influxum & emiſſam ab ea qualitatem reciproca agitatione mare concitetur, vnde fit vt Euripus vnius diei & noctis ſpatio ſepties recurrat?

Reſpondeo quidem id mirum eſſe, & ideo celebri fama perhiberi ſolet Ariſtotelem in eius inueſtigatione diem vltimum obiiſſe, tamen aliquam cauſam poſſe aſſignari, nempe loci ſitum vaſtuoſis cauernis anfractuoſum, per quem mare longo tractu præcipitans inuento obice regurgitat, varióque impulſu acceſſus illos & receſſus reduplicat, & multiplicat.

## ARTICVLVS TERTIVS.

### *De maris ſalſedine.*

VAriæ extiterunt de maris ſalſedine ſẽtẽtiæ. Empedocles arbitratus eſt mare ſalſum fuiſſe ob ſudores quos æſtuans terra expirauit. Metrodorus docuit ſalſedinem aquis obueniſſe, ex eo quòd tranſeuntes per varias terras hunc ſaporem contraxerint non aliter quam aqua per cineres traiecta. Exiſtimauit Ariſtoteles aquam maris ſalſam eſſe, cum propter multitudinem æſtuum exhalationem ventorum flatu decidentium, tum etiam ob ardorem Solis ipſius maris exhalationes coquentis, & quod tenuè eſt, exhalantis: vt veritas aperiatur ſit.

*Prima propoſitio.*

MAre ſalſum à Deo conditum eſt. Probatur Deus omnia ſapienter diſpoſuit, & vnicuique impertiuit qualitates ad ſuum finem accommodatas: atqui ſalſedo eſt qualitas plurimum accommodata ad finem maris, ergo, &c.

Probatur minor, duplex potiſſimum eſt finis ad quem mare inſtitutum eſt, primus vt eſſet commune piſcium domicilium, ſecundus vt in eo fieri poſſet nauigatio ad commercij & rerum neceſſariarũ copiam parandam: atqui vtrique illi fini ſalſedo fuit accommodatiſſima, nam efficit vt mare non putreſceret, & vt fortius & craſſius eſſet ad maiora nauium pondera ſuſtinenda; ergo, &c.

*Secunda propoſitio.*

PRobabile eſt ſalſedinem fuiſſe inditam mari non primo die creationis, ſed tertio quandò Deus omnes aquas vnum in locum ſecreuit.

Ratio eſt, quia cùm ante illum diem aqua vndique terræ incubaret, ſi ſalſum fuiſſet, ab ea terra ſalſedinem cõtraxiſſet, quod tamen nonniſi cum magno terræ detrimento & ſterilitate cõtingere nõ potuit, cũ ſalſedo ſit ſterilitatis parẽs, vt ex eo intelligitur quod terra ſuæ fœcunditatis grauem iacturam feciſſe perhibeatur ob generalẽ aqua-

Digitized by Google

rum marinarum eluuionem quæ tempore Noë contingit.

*Tertia propoſitio.*

PRobabile eſt etiam Deum vſum eſſe multis exhalationibus aduſtis quas in mare iniecit, ad ipſius ingenerandã ſalſedinem. Probatur, Deus rarò ſe ſolo efficit quod poteſt interuentu cauſarum ſecundarũ producere:atqui interuentu ipſarum exhalationum aduſtarum Deus poteſt producere maris ſalſedinem, cum illæ ad eam imprimendam vim magnam habeant, vt ex eo patet quod pluuia ex Auſtro decidens ſalſior ſit, qui admixtas habet eiuſmodi exhalationes aduſtas: ergo, &c.

*Quarta propoſitio.*

PRobabile etiam eſt Solis ardorem multum maris ſalſedinem iuuare, coquendo ſcilicet nouas exhalationes quę admiſcentur, & veteres recoquendo. Fauet experientia, nec non etiam Ariſtoteles ſect. 23. problematum, vbi habet aquam ſummam eſſe profunda ſalſiorem, vtique quia ſumma magis intenditur, & exhalationes eius magis decoquuntur, quàm profunda.

Obiicies, multi ſunt fluuij qui non minus Solis ardore exuruntur, ac pro ſua magnitudine non minorum exhalationum à terra prodeuntium copiã excipiunt, quàm mare, & tamen ſalſi non ſunt: ergo aſſignata cauſa non eſt legitima.

Reſpondeo negando conſequentiã, probabile enim eſt Deum mare ſalſum non reddidiſſe earum tantum exhalationum inieſtione quæ à terra fuerunt extractæ, ſed aliarum quoque multarum, quæ eo fine creauit, vt mare ſalſum redderet.

## QVÆSTIO TERTIA.

*De fontibus & fluuiis.*

### ARTICVLVS PRIMVS.

*De ortu Fontium & Fluuiorum.*

NOtandum eſt fontes & fluuios alios eſſe perennes qui videlicet aquis ſuis nullo tempore carent, alios eſſe non perennes, qui aliquando ſuis aquis deſtituuntur, certiſque tãtum tẽpeſtatibus fluunt. Hinc quæſtio eſt vt vndénam fontes iſti, & fluuij oriantur: ſoluetur his propoſitionibus.

*Prima propoſitio.*

NOnnulli fontes & fluuij non perennes oriri potuerunt, vel ab imbribus in locis terræ cauernoſis receptis, vel ex aëre & vaporibus in aquam reſolutis,

Ratio eſt, quia cum aliquando tanta aquæ copia è ſublimi deſcendat, probabile eſt multos fontes & fluuios inde exiſtere.

*Secunda propoſitio.*

NOn omnes fontes & fluuij ex imbribus in terræ alueis receptis, aut ex vaporibus in aquam ſolutis gigni poſſunt.

Ratio eſt, quia non eſt veriſimile tantam aquam deſcendere, & tot vapores in aquam ſolui in ſinu terræ, vt ſufficiant ad gignendos Fontes & Fluuios qui perenniter defluunt, & numquam ſuis aquis priuantur, maximè cùm nec imbres ſemper decidãt, nec perpetuò vapores in aquam reſoluantur.

At inquies, Fontes & Fluuij creſcũt, & decreſcunt, prout frequentiores & minus frequentes imbres decidunt, ergo ex ipſis imbribus videntur gigni Fontes & Fluuij.

Reſpondeo negando conſequentiam, ex eo enim quòd fontes & fluuij in-

Digitized by Google

mentum, vel decrementum ſuſcipiant, ob maiorem minorémve imbrium decidentium copiam, arguit ſolum Fontes illos & Fluuios ab imbribus augeri, quod non negauimus, non tamen ab illis generari.

*Tertia propoſitio.*

FOntes & Fluuij perennes à mari ortum ducunt. Probatur: *Ad locum vnde exeunt Flumina reuertuntur, vt iterũ fluant.* Confirmatur, ſiquidem non eſt alia cauſa cur tot Fluminum quotidiano acceſſu maria non creſcant, niſi quia, dum hæc regrediuntur, egrediantur alia, eo modo vt illorum ingreſſu ipſis maribus tantundem reſtituatur quantum fuerat horum egreſſu detractum.

Obiicies primò, nullo pacto videtur credibile vt aqua, quæ ex ſe grauis eſt, ad altiſſimos montes in quibus perennes Fluuij & Fontes reperiuntur, aſcendere poſſit, ergo Fluuij eiuſmodi & Fontes non oriuntur ex mari.

Prætermiſſis variis reſponſionibus quæ nullius ſunt momenti, nego antecedens, tamen vt rectè habet D. Thomas in 2.d.ſt.14.quæſt.1.etſi aqua propria ſua inclinatione è mari non aſſurgat ad altiſſimorum montium cacumina, nihil tamen prohibet quominus vi cœleſtium influentiarum ad illa loca pelliciatur, propter bonum vniuerſi, vt videlicet metallis quæ in terræ gremio generantur, itémque animantibus & ſtirpibus, quæ aquæ hauſtu aluntur, tempeſtiuam irrigationem præbeat.

Obiicies ſecundò, aquę fontanæ & Fluuiatiles ſunt dulces, ergo nequeunt ex mari promanare, cuius aquæ ſalſæ ſunt & amaræ.

Reſpondeo negandò conſequentiã: ſalſæ enim maris aquæ antequam longis mæandris, & ſinuoſis anfractibus ad Fontium & Fluuiorum loca perueniant, depoſitis exhalationibus aduſtis, quę & ſalſedinem inducebant, & inductam conſeruabant, etiam ſalſedinem & amaritudinem deponunt.

ARTICVLVS SECVNDVS.

*De Nili ortu & incrementis.*

DE Nili ortu ſcriptores multa poſteris tradiderunt: Ptolomæus credidit eum à Lunæ montibus dimanare, traditque Ariſtoteles ex mari ortum ducere. Verum communior & verior ſententia magiſque hoc tempore probata habet. Nilum ex paradiſo terreſtri profluere, eſséque vnum ex quatuor fluminibus, Phiſon vel Ganges, Gehon, Tigris, & Euphrates, quæ ex eo oriuntur, illud ſcilicet quod in ſacris litteris Gen. 2. Gehon appellatur, vt teſtantur Patres, & inter cæteros D. Aug 8 de Geneſi ad litteram cap 7.

Ratio huius interpretationis eſt quòd in ſacris litteris loco proximè citato iſte fluuius Gehon dicatur circuire terram Æthiopiæ, quod non alteri fluuio quàm Nilo conuenire poteſt. Confirmatur: ſi enim oriretur ille fluuius aliunde quàm ex terreſtri paradiſo, vtique multi qui eius originem curioſè inquiſiere, de ea aliquid certò potuiſſent comperire, quod tamen falſum eſt.

Cæterùm quod multis errandi occaſio fuit, illiſque perſuaſit non ab ipſo terreſtri paradiſo, ſed aliunde Nilũ originem ducere eſt, quod ſubterraneis cuniculis abſcondatur, & tum primum in lacu in regno. Congenſi naſci videatur.

Quod ſpectat ad Nili incrementum, quod ad decem cubitos eſſe refert Seneca lib 4.qq. naturalium cap 2. de illo non eſt eadem omnium ſententia.

Communior

Communior tamen hæc eſt increméti & inundationis Nili eſſe immenſam pluuialis aquæ multitudinem quæ ad paludes & loca illa ſuperiora, è quibus fluit Nilus, colligitur, atque in eius álueum fertur, & ſecundo curſu in deuexa Ægypti loca dimittitur.

Sed rogabis vnde illa pluuialis aqua tam rato & ſtatuto tempore ipſis paludibus, & fontibus, à quibus fluit Nilus, proueniat, vt ea in ipſo Nilo recepta intumeſcat ſtatim, & extra terminos defluere incipiat?

Reſpondeo; quia tempore quo fit talis inundatio, & tota Ægyptiorum terra aquis cooperitur, hyems eſt in ipſis terris, in quibus paludes ipſæ ſunt nempe in regno Congenſi, pluuia autem hyeme decidere ſolet, ad quod etiam concurrit cœleſtis quædam virtus, & occulta alicuius ſideris in hac parte dominantis influentia, quâ pluuia iſta inibi excitatur, vt bene obſeruauit doctiſſimus Scaliger exercitatione 49 in Cardanum.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De admirabili quorumdam Fontium & Fluminum naturâ.*

ARcana eſt quorumdam Fontium natura: D. Aug. 1. de ciuit, cap. 7. quorumdam meminit & primo illius qui eſt apud Garamantas, in quo inquit vna vena friget diebus, noctibus feruet, vtrâque vi moleſta tangentibus. Alium refert; ſed anonymum, qui cum ſit contrectantibus frigidus, & facem accenſam, ſicut alij Fontes extinguat, diſſimiliter tamen & amirabiliter idem ipſe accendit extinctam.

Quidam referunt in Bœotia duos eſſe Fontes, quorum alter obliuionem affert alter memoriam, alius in Æthiopia ſitus dicitur inſaniam generare, alij alias virtutes habẽt: ſed eos hoc loco prętermittimus quòd eorum plena ſint hiſtoriarum volumina.

Non minora de fluminibus à diuerſis authoribus narrantur, vt de Mileo quod oues reddit albas, & de Celeo Flumine, quod eaſdem reddit nigras. De his & ſimilibus aliis penè infinitis ſcripſerunt Plinius, Antonius de Torquemade, & alij.

## SECTIO POSTREMA.

ROgabis primò, an terra ſit in medi mundio conſtituta?

Reſp. ita eſſe, moraliter loquendo, non tamen ſecundum ſubtilitatem & rigorem mathematicum.

Prior pars patet, illud eſt moraliter medium & centrum vniuerſi, quod moraliter æquã ſeruat ſecundũ omnes ſuas partes à circumferentia cœli diſtantiam: atqui terra ita ſe habet, nam vt ſtatim apparebit, tametſi ſecundum aliquas partes abſolutè minus à cœli circumferentiam diſtare, ſecundum alias magis videatur, hæc tamen maior vel minor diſtantia moraliter loquendo, & habita ratione totius vniuerſi nulla ferè eſt, ergo, &c.

Poſterior verò pars, probatur nam cùm terra habeat partes alias aliis eleuatiores, & ſublimiores, nempe montes, non omni ex parte videtur æquè diſtans à cœli circumferentia, atque adeo ſecundum rigorem mathematicum medium vniuerſi non eſt.

Rogabis ſecundò, an terra reſpectu cœli inſtar puncti ſe habeat?

Reſpondeo negatiuè, ex rigore mathematicorum quia terra varias partes continet, cùm tamen punctum mathematicum ſit, id cuius pars nulla eſt affirmatiuè verò, moraliter: tanta enim eſt magnitudo cœli, vt eius comparatione magnitudo terræ nulla videatur, ſed appareat velut punctum, ſicut minima ſtella firmamenti non appareat niſi velut aliquod punctum licet totius

terræ magnitudinem multoties exuperet.

Rogabis tertiò, an terra in medio mundi maneat immobilis? Non manere quibuſdam, & potiſſimum Copernico, viſum eſt.

Reſpondeo tamen reu ra eſſe immobilem, ſaltem, ſecundum ſe totam.

Probatur quia ſi terra moueretur, vel motu rectó, vel circulari, non priori, alioqui terra aſcenderet, quoniam recederet à centro, quod eſt aſcendere, non item poſteriori, quia ſi in orbem moueretur, aut à Septentrione ad Meridiem, & hoc non, aliás interdum magis, interdum minus à polis mundi diſtaremus. vel moueretur ab ortu in occaſum, & hoc etiam dici non poteſt quia ſic terræ motus ſequeretur cœlorũ reuolutiones, ideóque eædem ſemper ſingulis noctibus ſtellæ nobis orirentur, & occiderent, quod experientiæ repugnat.

Dixi terram eſſe immotam ſecundũ ſe totam, nam interdum ratione ſuarum partium mouetur, vt patet in variis terræ motibus qui multoties contingunt.

Rogabis quartò, an terra initio mũdi fuerit cum ſuis montibus producta; & ſi non, quo tempore cœperint in terra apparere?

Ad primum reſpondeo non extitiſſe montes in terra in primæua eius origine, ſed eam omnino fuiſſe globoſam, vt eius natura poſcebat, & aquis circumfuſam.

Ad ſecundum reſpondeo, montes nõ habuiſſe originem in ipſo generalis diluuij tempore quo ab aquis in mare præcipitantibus rupta ſubductáque fuit terra, vt nonnulli immeritò contendunt: immeritò quidem, quia iam ante diluuium eiuſmodi montes extitiſſe non obſcurè colligitur ex cap. 7. Gen. vbi ſcribitur aquam diluuij quindecim cubitos ſupra altiores montes elatam fuiſſe, ſed ortos fuiſſe ipſa die tertia creationis vniuerſi, qua Deus vnum in locum aquas ſecreuit, & in terræ cauernis incluſit, cùm enim Deus eiuſmodi cauernas conſtituit, terræ molem in altum ſuſtulit, ſicque montibus ortum dedit, cum ad pulchritudinem vniuerſi, tum etiam ad rerum, quæ ex terra naſcuntur, fertilitatem, & copiam, cum plurimæ res in montibus aliæ in vallibus benè habeant, tum demum ad arcendos maris & Fluuiorum incurſus impetúmque ventorum cohibendum.

Rogabis quintò, an vis generandi herbas ſit terræ naturalis, an verò aduentitia, & illi ex prouidentia diuina ad bonum vniuerſi in prima rerum creatione conceſſa?

Reſpondeo Deum illi hanc virtutem contuliſſe, tertia die creationis, quando dixit *Germinet terra herbam virentem*: in hac autem herbarum procreatione plurimum iuuari ab influxu cœli, vnde factum eſt, vt cùm non ſit idem in ſingulis terræ partibus cœlorum influxus, ſicut nec eadem quoque eſt virtus generatiua herbarum in qualibet terræ parte, *Non omnis fert omnia tellus*, ſed alia atque alia herbarum genera, aliis & aliis tèrræ partibus generantur.

Rogabis ſextò, an terra ab initio ſuæ creationis & ante Adami peccatum, roſas cum ſpinis, an verò ſine ſpinis germinauerit.

Reſpondeo quamuis aliqui negent magni nominis, probabilius tamen videri roſas cum ſpinis fuiſſe à terra ante Adami pecatum productas, cùm ex ſua natura ipſis ſpinis adnaſci deſiderent.

Nec his obſtat quòd ex Geneſi legamus, propter peccatum Adami; Deum

Digitized by Google

imperaſſe vt ſpinas germinaret, ſi quidem iubet tantum Deus, vt ſpinas terra producat quoad effectum, hoc eſt homini moleſtas & pungentes, non autem quoad ſubſtantiam, quaſi antea illæ non extitiſſent, ſed homini minimè importunę.

Rogabis poſtremò, quæ ſit terræ diuiſio? Huius quæſtionis integra ſolutio ex Geographis petenda eſt breuiter tamen dicimus ſecundum antiquos tripartitam eſſe terræ diuiſionem, nempe Africam, Aſiam & Europam; recenter verò quartam partem, ſcilicet Americam fuiſſe adiectam, vulgo nouum orbem: nouum quidem quòd non fuerit priſcis temporibus exploratus, ſed magno labore & periculis Americi, à quo tanquam ab authore America dicta eſt, inuentus ſit; anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo; orbem verò, quod propter regionum quas complectitur magnitudinem, quaſi alter orbis & mundus eſſe videatur. Porrò in qualibet mũdi parte regna multa, in quolibet regno multæ prouinciæ, &, in plurimis prouinciis multæ ciuitates exiſtunt, quas qui diſtinctius noſſe optauerit, legat authores geographicos veteres & modernos. Hactenus de Elementis.

RAMVS TERTIVS

# PHYSICÆ ARBORIS.

## DE MIXTIS CORPORIBVS

## PRÆFATIO OPERIS DIVISIONEM

CONTINENS.

Cœlorum, Elementorúmque naturam inueſtigauimus, vt rectus ordo poſtulabat; nunc de illis corporibus, quæ ex quatuor Elementis inter ſe permixtis generantur, nobis eſt diſſerendum: & quia hic generalis ramus varios ex ſe ramulos procreat, ideò methodi, & facilitatis cauſa, illum in tres alios ramulos diſtribuemus: in primo agemus de mixtis corporibus in vniuerſum, illorum generationem, alterationem, mixtionem, aliáque huc ſpectantia diligentiſſimè explicaturi: in ſecundo ſermo futurus eſt de mixtis imperfectis, ſeu meteoris: in tertio, & poſtremo de mixtis perfectis, & potiſſimum de anima, ratione corporis animati.

Porrò ex 1. ramulo quatuor fruct' carpemus, primum ex doctrina de actione & paſſione, cùm actio genus ſit ad generationem, alterationem, & alios motus, quorum propria conſideratio ad Phyſicum pertinet: ſecundum colligemus ex ſermone de alteratione, quæ præuia eſt ad generationem ſubſtantialem: tertium ex generationis explicatione ſumemus: poſtremum ex mixtionis, & temperamenti explanatione.

## RAMVLVS PRIMVS.

*De mixtis corporibus in communi.*

## DISPVTATIO PRIMA

vnico libro comprehenſa.

*De actione & paſſione.*

## SECTIO PRIMA ET SECVNDA.

*De nomine, & exiſtentia actionis, & paſſionis.*

Qvid ſit actio, nempè actus agentis, & quid paſſio, ſcilicet actus patientis: item quòd actio & paſſio dentur, quæ ſint potiſſimę eius diuiſiones ex Logica ſupponemus.

Vnica circa ſubiectum actionis diffi-

cultas ſedulo explicanda eſt.

Scotus actionem conſtituit in agente tanquam in ſubiecto: Caietanus, & alij è contra in patiente.

Mediam ſententiam veriſſimam quidem, ſed nondum ſatis anterioribus intellectam, amplectemur, ac pro integra illius explicatione.

Notandum primò actionem bifariam accipi, primò materialiter pro ea re quæ dicitur actio, & ſic non diſtinguitur realiter à paſſione, vocatúrque tantum actio quæ actio, non autem actio vt actio ſecundò formaliter, prout actio eſt, ſeu egreſſus ab agente, & formaliter à paſſione ſeiungitur,

Notandum ſecundò ſubiectum actionis, vel paſſionis, iſtis etiam duobus modis conſiderari, materialiter, & formaliter: materialiter pro re quæ dicitur ſubiectum, ſiue interim ſubiecti munere fungatur, i. recipiat, ſiue aliud officium obeat, videlicet actionem eliciat, dicitúrque pariter ſubiectum quod ſubiectum, non ſubiectum vt ſubiectum eſſentialiter, quatenus actu exequitur proprium munus ſubiecti, ſeu aliquod in ſe recipit Quibus poſitis, ponatur.

*Prima propoſitio.*

Actio vt, actio ſeu formaliter, neque eſt in agente, neque in patiente.

Probatur prior pars, actio vt actio & prout formaliter à paſſione diſtinguitur, dicit tantum eſſe ab agente, ergo vt ſic non eſt in agente.

Poſterior probatur, quod recipitur in patiēte paſſio eſt ergo actio vt actio & vt formaliter à paſſione diſtincta, non recipitur in patiente.

Contra primam partem obiicies primo, actio denominat agens formaliter, ergo debet eſſe in agente tanquam in ſubiecto, ſicut albedo eſt in pariete, quem formaliter denominat album.

Neganda eſt conſequentia, vt enim forma ſubiectum denominet, ſufficit, quòd vel ſit in illo vt albedo in pariete: vel realiter ab illo fluat, vt actio ab agente.

Inſtabis, ſi agens denominetur agens per actionem quæ non ſit in illo denominatio agentis erit extrinſeca, & conſequenter ens rationis: at hoc dici non poteſt, ergo actio eſt in agente.

Maior neganda eſt, quia ad internam denominationem requiritur; vt nec petatur à forma in ſubiecto realiter exiſtēte, nec à forma realiter à ſubiecto emanante, ſed ab aliqua forma, in alio omninò ſubiecto exiſtente, quomodo eſſe viſum in pariete, quæ eſt perfecta denominatio extrinſeca, petitur ab actione videndi, quæ in alio omnino ſubiecto, non in oculo reſidet.

Obiicies ſecundò, actio eſt perfectio agentis interna, ergo debet eſſe in agente tanquam in ſubiecto. Probatur antecedens, agens dicitur eſſe propter actionem, tanquam propter finem, ergo actio debet eſſe interna perfectio agentis.

Reſpondeo negando conſequentiam quòd enim actio dicatur interna agentis perfectio, non eſt quod in eo ſubiectiuè recipiatur, ſed quod ſit forma realis ab ipſo orta, vnde dicitur tantū interna perfectio, quod ſit realis, & opponatur extrinſecè perfectioni, quæ eſt ens rationis, vt eſſe viſum in pariete, non autem quòd ſit perfectio in agente exiſtens.

Tertio contra vtramque partem allatæ concluſionis obiicies actio, vt actio eſt verum, & reale accidens, ergo debet eſſe in aliquo ſubiecto: nullum autem aliud poteſt

ab agente vel patiente aſſignari : ergo vt actio debet eſſe vel in agente, vel in patiente.

Neganda eſt conſeq. accidentia enim alia ſunt intrinſeca, quæ ex ſe poſtulant eſſe in ſubiecto, vt quantitas, qualitas, relatio; alia tantùm extrinſeca, quæ non poſtulant eſſe in ſubiecto, vt actio; vel circa ſubiectum, vt habere.

Adde quòd actio ſaltem materialiter ſumpta, vt identificatur cum paſſione, exiſtit in patiente, quod ſufficit, cùm rebus non conueniat exiſtentia, niſi prout materialiter conſiderantur, & vt ſunt, non autem vt ſecundùm formales conceptus ſeparantur.

*Secunda propoſitio.*

ACtio quæ actio, ſeu materialiter ſumpta; etſi fuerit immanens, non recipitur in agente, vt agens eſt, ſed tantùm in agente, quod agens eſt. Prior pars euidens eſt, omnis actio quatenus immanens, ſemper poſtulat tantùm eſſe ab agente, vt agens eſt, ex ſuperiori propoſitione : ergo actio vt actio etiam immanens, non recipitur in agente, vt agens eſt.

Poſterior probatur, actionem immanentem formaliter ſumptam recipi in patiente, quod agens eſt: dicit tantùm eam recipi in agente, quod idem eſt ac ipſum agens, ſed reuera actio immanens formaliter ſumpta recipitur in patiente, quod idem eſt ac agens, verbi gratia intellectio in intellectu, quidē eſt, ſiue agat, ſeu intelligat, ſiue patiatur, ſeu intellectionem recipiat, ergo actio immanens formaliter ſumpta, ſeu vt actio, recipitur in agente quod agens eſt.

*Tertia propoſitio.*

ACtio tranſiens materialiter ſumpta, ſeu prout identificatur cum paſſione, neque recipitur in agente, vt agens eſt; neque in agente, quod agens eſt. Quod non recipiatur in agente, vt agens eſt, ex ſuperioribus liquet, quòd verò neque recipiatur in agente, quod agens eſt, probatur recipi in agente: quod agens eſt nihil aliud dicit, quàm recipi in patiente, quod ſit idem cum ipſo agente, ſed actio tranſiens non recipitur in patiente, quod ſit idem cum agente, ſed in patiente ab agente diſtincto, verbi gratia calefactio non recitur in patiente, quod ſit idem cum igne calefaciente, ſed in ligno, quod conſtat ab igne diſtingui, ergo actio tranſiens materialiter ſumpta, ne quidem recipitur in agente, quod agens eſt.

## SECTIO TERTIA.

*De eſſentia actionis & paſſionis.*

FAcile eſt ex dictis in Logica, & ex ſuperioribus capitibus definire quid ſit actio, paſſio.

Actio nihil aliud eſt quàm actus agentis, quatenus eſt agens, & è contra paſſio actus patientis, quatenus patiens eſt.

Actus in vtráque definitione tenet locum generis, tanquam aliquid actioni, & paſſioni commune, quod in vtráque adiungitur, ſuſtinet differentiæ partes, ideóque actionem á paſſione diſcriminari, in eo ſcilicet quòd actio ab agente, paſſio verò in patiente, vt calefactio ab igne quatenus eſt actio, & in ligno, quatenus eſt paſſio.

## SECTIO QVARTA.

*De affectionibus actionis & paſſionis.*

NOn quærimus hoc loco quónam pacto actio & paſſio inter ſe diſtinguantur, nam ex Logica conſtat non diſtingui realiter aut ſola ratione, ſed formaliter & ex natura rei, penes



Digitized by Google

diuerſas definitiones eſſentiales, cùm alia ſit eſſentialis definitio actionis, alia paſſionis, vt intelligitur ex dictis. Aliæ ſuperſunt ordine diſſoluendæ difficultates.

## QVÆSTIO PRIMA.

*Vtrum detur actio inter ſimilia.*

ANte omnia notandum res propriè dici ſimiles, quæ in qualitatibus conueniunt, vt duo alba, & duo calida, idque duobus modis: primò quādo conueniunt ſecundum qualitatem, & gradum qualitatis, vt duo calida vt quatuor; vel quando conueniunt tantum ſecundum qualitatem, ſed non ſecundum gradum qualitatis, vt duo calida, vnum vt ſex, alterum vt quatuor.

Notandum ſecundò ea quæ ſunt ſimilia in qualitate, & qualitatis gradu, verbi gratia duo calida vt quatuor, poſſe eſſe diſſimilia in agendi acrimonia, & efficacitate: quia ſi vnum fuerit denſioris materiæ particeps, vt ferrum, fortius aget quàm alterum rariori materia præditum, vt palea, licet ambo habeant calorem æqualiter intenſum, nempe vt quatuor. His duobus præſuppoſitis ſit.

*Prima propoſitio.*

SImilia omnimodè, hoc eſt, tam in gradu eiuſdem qualitatis, quàm in agendi acrimonia, & efficacitate, in ſe agere non poſſunt.

Probatur, agens tantùm agit, vt aſſimilet ſibi paſſum, ex doctrina Ariſtotelis 1. Metaph. cap. 12. definientis potentiam actiuam principium tranſmutandi aliud, quatenus aliud: ergo quando perfecta eſt ſimilitudo agētis, & paſſi, vt in propoſito, nulla actio fieri poteſt.

Confirmatur authoritate Ariſtotelis, ſecundi de generatione, cap 3. & 1. eiuſdem operis, cap. 7. vbi diſertè habet non dari actionem inter ſimilia, quod ſaltem de omnino ſimilibus debet intelligi.

*Secunda propoſitio.*

INter agentia, tam in qualitate, quàm qualitatis gradu & inteſione ſimilia, non poteſt dari actio, etſi vnum ſit denſiori materia præditum quàm alterum; verbi gratia, ſi aër, & aqua habeant calorem vt quatuor, in ſe mutuò agere non poterunt, quamuis denſior ſit aquæ materia, quàm aëris. Hæc concluſio eſt diui Thomę, & eius diſcipulorum contra Marcilium primo de generatione q. 18. Sotum lib. 2. Phyſ. q. 4. & alios, facileque.

Probatur primò, quodlibet agens, eatenus tantùm agit in quantū nititur ſibi aſſimilare paſſum, ex ſuperiori propoſitione, ſed quando duo agentia ſunt ſibi ſimilia in qualitate, & qualitatis gradu, neutrum nititur alterum ſibi aſſimilare, tametſi differant penes materiæ denſitatem, quia hanc ſimilitudinem non affectant, ſed ſolam ſimilitudinem in ſuis actiuis qualitatibus, vt duo calida, ſimilitudinem in calore, & non in denſitate vel raritate materiæ cùm denſius calidum verbi gratia, non agat in rarius, vt illi denſitatem imprimat, ſed illam potius, ſi adeſſet, conaretur deſtruere; & contrariā raritatem inducere: igitur agens non agit in ſibi ſimile ſecundùm qualitatē, & qualitatis gradum, licet differant penes denſitatem & raritatem materiæ.

Probatur ſecundò, is eſt ordo inter gradus qualitatis, vt vnus ex ſe alium ſupponat, verbi gratia ſecundus primum, & ſit nobilior eo, item vt quiuis non poſſit quemlibet producere, inferior ſcilicet ſuperiorem, vt pote primus ſecundum, ſecundus tertium, & ſic de cæt. ex communi doctrina Phyſ. cn-

Digitized by Google

go quando duo agentia ſimilia ſunt tã in qualitate, quàm in gradu, & intenſione qualitatis, vnum non poteſt in aliud agere, tametſi ſecundùm materiæ denſitatem, & raritatem differant.

Patet conſequentia, nam ſi duo agétia in gradu qualitatis ſimilia, verbi gratia duo calida vt quatuor poſſent in ſe agere, vnum poſſet aliud intendere, & in eo ſuperiorem gradum, nempe quintum producere.

Obiicies agentium in qualitate, & qualitatis gradu ſimilium, illud efficacius eſt, quod materia denſiori præditum eſt, vt teſtatur experientia, ergo poteſt agere in aliud, quod materiam rariorem obtinet.

Reſpondeo diſtinctione antecedentis, ſimilium in qualitatis gradu, illud eſt efficacius, quod eſt materiæ denſioris particeps: quo ad modum celeriter, & ad maiorem diſtantiam agendi, contrariùmque impetendi, & deſtruendi, concedo: quo ad modum intendendi ſimile in gradu qualitatis, & tantum diſſimile ſecundùm materię denſitatem, nego. Explico: quia carbones ſunt denſiores quàm flamma, ideò maioris ſunt efficacitatis ad comburendum, & id quidem quod eſt remotius, frigùſque deſtruendum, quàm flamma, non ſunt tamen efficaciores ad intendendum calorem flamma, ſi ex hypotheſi ſit æqualis intenſionis cũ calore in carbonibus exiſtente.

Secundo obiicies: poſitis diuina virtute corporibus luminoſis vt quatuor, fiet intenſius lumen: ergo agens poterit agere in ſimilem qualitatis gradũ.

Reſpondeo ad antecedens: duo illa corpora per penetrationem in eodem loco conſtituta, reuera quidem actionem ſuam in longiorem ſphæram extendere, non tamen ſe intendere, ſed ambo manere ſecundùm eundem gradum, eandémque intenſionem, quam prius habebant, quia tamen ſimul vniũtur, vt æquiualeant vni luminoſo corpori, materia prædito, & ideò longiorem ſpatij tractum illuminent.

*Poſtrema propoſitio.*

POteſt eſſe actio inter agentia ſimilia in qualitate, ſed in gradu & intenſione diſſimilia, vt inter calidum vt quatuor, & calidum vt tria. Patet cõcluſio experientia, plerúmque enim videmus corpus minus calidum intendi à calidiori, vt aër ab igne & frigidũ à frigidiori, vt terra ab aqua: & ſic de cæt. quare manifeſtum eſt inter agentia in qualitate ſimilia, & in gradu, intẽſionéque diſſimilia actioné dari poſſe.

Obiicies, nulla eſt actio niſi inter contraria, ex 2. de ortu c. 7. ſed duo agentia in qualitate ſimilia, & in gradu, intenſionéque diſſimilia, non ſunt contraria: verbi gratia duo calida, alterum vt quinque, alterum vt quatuor; igitur inter illa non poteſt eſſe actio.

Reſpondeo diſtinctione maioris, nulla actio, niſi inter contraria, hoſtilis, & intendens ad corruptionem contrarij obſiſtentis concedo, quod intendit Ariſt. loc. cit. nulla actio amica tendẽs ad perficiendum ſubiectum per intenſionem, & virtutis eius, & qualitatis, nego, vt patet exemplis aſſignatis.

Adde quòd magis & minus intenſũ poſſunt dici contraria ſaltem impropria contrarietate, ſeu priuatiuè oppoſita, in quantum minor intenſio videtur dicere priuationem maioris intenſionis, quod ſufficit vt detur actio.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*An actio ſit eiuſdem in ſeipſum?*

SEnſus eſt, an idem in ſeipſum agere poſſit, ad cuius explicationem notãdum primò idem agere in ſeipſum, intelligi poſſe duobus modis, primò

Digitized by Google

actione perfectiua, quo pacto aqua dicitur in ſe agere, quando calefacta remoto igne ſe reducit ad natiuum frigus: Secundo actione corruptiua, quo pacto aqua dicitur in ſe agere, ſi ſe calefaceret, quia produceret calorem ſibi inimicum & diſſentaneum.

Notandum ſecundò actionem eſſe duplicem, aliam quæ terminatur ad ſubſtantiam, vt generatio aliam quæ habet pro termino aliquod accidens, vt calefactio quæ terminatur ad calorem, & dicitur accidentalis. His ſtatutis, ſit.

*Prima propoſitio.*

POteſt aliquid agere in ſeipsũ actione accidentali perfectiua.

Probatur primò, exemplo aquæ, ſeipſam ad natiuum frigus reducentis.

Probatur ſecundò exemplo intellectus intellectionem in ſeipſo recipientis, à qua intellectione plurimum perficitur. vt etiam voluntas à volitione, & ſic de aliis: ex quibus patet, vnum in ſeipſum agere actione accidentali perfectiua, ſeu actione terminata ad aliquod accidens ſubſtantiam perficiens.

*Secunda propoſitio.*

NVlla res per ſe ſecundum ſe totam poteſt in ſe agere actione corrumpente, poteſt tamen per accidens, & ſecundum partem.

Prima pars propoſitionis adſtruitur ab Ariſtotele. 8. Phyſ. cap. 5. 43. & 1. de ortu textu 45. probatúrque, tum quia actio corrumpens tantum eſt inter contraria, nulla autem res ſecundum ſe totam ſibi ipſi contraria eſſe poteſt, tum quia nulla res per ſe ſuam perniciem intendit, ſed ſe quantum poteſt, ab interitu vendicat, proindéque nunquam fieri poteſt vt res ſecundum ſe totam in ſe agat per ſe actione corrumpente.

Secunda pars, ſcilicet per accidens, aliquid poſſe in ſeipſum agere actione corruptiua, patet in exemplo ignis, qui dum continuò oleum abſumit ſibi ipſi ſaltem per accidens cauſa eſt interitus.

Tertia denique pars, ſcilicet aliquid in ſeipſum poſſe agere ſecundum partẽ actione corruptiua, clarè deprehenditur in viuentium decretione, qua, paulatim aliqua pars ſubſtantiæ viuentis deperditur, & corrumpitur.

*Tertia propoſitio.*

NEquit res aliqua ſecundum ſe totam actione ſubſtantiali agere in in ſeipſam, poteſt tamen ſecundum partem.

Prior pars eſt clara, ſi enim aliquid ageret actione ſubſtantiali in ſeipſum, ratione ſui totius ſeipſum totum produceret, quod ſatis videtur abſurdum.

Poſterior verò pars pariter manifeſta eſt, ſi quidem per nutritionem viuens conuertit ſubſtantiam alimenti in ſuã propriam ſubſtantiam, & ita ſaltem ratione partis videtur agere in ſeipſum actione ſubſtantiali.

## QVÆSTIO TERTIA.

*De actione per antiperiſtaſim.*

ANtiperiſtaſis idem eſt ac circumobſeſſio, & circumobſiſtentia contrarij, proindéque actio per antiperiſtaſim nihil aliud erit, quàm actio quæ oritur ob circumobſeſſionem contrarij, magíſque intenditur, ac ſit efficacior.

Hanc actionem dari, exemplis penè innumeris conſtat, vt quod hyeme aqua ex puteis hauſta tepidior ſit, æſtate verò longè frigidior: item quod calor animalis pariter hyeme intenſior ſit, quàm æſtate, vnde & meliùs peragitur concoctio, faciliúſque carnes



Digitized by Google

nes digeruntur. Denique vt cæteræ omittam, quod exhalationes ad mediũ aëris tractum elatæ inflammentur, nẽpè propter obſeſſionem contrarii frigoris, quod vrget in media illa aëris prouincia. His patet dari actionem per antiperiſtaſim. ſed modus quo fit, difficilè explicatur:

Pij aliqui, & meditatiui Doctores, cauſam talis antiperiſtaſis referunt ad diuinam bonitatem, quæ vires qualitatum intendit, quo tempore videt eas à contrariis qualitatibus opprimi; ſed hæc meditatio pio quidem ac religioſo viro, ſed non perito phyſiologo digna eſt.

Galenus lib. 3. de ſimplicibus medicamentis cap. 1. & alij omnino affirmãt, nullum agens ad ſui contrarij præſentiam ſeipſum intendere, & ideo aquam hyeme non eſſe tepidiorẽ quàm æſtate ſed id ex falſa ſenſus apprehenſione oriri, qui provt diuerſimodè afficitur, rem æqualiter frigidam, modo frigidiorem, modò minus frigidam deprehendit.

Sed hęc opinio valdè ab omnibus improbatur, etenim non eſt probabile etſi aliquando decipiatur ſenſus in re tam aperta falli, maximè cùm idem ſemper omnes experiantur.

Marcilius primò libro de generatione quæſt. 18. Venetus 1. Meteororum cap. 3. & alij adhuc habent abſurdiora, volunt enim antiperiſtaſim, ſeu qualitatum intenſionem ob circumobſeſſionem contrariarum fieri ex repercuſſione, & reflexione ſpecierum intentionalium, v. gratia ideo æſtate aquam putealem refrigerari, quòd ſpecies frigoris ab aqua emiſſæ contrariũ calorem offendentes ab illo repercutiantur, & repercuſſæ ad ipſam aquam redeant, ſicque regreſſæ illi nouam imprimant frigiditatem.

Verùm, iſta opinio quanquam ab alijs aliter, hoc tamen modo facile refellitur, quod quatuor primę qualitates non ſentiantur, nec vllam actionem exerceant, niſi ſubiectum realiter mutent, illúdque per propriam ſubſtantiã afficiant, non autem per ſpecies intentionales, vt ex profeſſo in libris de anima trademus, proindéque res non poſſunt intendi per repercuſſionem ſpecierum intentionalium. His igitur reiectis opinionibus.

Concludimus actionem per antiperiſtaſim ex duplici principio oriri: ſeu qualitem aliquam præſente contraria dupliciter intendi, primo per retentionem alicuius, quod efflueret, retentum tamen illam intendit, ſecundò per receſſum corrumpentium, quæ ablata occaſione recedunt, & relinquunt ipſam qualitatem, ab eorum iniuria immunem, quo fit vt poſtea ſe ad ſtatum naturalem reducat.

Prior modus quo fit illa antiperiſtaſis perſpicuus eſt exemplo ventris animalium hyemali tempore feruentius incaleſcentis: ratio enim huius caloris intenſioris in ipſo ventre non aliundè deſumitur, niſi ex eo quod ſubtiliora quædam corpora calida quæ effluxerũt ob frigus obſidens, liberum non habeant egreſſum, & ideo magis recludãtur in ipſo ventre eique intenſiorem calorem imprimant. Si quis pariter interroget quare putealis aqua callidior ſit hyeme quàm alia anni tempeſtate, illi abunde ſatisfacies prædictam cauſam aſſignando, quod ſcilicet ſubtiliora quædam corpora calida, quæ vi frigoris in puteos expulſa ſunt, nequeant exire, ſed in ipſis detineantur obſiſtente frigore, & aquam in illis puteis contentã pro viribus calefaciãt, vel ſaltẽ eius frigiditatem temperent.

Poſterior modus patet eodem aquæ

putealis exemplo, quæ in æſtate non aliam ob cauſam frigidior eſt, quàm quia exiliunt, & recedunt corpora quædam ſubtiliora calida nullo exiſtẽte contrario, à quo illis egreſſus prohibeatur, quo fit vt aqua ab ipſis calidioribus corporibus libera, ad ſuam connaturalem, nempè ad natiuam frigiditatem, quantum poteſt ſe reducat, magiſque ſuum frigus intendat.

## QVÆSTIO QVARTA.

*De reactione & repaſſione.*

Quærimus hîc an dentur inter agẽs & patiens, actio, & paſſio reciprocè, ſeu quando agens aliquod in paſſiuum agit, ipſum quoque patiens in illud reagat, illique paſſionem inferat verbi gratia dum ignis per calorem agit in aquam, an viciſſim aqua in ignẽ per frigiditatem reagat. Hæc quæſtio vt magis illuſtretur,

Notandum eſt reactionem eſſe duplicem, alteram quæ fit per contrarias qualitates, vt videre eſt in exemplo allato de igne, & aqua, ſi ignis, in aquam ageret per calorem, & aqua in ignem per frigiditatem: alteram eſſe ſecundum qualitates non contrarias, ſed tantum diuerſas, vt ſi ignis ageret in aquam per calorem, & aqua in ignem per humiditatem, Hoc poſito.

Certum eſt primò reactionem non habere locum in rebus ſpiritalibus, nam cùm illæ non agant actione tranſeunte, ſed immanente tantùm: vna non poteſt in aliam agere, nec vna ab alia pati, & ſic in illis reactio, & repaſſio non reperiuntur.

Secundò certum eſt reactionem dari ſecundum diuerſas tantùm, & non contrarias qualitates, id enim experientia manifeſta euincit, cùm aër calefactus poſſit ipſi igni aliquam humiditatem imprimere.

Tota controuerſia eſſe poteſt de reactione, & repaſſione ſecundum contrarias qualitates, an reuera detur, darive poſſit.

Reſpondeo affirmatiuè, probóque, reactio nihil eſt aliud, quàm actio reciproca, ergo reactio per contrarias qualitates nihil aliud erit, quàm actio reciproca duorum agentium per contrarias qualitates, vt pote calorem & frigus: atqui datur talis reciproca actio ergo datur reactio ſecundum cõtrarias qualitates. Probatur minor experientia, ſi enim aqua calida frigidæ admiſceatur, illæ duę aquæ ſe contemperabunt, & calida frigidam calefaciet, & frigida calidam vice verſa refrigerabit. Idem patet exemplo ferri candentis, quod ſi in aquam iniiciatur, illam calefacit, & viciſſim ab ipſa frigeſcit, ergo datur reciproca actio ſecundum contrarias qualitates.

Obiicies primo, ſi reactio detur ſecundum contrarias qualitates, ignis per iniectum aërem in diſtantem aquam agere poterit, & viciſſim per eundem aërem intermedium aqua in ignem reagere: at hoc abſurdum eſt, ergo, &c. Probatur minor: ſi ignis & aqua in ſe mutuò agerent per intermedium aërẽ ſimul aër calore & frigore afficeretur, calore ab igne producto, & frigore ab aqua introducto: at hoc eſſe nequit, ergo abſurdũ eſt ignem & aquam in ſe inuicem poſſe agere per aërem interiectum.

Reſpondeo negando minorem, & ad eius probationem pariter dico minorem eſſe falſam, quia de facto non eſt abſurdum vnum & idem ſimul poſſe aliquid caloris & frigoris ſuſcipere, cùm hæ duæ qualitates habeant duntaxat incompoſſibilitatem, ſi ſpectentur in gradibus intenſis, non autem remiſſis vt in propoſito.

Obiicies ſecundò, ſi detur actio reci-

Digitized by Google

proca, nunquam agens poterit ſibi aſſimilare paſſum, quia quantum efficiet ad tranſmutandum ipſum paſſum tantum patietur à contrario reagente, ſed hoc dici non poteſt, ergo, &c.

Reſpõdeo negãdo maiorem, fortius enim agens progreſſu temporis ita debilitabit, & franget vires infirmioris, vt ampliusreagere non poſſit, ſed ſtatim ſuccumbat omninóque ſuperetur.

Obiicies denique, ſi daretur actio reciproca, & omne agens agendo repateretur, vnum & idem ſimul eſſet fortius & imbecillius, fortius quatenus ageret, imbecillius verò quatenus repateretur, ſed falſum conſequens, ergo & antecedens.

Reſpondeo diſtinctione maioris, idem ſimul eſſet fortius & debilius diuerſo reſpectu, id eſt fortius in agendo, & infirmius in reſiſtendo, concedo: eodem reſpectu nego: verbi gratia, ſi calidum vt quatuor, agens in frigidum pariter vt quatuor, ab ipſo frigido repateretur, frigido diceretur fortius in agendo, quia reuera in ipſum ageret per qualitem actiuiorem, nempe calorem, infirmius tamen in reſiſtendo, quia qualitas frigidi, nempe frigus, maioris eſt efficacitatis ad reſiſtendum, quàm qualitas calidi nempe calor.

Et hæc de Actione & Paſſione.

## DISPVTATIO SECVNDA.

*Vnico etiam libro contenta, de Alteratione.*

### SECTIO PRIMA

*De nomine & varia acceptione Alterationis.*

ALteratio ſecundum vim vocabuli eſt motus, quo ſubiectum redditur alterum, ſeu mutatur accidentariò & in eo diſtinguitur ab actionibus ſubſtantialibus, id eſt ad ſubſtantiam terminatis, quæ ſubiectum aliud diſtinctum eſſentialiter efficiunt: bifariam autem ſumitur alteratio ab Ariſtot. 7. Phyſic. c. 2. textu 12. & 2. de anima c. 5. latè ſcilicet & ſtrictè.

Alteratio latè ſumpta vt 8. Phyſic, cap, 3. textu 26. non germanas tantùm alterationes, ſed etiam improprias complectitur, & in hoc ſenſu elementa dicuntur alterari, non modò quando qualitatibus contrariis imbuuntur, verum etiam dum cœleſti luce perfunduntur: eodem quoque modo vſus inualuit, vt anima dum intelligit, aliámve operationem elicit, alterari dicatur.

Strictè verò ſumpta alteratio, eſt motus ad qualitatem contrarium in ſubiecto habentem, vt calefactio quæ eſt motus ad calorem, calor verò ipſe eſt qualitas ſenſibilis habens contrarium, nempe frigus in ſubiecto, & hoc ſenſu intelligendus eſt Ariſtoteles, quando lib. 1. de cœlo cap. 3. textu 2. docet cœlum alteratione vacare, eáque ſola corpora alterari, quæ poſſunt interire.

### SECTIO SECVNDA.

*De exiſtentia alterationis, an ſit & ad quas detur qualitates.*

DAri alterationem nemo niſi ſenſu orbatus inficias ierit: quæret tamen aliquis ad quas qualitates detur. Sit pro hac quæſtione.

*Prima propoſitio.*

NOn datur alteratio ad qualitates primæ ſpeciei, habitum ſcilicet & diſpoſitionem: ratio eſt quia alteratio eſt motus: at habitus & diſpoſitio non acquiruntur per motum, nam acquiruntur per multos actus qui ſimul ſumpti non ſunt aliquid continuum & ſucceſſiuum, ſed potius diſcretum, & proinde non faciunt vnum motum, ergo habitus & diſpoſitio non acquiruntur per motum, ergo nec per alterationem,

*Secunda propoſitio.*

NOn datur alteratio ad qualitates ſecundæ ſpeciei, nempè facultates & potentias naturales. Probatur, quia illæ facultates non producuntur ſucceſſiuè, ſed in inſtanti, ſicut & ipſæ ſubſtantiæ, & earum eſſentia naturaliter erumpit & dimanat ab ipſis ſubiectis ergo illæ facultates & potentiæ non producuntur per motum; ergo ad illas non datur alteratio.

*Tertia propoſitio.*

NOn datur alteratio ad qualitates quartæ ſpeciei, ſcilicet formam & figurã, etenim iſtæ qualitates omnino ſequuntur quantitatem, imò cum illa ſunt idem realiter, & ex conſequenti tantum fiunt per motum localem, vt videre eſt in cera, quæ propter motum localem contractionis & diſtenſionis, multas induit figuras oculiſque videndas proponit.

*Quarta propoſitio.*

DAtur tantũ alteratio ad qualitates tertiæ ſpeciei, nempe patibiles, vt ſunt calor, frigus & cæteræ; aſſertio ita facilè.

Probatur ex dictis, nam alteratio fit ad qualitatem. ſed non fit ad qualitatem primæ ſecundæ & quartæ ſpeciei, ergo ad qualitatem tertiæ ſpeciei: an autem ad omnes qualitates tertiæ ſpeciei fiat nondum eſt certum; quoniam aliqui reſtringunt alterationem ad eas tantum qualitatesquæ producuntur cum eiectione cõtrariarum, quoniam, inquiunt, qualitates illæ quę producuntur ſine expulſione contrariarum ex natura ſua ſunt producibiles in inſtanti, imò ſemper in momento producuntur, vt lumen quod per inſtans & non ſucceſſiuè producitur.

Verùm licet aliqua ratione poſſet ad alterationem deſiderari, vt tenderet in qualitatem habentem contrarium in ſubiecto, ratione cuius ſubiectum alterari, id eſt alterum fieri diceretur: tamen hæc conditio non propter eam rationem videtur requiri, vt ſcilicet fiat ſucceſſiua productio; probabilius enim teneo qualitatem etiam expertem contrarij in ſubiecto, verbi gratia lumen, produci poſſe ſucceſſiuè, tum propter extenſionem ſubiecti, ad cuius partes propagatur, tum etiam propter varios illius qualitatis gradus qui ſucceſſiuè & vnus poſt alium producuntur, vt in proprio loco demonſtrabimus.

## SECTIO POSTREMA.

*De eſſentia alterationis.*

DEfinitio per quam explicatur eſſẽtia alterationis hæc eſt; Alteratio eſt motus ad qualitatem ſenſibilem mediam vel extremam.

Primo ponitur motus tanquam genus: vt excludantur inſtantaneæ mutationes. Additur ſecundò ad qualitatem quâ particula diſtinguitur alteratio à cęteris motibus, accretione, decretione, & latione, quæ ad qualitatem non tendunt, ſed ad quantitatem, & vbi.

Tertiò additur ſenſibilem, ad diſtinctionem earum mutationum continuarum, & ſucceſſiuarum, quibus qualitates nonnullæ & habitus non ſenſibiles intenduntur, qualis eſt ille motus, quo voluntas habitum temperantiæ acquiſitum continuo temperantiæ exercitio intendit.

Poſtrema particula eſt, *mediam vel extremam*, qua omnino indicatur alterationem propriè ad eas qualitates admitti, quæ contrario non carent, & ſic prohibet ne motus ad qualitates contrarietatis expertes, vt ad lumen, propriè alterationes vocentur, modo à nobis explicato.

Circa primam particulam illius definitionis allatæ alteratio eſt motus, ſolet quæſtio moueri an alteratio ſit verus motus, id eſt continuus & ſucceſſiuus. Negant Capreolus in primum diſt. 17. quæſt. 2. art. 2. Soncinnas 8. Phyſic. quæſt. 22. & alij, volúntque dari nonnulla minima ſubſtantialia quæ in inſtanti alterentur, idque quibuſdã morulis interpoſitis, verbi gratia quando ignis agit in aquam, eámque calefecit, calefactionem dicunt nõ eſſe motum continuum & ſucceſſiuum, quo continuè & ſucceſſiuè aqua alteretur, ſeu incaleſcat, ſed dari minimas aquæ partes quæ in inſtanti alterentur, nonnullis tantum morulis interpoſitis.

Statuendum tamen eſt, alterationem eſſe motum continuum & ſucceſſiuum, nec in inſtanti fieri.

Probatur primò, alteratio eſt motus propriè dictus ex 5. Phyſ. cap. 1. textu 10. & cap. 2. textu 18. ſed motus propriè dictus eſt continuus & ſucceſſiuus, ergo alteratio eſt continua & ſucceſſiua.

Probatur ſecundò, ſi alteratio non ſit motus continuus ac ſucceſſiuus, ſed diſcretus & per inſtantia fiat, interpoſitis vt contendunt aduerſarij, quibuſdam morulis, alteratio non erit vna mutatio, cùm ad vnitatem mutationis ex dictis de motu vnitas temporis omnino ſit neceſſaria, quæ tamen illâ interpoſitâ morulâ diſſoluitur, ſed cõſequens eſt planè falſum, ergo & antecedens.

Tertiò quod non poſſit fieri alteratio per minima interpoſitis morulis ſic concluditur: nõ potes dari minimũ in qualitate, vt potè infinitis gradibus proportionalibus conſtante, nec item in ſubiecto quod talem formam ſuſcipit, cùm ex infinitis partib⁹ coaleſcat, & in minores ac minores partes ſemper diuidi queat, ergo alteratio fieri nõ poteſt per eiuſmodi minima, ſiue formæ quę producitur, ſiue ſubiecti in quo producitur, cùm ex hypotheſi nulla ſint.

Si dicant aduerſarij, minima illa tam formæ quàm ſubiecti, ſi nõ phyſicè ſaltem moraliter eſſe ſumenda, facilè refelleatur, quia quantumuis admittãtur minima moralia, tam in forma producenda, quàm in ſubiecto illi formæ recipiendæ deſtinato, nunquam tamen alteratio ſeu productio formæ in inſtanti perficietur, tum quòd minima illa moralia phyſicè diuiſibilia ſunt in infinitos gradus, ſi agatur de qualitate & forma; vel in infinitas partes, ſi agatur de ſubiecto quod formam ſuſcipere debet, tum quod forma introducatur ſaltem, vt plurimum cum expulſione contrariæ formę, vt pote calor cum expulſione frigoris, quod fieri nõ poteſt in inſtanti, etiam ſecundum illa minima moralia quę ab aduerſariis confinguntur.

Confirmatur, producto ab agente per alterationem illo minimo formæ ſiue phyſico, ſiue morali, verbi gratia producto minimo caloris ab igne, vel ipſe ignis immediatè poſt omni actione vacat, vel adhuc agit & producit calorem: ſi hoc poſterius, habetur intentum, calorem continuè & ſucceſſiuè produci & non per inſtantia interpoſitis morulis, vt fingebant aduerſarij: ſi primum aſſeratur, cõtrà; nulla ratio eſt cur producto ab igne illo caloris minimo ſtatim ab agendo debeat reſiſtere, cùm nec ſit minoris efficacitatis ad agendum, quàm prius, nec ſubiectum peius diſpoſitum ad actionem ipſius ignis ſuſcipiendam, ergo illa productione caloris nulla interponitur quies & mora, ſed continuè fit ac ſucceſſiuè talis productio.

Obiicies Ariſtotelem 8. phyſ. cap 3.



Digitized by Google

textu 23. eos reprehendere qui rem cõtinuo alterari aſſeuerant, ergo ſecundum mentem illius alterationem non eſſe continuam.

Diſtinguendum eſt antecedens: hallucinantur qui dicunt rem continuò alterari, id eſt ſemper, concedo: per tempus aliquod continuum, ſeu non interruptum, nego.

Rurſus obiicies, contraria qualitas in inſtanti pellitur, ergo & altera in inſtanti introducitur, cùm vnius introductio expulſionem alterius conſequatur. Probatur antecedens, plures qualitatis gradus eidem ſubiecto poſſunt æquali firmitate inhærere, ergo non eſt potior ratio cur vnus priùs pellatur quã alius, ergo ſimul & in inſtanti omnes pellentur.

Negandum eſt antecedens, neganda etiam conſequentia probationis, etenim licet omnes qualitatis gradus æqua firmitate alicui ſubiecto inhæreãt potior tamen erit ratio cur vnus prius eiiciatur quàm alius, quoniam ex probabiliori Philoſophorum ſententia, quidam eſt ordo inter qualitatis gradus, adeo vt vnus alium præſupponat, nempe ſecundus primum, & tertius ſecundum, ratione cuius ordinis fit vt ſecundus prius pelli debeat quàm primus, & tertius quàm ſecundus,

Occurres, ſi iſte ordo inter qualitatis gradus admittatur, gradus illi eſſẽtialiter diſtinguentur, nam ſi accidentario, iam ſecundus poſſet eſſe primus, & vice verſa.

Reſpondeo negando conſecutionẽ, vt enim vnus gradus alium præſupponat ſufficit accidentale diſcrimen inter illos, ſicut patet in partibus corporis humani, quarum vna neceſſario & ex natura ſua aliam ſupponit, caput ſcilicet collum, collum humeros, & ſic de cæteris, tametſi illæ omnes partes ſolo accidentali diſcrimine non eſſentiali diſcrepent, cùm eadem forma nempe anima (à qua omnis diſtinctio, eſſentialis petitur) informentur, vt agendo de forma ſtatuimus.

## SECTIO POSTREMA.

*De affectionibus alterationis.*

PRima eſt qua vnitate alteratio ſit vna, an genere, an verò ſpecie.

Reſpndeo eſſe vnam vnitate generica, & diuidi in tres generales ſpecies, alterationem abſolutè dictam, quæ eſt motus ad qualitatem ſenſibilem denouo in ſubiecto producendam, intenſionem, quæ eſt motus ad producendum perfectius eſſe illius qualitatis, & remiſſionem, quæ eſt ad imperfectius eſſe præfatæ qualitatis.

Secunda affectio ſpeciatim eſt de intenſione quomodo illa fiat, an per productionem nouæ, & perfectioris qualitatis corrupta priori, quod defendit Durandus in primum diſt. 17. q. 7. an per maiorem radicationem in ſubiecto, ita vt nullus nouus qualitatis gradus in materia producatur, ſed illi qui iam fuerant producti firmiores in ſubiecto agant radices, illique tenacius adhæreant, quod ſtatuerunt D. Thomas 1. part. qu. 53. art. 2. & eius diſcipuli: an denique per additionem nouorum graduum ad præcedentes, quod habet communis opinio, ad cuius explicationem ſit.

*Prima propoſitio.*

INtentio non fit per productionem perfectioris qualitatis deſtructa priori.

Probatur contra Durandum, cùm fit qualitatis alicuius, caloris verbi gratia intenſio, calor non corrumpitur,

Digitized by Google

537

ergo non fit intenſio per productionẽ perfectioris qualitatis deſtructa priori. Antecedens probatur, nulla qualitas corrumpitur niſi per ſe à contrario, vel per accidens ad corruptionem ſubiecti, vel defectu cauſæ conſeruantis, atqui nullo ex tribus modis calor corrumpi poteſt, cùm intenditur, non quidem primo, quia calor qui per intenſionem aduenit, non eſt calori contrarius: neque ſecundò & tertiò, quia neque ſubiectum ipſius caloris qui intenditur, putà lignum corrumpitur; nec abeſt cauſa conſeruans, ſcilicet ignis, ergo non poteſt qualitas quæ intenditur, verbi gratia calor, corrumpi, vt perfectior producatur.

Confirmatur: eodem modo fit intenſio in qualitate quo accretio in quantitate: atqui accretio non fit per deſtructionem prioris quantitatis, & productionem alterius perfectioris, ergo neque intenſio qualitatis per deſtructionem prioris qualitatis, & productionem alterius perfectioris fieri poterit.

*Secunda propoſitio.*

NOn fit intenſio qualitatis per ſolã maiorem radicationem in ſubiecto: ſed per additionem gradus recenter producti.

Probatur contra D. Thomam & eius diſcipulos, aut agens quod producit qualitatem in ſubiecto, verbi gratia calorem ligno, totam ſimul qualitatem omnéſque eius gradus producit, aut nõ producit totam, ſed vnum gradum poſt alium: ſi hoc poſterius habetur intentum, nempe qualitatem per partes produci, & vno gradu producto alium de nouo produci, ac præcedentibus adiungi: ſi verò dicatur prius, contra: aut agens ſtatim poſt totam qualitatẽ ſimul productam, deſinit agere, & hoc non, quia æquè aptum eſt ad agendum, verbi gratia ignis ad calefaciendũ, ac prius, imò, experientia conſtat ipſum ignem tandiu agere, quandiu materiæ applicatur, vel ab hac agit, & ſic de nouo aliquid producit, nouum ſcilicet qualitatis gradum, verbi gratia ignis nouum caloris gradum: non enim intelligi poteſt quod agat & nullum calorem producat, & eius actio ſaltem præcipua ſi calefactiò, quæ eſt productiua caloris, ergo intenſio qualitatis non fit per ſolam maiorem radicationem in ſubiecto, ſeu quod illi tenacius adhæreſcat, ſed per additionem gradus recenter producti ad gradus præcedentes.

Obiicies ex 4. phyſ. text. 24. calidum fit magis calidum abſque vlla noui calidi additione, ergo intenſio qualitatis fit abſque vlla additione gradus ad præcedentes.

Neganda eſt conſequentia, docet enim tantùm Ariſt. loco in antecedenti citato calidum fieri magis calidum ſine additione calidi, id eſt materiæ calidæ, non tamen ſine additione caloris, quod falſiſſimum eſt, & à nobis conſtanter negatum.

Prætereà obiicies, calidum verbi gratia per ſolam condenſationem materię ſine vllo nouo caloris gradu ſuperueniente intenditur, & fit magis calidum, vt docet experientia, ergo intenſio qualitatis fit abſque vlla additione gradus ad præcedentes, proindéque ſola maiori radicatione in ſubiecto.

Negandum eſt antecedens, nam per addenſationem materiæ fit tantum actiuius calidum, non tamen magis calidum, id eſt pares habens caloris gradus.

Rogabis, an qualitates à ſubiecto ſeparatæ adhuc intendi poſſint: Reſpon-

Digitized by Google

deo non poſſe naturaliter, ſed tantùm ſupernaturaliter. Ratio eſt, quia naturalis intenſio qualitatis fit per eductionem gradus ex potentia ſubiecti, quod nullum foret in caſu propoſito, quare fieret tantum illa intenſio Deo extraordinariè operante, & nouum qualitatis gradum producente, cæteriſque adiungente.

Solet etiam tanquam de alterationis affectionibus diſputari de contrarietate qualitatum, an & quomodo cõtrariæ qualitates ſimul eſſe poſſint: ſed hac de refusè actum eſt in Logica concluſúmque in gradibus remiſſis contrarias qualitates in eodem ſubiecto eſſe poſſe, itémque in gradibus intenſis ſecundùm diuerſum tempus diuerſámque ſubiecti partem: non tamen ſecundùm idem tempus & ſecundùm eandem partem ſubiecti naturaliter, ſed tantùm virtute diuina extraordinaria, quod adhuc.

Confirmari poteſt primò, non eſt facilius ſtatuere duo corpora in eodem loco quàm duas qualitates ſummè intenſas in eadem parte ſubiecti: at prius Deus poteſt ſua virtute extraordinaria efficere, vt patet ex dictis de loco, ergo & poſterius.

Confirmatur ſecundò, tota ratio cur duæ contrariæ qualitates in gradibus intenſis manere non poſſint, prior duplex eſt: quia ſubiectum non eſt capax niſi ſummæ latitudinis vnius qualitatis: poſterior, quia contrariæ qualitates ſe mutuò corrumpunt, atque expellunt: ſed Deus omnipotenti ſua manu vtrumque ſupplere poteſt: primum quidem, quia poteſt ita ampliare capacitatem ſubiecti, vt duplo, vel triplo, vel quadruplo ſit maior, quàm priùs erat: igitur cùm ante ſeſe extenderet ad ſummam latitudinem vnius qualitatis ad ſummam vtriuſque ſeſe extenderet: ſecundum etiam Deus ſupplere poteſt, & efficere vt contrariæ qualitates non ſe corrumpant, & ab eodem ſubiecto eiiciant, tum ſubtrahendo concurſum ſuum, ſine quo agere, proindéque ſe corrumpere ac eiicere nullo modo poſſunt, tum ita corroborando ſuum concurſum ad reſiſtẽdum contrariis actionibus, vt vnius qualitatis actiuitas non vincat reſiſtentiam alterius, in quo caſu nulla inter eas actio & reactio, nulla inter eas paſſio & repaſſio futura eſt, ſine quibus tamen ſe mutuò corrumpere, & ab eodem ſubiecto propellere nequeunt.

Notandum verò eſt hanc concluſionem non eſſe vniuerſim intelligendam de omnibus contrariis, quaſi contraria omnia ſummè intenſa in eodem ſubiecto eſſe poſſint, cùm quædam cõtraria inuoluant negationem oppoſitorum contrariorum, vt ſumma raritas negationem ſnmmæ denſitatis, & vice verſa: rarum enim dicitur quod ſub tali quantitate minus habet materiæ, dẽſum verò quod ſub tali quantitate plus habet ipſius materiæ, quorum vnum inuoluit negationem alterius.

Obiicies primò, ſecundum Ariſtotelem 4. Metaph. cap. 7. ex contrariis ſummè intenſis in eadem parte ſubiecti, contradictoria deducuntur, nempè ex perfectè, & ſummè calido non frigidum, & ex ſummè frigido non calidum: atqui ea fieri non poſſunt, ne quidem diuinitus ex quibus contradictoria inferuntur, ergo, &c.

Reſpondeo ad maiorem, ex contrariis perfectè intenſis in eodem ſubiecto inferri contradictoria, ſi ſolius naturæ facultatis ratio habeatur, ſecundũ quam poſito vno contrario ſummè intenſo alterum omnino pellit, quòd ſolùm intendit Ariſtoteles: ex contrariis tamen ſummè intenſis in eodem ſubie-

cto non

Digitized by Google

ѕto non in ferri contradictoria, habita ratione abſolutæ Dei potentiæ, ſecundùm quam duo contraria in eadem ſubiecti parte ſimul manere poſſe demonſtrauimus.

Obiicies ſecundũ, ſi quæ minus inter ſe pugnant ſimul tamen in eodem ſubiecto eſſe nequeunt, ea quę magis ſibi aduerſantur ſimul in eodem ſubiecto eſſe non potuerunt; atqui qualitas magis intenſa, & qualitas minus intenſa, verbi gratia, magis & minus calidum inter ſe minus repugnāt quam duæ qualitates in ſummo, illæ enim in eadem ſpecie conueniunt, hæ verò ſpecies omninò diſtinguuntur, tamen qualitas magis intenſa, & qualitas minus intenſa, vt potè magis & minus calidum eidem competere non poſſũt ergo nec duæ qualitates contrariæ ſummè intenſæ in eadem ſubiecti parte eſſe poterunt.

Reſpondeo diſtinguendo priorem partem minoris, minus intenſum, & magis intenſum minus inter ſe pugnāt quàm duæ contrariæ qualitates, ſi ſpectentur materialiter pro ipſis qualitatibus intenſioribus, vel minus intenſis concedo, ſi verò formaliter prout dicunt magis & minus, nego, quia ſic vnum dicit negationem alterius, quæ eſt oppoſitio & repugnantia maior quam inter contraria. Hæc de Alteratione.

## DISPVTATIO TERTIA.

### De Generatione & eius oppoſito, nempè Corruptione

### SECTIO PRIMA.

*De nomine & varia acceptione Generationis.*

Generationis nomen viam ſignificat ad eſſe rei producendum vnde 3. Phyſ. cap. 10. textu 14. definitur via ad naturam. Tribus modis accipitur, primò ampliſſimè prout omnem generationem, tam ſubſtantialem quàm accidentalem comprehendit: ſecundò ſtrictiſſimè pro ſola viuentium generatione, & eo modo definitur proceſſio viuentis à viuente: principio vitæ coniuncto in ſimilitudinē naturę tertiò ſumitur optimè, nō vt tā ſubſtantialē, quā accidētalē generationem comprehendit non etiam vt ſolam viuentium generationem complectitur ſed quatenus omnem ſolámque generationem ſubſtantialem continet, & de ea vt ſic hîc agemus.

### SECTIO SECVNDA.

*De exiſtentia generis ſubſtantialis.*

Rogabis primò an illa detur. Reſpondeo affirmatiuè contra illos qui omnem aliam ſubſtantiam à materia de medio tollentes ſuæ menti vel potius mendatio conſentaneæ nullam generationem ſubſtantialem agnoſcebant. Probatur, ea eſt generatio ſubſtantialis quæ ad ſubſtantiam terminatur; atqui dantur de facto ad ſubſtantiam terminatæ generationes ergo dantur generationes ſubſtantiales. Probatur minor, dantur formæ ſubſtantiales, quæ ante generationem in materia actu non deliteſcerent, ſed quæ per generationem excitatę & in materiam inductæ ſunt, vt patet ex dictis de forma ergo, &c.

Rogabis ſecundò, quę ſit cauſa efficiens generationis: ſed huic dubio reſponſum ſupra agendum de forma, vbi diximus cauſam præcipuam eſſe ipſum agens naturale, inſtrumentalèm verò eſſe accidentia ab ipſo agente naturali in materia producta.

Rogabis vltimò, quod ſit ſubiectum generationis Reſpondeo eſſe materiam quatenus ab vna forma ad aliam ſuſcipiendam tendit.



Digitized by Google

Aliqua difficultas poſſet hîc oriri, ſed diſſoluetur ſectione prima ſequentis quæſtionis.

## SECTIO TERTIA.

*De eſſentia generationis.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*De eius definitionibus,*

GEnerationis vt ſumitur pro omnis & ſubſtantiæ ſolius productione, quadruplicem tradit definitionem Ariſtoteles.

Prima habetur 8. Phyſ. cap. 1. text, 14. Generatio eſt via ad naturam: Secunda petitur ex lib. 8. eiuſdem operis textu 62. Generatio eſt mutatio à non eſſe ad eſſe. Tertia ex 1. de ortu, cap. 4. text. 23 Generatio eſt mutatio totius in totum, nullo ſenſibili ſubiecto remanente. Vltima ex cap. 5. eiuſdem libri text, 25. Generatio eſt mutatio à ſubſtantia poteſtate, ad ſubſtātiam actu in materia: quæ omnes definitiones benè intellectæ in vnam coincidunt, omnium tamen clariſſima eſt poſtrema, ideóque aſſumitur membratim explicanda.

Dicitur primò, (generatio eſt mutatio) quia reuera mutationis eſt ſpecies.

Occurres, Verbum diuinum ex beatiſſima Virgine fuiſſe in tempore genitū & tamē nō poſſe dici mutatū Ergo ſequitur omnem generationem non eſſe eſſentialiter mutationem

Reſpondeo ad antecedens, Verbum diuinum, vt eſt Verbum diuinum, non fuiſſe in tempore ex Virgine genitum, ſed tantùm ratione humanitatis vnitæ Verbo, quomodo poteſt vocari generatio & mutatio, cùm materia humanitatis Chriſti recenter eius animam ſuſcepit, quia prius non informabatur.

Secundò dicitur (à ſubſtantia poteſtate) id eſt, à priuatione ſubſtantiæ non cuiuſuis, ſed formæ, quomodo etiam debet intelligi tertia illa, particula, ad ſubſtantiam actu, id eſt formam ſubſtantialem, vt ſit ſenſus generationem eſſe mutationem à priuatione formæ ſubſtantialis ad illam formam ſubſtantialem.

Denique additur, in materia, quia nulla generatio fit extra materiam: ſed in illa quatenus ab vna forma tranſit in aliam: atque hoc totum exemplo generationis ignis poteſt illuſtrari. Illa enim eſt mutatio, cùm ſit tranſitus ab vno eſſe, ſcilicet ligni, ad aliud ignis ſcilicet. Præterea eſt mutatio in materia ligni præcedentis à priuatione formæ ſubſtantialis ignis quam prius non habebat, ad ipſam formam ſubſtantialem ignis.

Obiicies, fit aliquando generatio ſine materia, cùm videlicet ex ſolis ſpeciebus & accidentibus Euchariſticis vermes generantur, ergo malè dictum eſt in definitione generationis illam debere eſſe mutationem in materia.

Reſpondeo, negando antecedens, non enim ex ſolis ſpeciebus Euchariſticis vermes generantur ſed ex materia quadam quę de nouo creatur quando corrumpuntur ſpecies, & ſub illis deſinit eſſe corpus Chriſti Cæterum, quod dicitur in tertia definitione, Generationem eſſe mutationem totius in totum, nullo ſenſibili ſubiecto remanente, non eſt ſic intelligendum, quaſi mutari debeant materia & forma, cùm materia eadem ſemper maneat abſque vlla ſui mutatione, ſed quod deſtructa forma, & aliam in eius locum ſubrogata, non idem totum ſeu compoſitum, quod prius erat dicatur remanere, verbi gratia, deſtructa forma ligni & acquiſita forma ignis, non iam lignum, ſed ignis eſſe dicatur.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*Vtrum Generatio ſit actio momentanea vel*

*ſucceſſiua.*

BReuiter repetendum ex dictis de motu; Generationem bifariam accipi, primò latè pro alterationibus præuiis, & ipſa formę introductione: ſecundò ſtrictè & propriè pro ſola introductione formæ in materiam; Si priori modo generatio ſumatur, certum eſt eam non eſſe inſtantaneam, ſed ſucceſſiuam, cùm ſic complectatur alterationem quæ ex dictis continua & ſucceſſiua eſt. Si verò poſteriori modo vſurpetur Generatio, concludendum eſt, ipſam per ſe in momento peragi. Probatur, in momento tota producitur forma, productáque materiæ cõiũgitur, nã forma, quædã ſubſtantia eſt, proindéque nec magis nec minus recipit, éſtque tota aut nullo pacto, nec etiã requiritur tẽp' vt producta per ſe vniatur, ſed in momento inducitur in materiam benè diſpoſitam igitur &c.

Dixi (per ſe): nam per accidens ratione diuerſarum ſubiecti partium, quarum aliæ prius aliis diſponuntur aliquando contingit, vt generatio ſucceſſiuè peragatur, ſeu forma ſucceſſiuè per generationem in varias ſubiecti partes introducatur.

## QVÆSTIO TERTIA.

*In qua actione eſſentialiter conſiſtat Generatio*

NOtandum eſt duas actiones in Generatione inueniri poſſe, alteram formæ productiuam, alteram vnitiuam, hoc poſito, propoſitæ quæſtioni.

Reſpondeo generationem eſſentialiter non conſiſtere in actione formæ productiua, ſed vnitiua: quòd non conſiſtat in actione productiua probatur, tum quia poſſet forma longè antè produci quàm vniretur materiæ & tamen propterea non diceretur facta generatio; tum quia reſurrectio à Theologis dicitur iterata quædam generatio, cùm tamen in ea non producatur forma, ſed producta reuniatur materiæ.

Quòd verò conſiſtat in actione vnitiua ex priori deducitur, generatio debet eſſentialiter conſiſtere vel in actione productiua, vel vnitiua formæ, non enim dici poteſt in qua alia actione conſiſtat, ſed ex prędictis non conſiſtit in actione productiua, ergo in vnitiua.

Obiicies, ſi generatio eſſentialiter conſiſtat in actione vnitiua formę, nec homo, nec alia animalia dicentur generare, quia materiæ formam non vniunt ſed Deus concurrens ſpeciali concurſu hanc vnionem efficit, ſed hoc abſurdum, ergo, & illud.

Reſpondeo negando maiorem, nam per accidens eſt hominem, & alia animalia non vnire formam cum materia, quia ſcilicet non ſunt in loco in quo fit talis vnio eo inſtanti quo perficitur, proindéque per ſe ſemper dicuntur generare, quamuis ex accidenti non attingant actionem illam in qua eſſentialiter conſiſtit generatio.

Occures etiamſi homo in inſtanti quo producitur anima & vnitur materiæ, eſſet cum ipſa immmediatè coniunctus non tamen poſſet vnionem hanc attingere, ergo illi nullo iure tribui poteſt generatio. Probatur antecedens nulla actio materialis poteſt attingere vnionem rei ſpiritalis: atqui omnis actio generatiua ab homine proficiſcẽs eſſet materialis, & corporea, quia homo tantùm operatur interuẽtu virtutis ſeminalis; quæ corporea eſt, ergo per nullã actionẽ homo poſſet attingere vnionẽ animæ rationalis, quæ eſt ſpiritalis, etſi cum illa fuiſſet imme-



Digitized by Google

diatè coniunctus in eo inſtanti quo fuit vnita corpori.

Reſpondeo negando antecedens, & maiori probationis conceſſa, nego minorem; fieri enim poteſt vt homo agens interuentu virtutis ſeminalis, quę eſt corporea, producat actionem ſecundùm quid ſpiritalem, id eſt vnitiuam rei ſpiritalis cum ſubiecto materiali, propter quod tantùm ſecundùm quid ſpiritalis dicitur, nec propterea virtus illa cenſebitur prætergreſſa obiecti ſui cancellos, quia tale obiectum non eſt tantùm res penitus materialis, ſed ipſa quoque res ſpiritalis, quatenus aliquod eſſe habet materiale, id eſt, in materia, quomodo ſe habet anima rationalis quæ licet ex ſe ſit ſpiritalis, & independens à materia, quia tamen eſt eſſentialiter forma corporis habet eſſe aliquo pacto materiale, ſeu cum materia vnibile, & ita eſt obiectum actionis corporeæ, quæ promanaret ab homine generante ſi poneretur in inſtanti informationis cum materia & interuentu ſuæ virtutis ſeminalis, vel potius cum illa verſaretur circa animam rationalem corpori vniendam.

## QVÆSTIO QVARTA.

*An generatio ſit conuerſio.*

Notandum eſt generationem eſſe duplicem vnam ordinariam, quæ fit cùm materia ab vna forma ad aliam tranſit, vt à forma ligni ad formam ignis: alteram extraordinariam, quæ tunc fieri diceretur, ſi in materiam ſine forma ſubſtantiali, creatam, debitè tamen diſpoſitam induceretur ſubſtantialis forma ignis.

Si de priori generatione ſermo ſit. Reſpondeo eam eſſe veram conuerſionem, quia imprimis includit realem mutationē & tranſitum ab vno eſſe in aliud.

Secundò dicit productionem alicuius ſubſtantiæ, ſcilicet formæ ſubſtantialis. Tertiò conſiſtit inter terminos poſitiuos, verbi gratia inter formam quæ abiicitur, & formam quæ acquiritur, ita vt deſitio vnius, fiat vi acceſſionis alterius, quę ſunt conditiones requiſitæ ad veram & propriè dictam conuerſionem.

Confirmatur exemplo, generatio ignis ex ligno eſt vera conuerſio, quia eſt realis mutatio, realis productio alicuius ſubſtantiæ, nempè formæ ſubſtantialis ignis, & conſiſtit inter terminos poſitiuos, formam ſcilicet ligni, & formam ignis, quarum illa deſinit vi acceptionis huius, quæ tantum deſideratur ad propriam conuerſionem.

Si verò agamus de extraordinaria generatione, ſtatuendum eſt illam non eſſe propriè dictam conuerſionem, cū ſit in materia nuda & omni forma ſubſtantiali deſtituta, conſiſtatque tantùm inter terminos purè priuatiuos, videlicet inter priuationem formæ quam habet materia, & ipſam formam quæ producitur, cùm tamen ad propriā conuerſionem exigatur vt ſit inter terminos vtrinque poſitiuos, formam videlicet quæ abiicitur, & formám quæ producitur.

Ex his omnibus quæ diximus de generationis eſſentia per oppoſitum, ſatis intelligitur quę ſit eſſentia corruptionis, videlicet mutatio ab eſſe actu ad eſſe poteſtate, ſicut è contra generatio definita eſt mutatio ab eſſe poteſtate, ad eſſe actu.

## SECTIO QVARTA.

*De affectionibus Generationis & Corruptionis*

Dvo ſupponimus ex ſupradictis explicata, ſcilicet terminum generationis, & in corruptione nō fieri reſolutionem vſque ad materiam primam quorum prius expoſitum eſt agendo de forma, poſterius agendo de materia, Quibus ſuppoſitis.

Digitized by Google

Inquiremus primò conuenientiam inter generationem & corruptionem, leuioribus prætermiſſis, vt quòd generatio & corruptio ſint totius completi, ex ſeptimo Phyſ. cap. 7. textu 67. item quod ambæ habeant idem commune ſubiectum eâdémque communem materiam, vna eſt quæ difficultatem patitur, quod quemadmodum generatio eſt naturalis, ita quoque corruptio aliquo pacto dici poſſit naturalis, tum materiæ, tum formæ, tum compoſiti. Hoc vt explicetur.

Notandum eſt naturale quod ad præſens inſtitutum pertinet, quadrifariam ſumi, primò prout opponitur artificiali, ſecundò prout opponitur ſupernaturali, tertiò pro eo quod rei alicuius naturam conſequitur: quibus modis conſtat corruptionem dici poſſe naturalem, quia nec artificioſa eſt, nec ſupernaturalis, & ſaltem vt plurimum naturam rei corruptibilis conſequitur.

Dixi (ſaltem vt plurimum) quia aliquando corruptio non eſt naturalis, nec conſequitur naturam, ſed violenta, vt cùm quis vel veneno ſuffocatur, vel gladio perimitur, vel aliquo alio ſimili modo è viuis rapitur.

Quartò ſumitur naturale pro eo ad quod tanquam ad ſuam perfectionem res aliqua propendet, & hoc ſenſu cōſtat corruptionem non eſſe naturalem, quia ad illam nulla res per ſe tendit cùm omnia in bonum ferantur, primo capite 1. Et hic nec corruptio rei eſt perfectio, ſed potius perfectionis deſtructio.

Dixi (pariter per ſe) quia per accidēs natura videtur intendere corruptionē quatenus intendit nouam formam ſuſcipere, illámque appetit quæ tamen introduci non poteſt, niſi ea qua informatur recedat & corrumpatur.

Ex his facilè deducitur præcipuum diſcrimen inter generationem & corruptionem, quòd nempè generatio ſit bonum naturæ, & à natura per ſe intendatur, vno verbo ſit illi naturalis, ſumpto naturali vltimo modo, quia natura appetit generationem, non itē corruptionem.

Rogabis ſecundò, quis ſit ſēſus huius pronunciati, quod habet Ariſtoteles ſecundo de Ortu: Generatio vnius eſt corruptio alterius. Huic quæſtioni vt fiat ſatis, ſit.

*Prima propoſitio.*

NOn eſt vera hæc propoſitio, generatio vnius eſt corruptio alterius, in ſenſu identico: ſeu quaſi identitatē generationis & corruptionis ſignificet. Probatur, generatio & corruptio idē eſſe nequeunt, vt patet, ergo hæc propoſitio, generatio vnius eſt corruptio alterius, non eſt vera in ſenſu identico.

*Secunda propoſitio.*

HVius propoſitionis, generatio vnius eſt corruptio alterius, ſenſus non eſt quod rei cuiuſlibet ortus præſupponat præcedentis obitum, & extinctionem, quia quādo homine mortuo generatur cadauer, forma cadaueris non ſupponit extinctionē formæ hominis, ſcilicet animæ rationalis.

*Poſtrema propoſitio.*

HÆc propoſitio, generatio vnius eſt corruptio alterius: in hoc ſenſu vera eſt, quod nihil vnquam generetur niſi præſuppoſita formæ præcedētis extinctione: vel eius à materia receſſione.

Probatur, nunquam fit generatio alicuius formæ ſubſtantialis remanente præcedente in materia, alioquin poſt generationem duę eſſent formæ ſubſtantiales in eadem materia, quod ſaltem naturaliter fieri non poteſt, vt



Digitized by Google

patet ex dictis de forma; ergo; &c.

In fine notandum breuiter has omnes propoſitiones intelligendas eſſe de generatione ordinaria, ſi enim de extraordinaria loquamur, aliter ſentiendum eſt, nam cùm illa fieri poſſit in materia omni forma ſubſtantiali deſtituta, nihil dubium eſt quin fiat præcedentis formæ extinctione, vel à materia receſſione.

Et hæc de Generatione & Corruptione.

## DISPVTATIO QVARTA.

*De Mixtione & temperamento.*

### SECTIO PRIMA.

*De nomine Mixtionis & Temperamenti, variâque acceptione.*

Mixtio generatim ſignificat multarum rerum aggeriem, quocúque modo illa ſe habeat, & ita bifariã accipitur, primò latè pro quacumque rerum coaceruatione, etiam ſi integrè & ſecundùm ſuas ſubſtantiales formas remaneant, quo ſenſu dicimus miſceri multa tritici grana, quia ſimul congregãtur: ſecundò magis expreſsè, & propriè pro vnione elementorum, ex quibus fiat vnum per ſe ab illis dictum, deſtructis propriis ſubſtantialibus ipſorum formis, & tantùm virtute in mixto remanentibus.

Quod ſpectat ad temperamentum, illud nihil aliud eſt, quàm certa quædã qualitatum menſura & in eo à mixtione ſecernitur, quod mixtio vniuerſalior ſit, & complectatur omnem elementorum vnionem, ſiue temperatam, ſiue non: temperamentum verò ſolum accipiatur pro debita quadam qualitatum conſtitutione & attemperatione, vt dictum eſt.

### SECTIO SECVNDA.

*De exiſtentia Mixtionis & Temperamenti.*

### QVÆSTIO PRIMA.

*De exiſtentia Mixtionis.*

Mixtionem dari omnes fatentur, docétque Ariſtoteles 1. de Ortu, cap. 10. & ipſa teſtatur experientia, cùm multa quotidie videantur mixta, quæ mixtionem neceſſariò arguunt.

Occurres, ſi fiat mixtio neceſſe eſt congrediantur elementa, vel æqualis potentiæ & virtutis, vel inæqualis, ita vt vnum altero ſit fortius & potentius: ſi primum, neutrum vincet. & ſic nullum orietur mixtum: ſi ſecundum, fortius de imbecilliori victoriam reportabit, illúdque in ſe conuertet, & ita nullum tertium ex ipſis mixtum naſcetur: ſignum igitur eſt nullam mixtionem dari.

Reſpondeo ad antecedens, tunc mixtum fieri quando plura elementa inter ſe agunt, & mutuis vulneribus acceptis refragantur, ita vt tunc ea oriatur qualitatum temperies quam mixti forma conſequitur.

Occurres præterea mixtionem fieri aut quando corrumpuntur elementa, & hoc non, quia ſic elementa amplius non ſunt, proindéque miſceri non poſſunt aut quando nõ corrũpuntur, & hoc etiam dici nequit, cùm ita nuper iuxta maneant elementa.

Hæc obiectio patentem aperit difficultatem, an elementa ſecundum formas ſubſtantiales maneant in mixto, quod ſtatuunt Anaxagoras, Empedocles, &c. an verò tantùm ſecundũ virtutes, & qualitates refractas, & attemperatas, quod aſſerunt D Thomas, Scotus, Durandus, & omnes ferè communiter, nóſque ipſi longè probabilius iudicamus, probamúſque primò teſtimonio Ariſtotelis 1. de Ortu, cap. 10. vbi ait ea quæ miſcentur nec permanere actu, nec actu corrũpi, quia eorum virtus atque potentia ſalua manet.

Digitized by Google

Probatur 2. duobus rationibus: prima hæc eſt, ſi formę elementorum manerent in mixto, vnà cum forma mixti nullum mixtum eſſet vnum per ſe, quia multis formis ſubſtantialibus conſtaret. Secunda ratio, aut elementa quæ miſcentur ſuáſque ſubſtantiales formas retinent, in eodem ſitu permanerent, aut in diuerſo: neutrum dici poteſt: non primum, quia cùm quodlibet elementum ſit aliquod corpus, multa in eodem loco & ſitu ſimul eſſe poſſent corpora, quod naturaliter fieri nequit, neque item ſecundum, quia ſi elementa illa ſint in diuerſo ſitu, & loco, nō omnis pars mixti erit ex illis mixta, quia in qualibet parte non erunt elementa, ſed vnum in vna & aliud in alia parte, quod tamen eſt contra Ariſtot. primo de generatione, textu 55. docentem quamlibet mixti partem neceſſariò debere eſſe mixtam.

Obiicies primò Ariſt. 1. de Ortu, c. 10. tex 84. docere ea quę miſcentur non interire, ergo ſecundum formas ſubſtantiales in mixto manere.

Neganda eſt conſequentia, docet enim Ariſt. elementa non interire, quia remanent ſecundùm virtutes, & qualitates, non autem ſecundùm formas ſubſtantiales.

Secundò obiicies, ſi elementa non eſſent ſecundùm ſuas ſubſtantiales formas in mixto, non magis eſſet compoſita mixti forma quàm elementi, ſicque cum in mixtis & elementis eadem ſit materia, mixta non eſſent magis compoſita quàm elementa, quod tamen dici nequit.

Reſpondeo ad antecedens, non ideò corpora mixta dici mixta quod formas ſubſtantiales habeant magis compoſitas, ſed quòd ex quatuor elementorũ, qualitatibus congruenter attemperatis conſtent.

Congruenter dico attemperatis, quia re vera elementorum qualitates non ſunt in mixto, vt in ipſis elementis, in iis enim vna ſemper eſt in ſummo gradu, putà ſummus calor in igne ſumma humiditas in aëre, ſummum frigus in aqua, & ſumma in terra ſiccitas: in mixto verò debent eſſe remiſſæ, alioqui quatuor illæ qualitates in gradibus intenſis ſimul eſſent in eodem ſubiecto, quod ſuprà negauimus.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*De exiſtentia temperamenti.*

NOtandum primò temperamentũ duplex eſſe, aliud eſſe conforme ad pondus, aliud deforme & ad iuſtitiam tantum: illud dici quando omnes qualitates ſeruant ęquilibrium, nec vna alteram intenſione ſuperat: hoc verò pari quando vna qualitas recedit ab ęquilibrio & eſt altera intenſior.

Notandum ſecundò temperamentũ ad pondus triplex eſſe: primum dicitur in qualitatibus primis, & alteratiuis, calore, humore, frigore, & ſiccitatę, quando illæ æqualitatem ſeruant, ſiue duæ tantùm, ſiue omnes: ſecundum, in qualitatibus motricibus, grauitate & leuitate, ſi illæ ſint ad qualitatem tẽperatæ: tertium, denique in vtriſque qualitatibus, alteratiuis ſcilicet, & motricibus, ſi ita ſecum omnes illæ qualitates conſentiant, vt ex alteratiuis aut motricibus nulla excedat aut ſuperetur, ſed tot ſint caloris gradus quot frigoris, tot ſiccitatis, quot humiditatis, tot denique leuitatis, quot grauitatis.

Notandum tertiò temperamentũ ad ad pondus ſiue in qualitatibus alteratiuis, ſiue in motricibus ſiue in vtriſque duplex conſtitui alterum innatum, alterum influxum. Innatũ dicitur quod rei à natura conuenit, quale eſſet

Digitized by Google

illud quod concederetur alicui corpori ſi Deus hoc pacto illud compegiſſet, vt naturaliter poſtularet æqualitatem qualitatum, ſiue alteratiuarum tantum, ſiue motricium tantùm, ſiue alteratiuarum ſimul, & motricium: influxum verò illud dicitur, quod non quidem conuenit rei à natura, ſed ab agente extrinſeco inducitur, vt ſi exiſtentibus in aliquo corpore ſex caloris gradibus & quinque tantum frigoris, agens aliquod extremum in tali corpore nouũ ſextúmque frigoris gradum produceret. His ita conſtitutis, ſit.

*Prima propoſitio.*

QVamquam vt plurimum non detur temperamentum ad iuſtitiam in corporibus mixtis, probabile tamẽ eſt datum illud fuiſſe & nunc dari in corporibus quibuſdam.

Prior pars probatur, temperamentum ad iuſtitiam dicitur, quando qualitates ita coniunguntur, & attemperãtur, vt tametſi vna ſit intenſior, actiuior tamen non ſit vt poſſit alteram deſtruere; atqui certum eſt tale temperamentum communiter non reperiri in corporibus mixtis, alioqui in his nulla eſſet futura pugna nullúſque proinde interitus, quod aduerſatur experientiæ, ergo vt plurimum non datur temperamentum ad iuſtitiam in corporibus mixtis.

Poſterior verò pars probatur in cõmuni Theologorum ſententia, quæ habet: primos parentes in ſtatu iuſtitiæ originalis eam habuiſſe qualitatum tẽperiem, vt licet vna eſſet alterâ intenſior, ipſam tamen vincere & deſtruere non poſſet, propter noua quæ illi ſuppetebant qualitati auxilia, nouámque corroborationem: ob quam temperiẽ factum fuiſſet, vt ſi ipſi primi parentes à diuina lege non diſceſſiſſent, longiſſimis ſeculis in flore iuuentutis abſque vlla mutatione notabili permanſiſſent: eadem ſententia docet Chriſti Domini corpus, ea temperie fuiſſe præditum ob quam nullam vel certè exiguam experiebatur qualitatum pugnã, quæ ipſi eſſet mortem allatura: & propterea ſtatuit quod Chriſtus Dominus longiſſimam vitam traduxiſſet, niſi Iudæorum impietate crucifixus, & duriſſimæ morti traditus fuiſſet: tandem eadem Theologorum opinio docet glorioſa corpora hoc eſſe temperamẽto affecta, ideóque ſumma qualitatum pace, & tranquilitate potiri, ob quam in æterna ſæculorum ſerie permanebunt.

*Secunda propoſitio.*

NOn repugnat dari temperamentũ ad pondus influxum ſecundũ qualitates alteratiuas, probatur ex communi opinione Medicorum qua dicitur exterior illa cutis, quæ manu maximéque digitos contegit, hócce temperamentum ad pondus obtinere.

Probatur ſecundò, detur aliquod corpus calidum vt ſex, & frigidum vt quatuor, detúrque etiam aliud agens frigidum quod prioris ipſius corporis frigus intendat vſque ad ſeptimũ gradum, hoc ſanè nunquam fiet niſi prius detur temperamentum ad pondus, in calore & frigore, ſitque corpus frigidum vt ſex, eo modo ac corpus calidum, quia à quarto gradu frigoris ad ſeptimum fieri non poteſt acceſſio niſi ad ſextum prius perueniatur, ergo, &c.

Eodem modo probaueris non repugnare quominus detur temperamẽtum ad pondus influxum in qualitatibus motricibus, quia ſcilicet ſi vna altera intenſior ſit, quæ remiſſior eſt, per actionem externi agentis fieri poteſt intenſior, verbi gratia ſi grauitas ſit vt ſex, & leuitas tantũ vt quatuor, poteſt ipſa leuitas intendi vſque ad ſeptimum

gradum, ad quem priuſquam perueniat debet attigiſſe ſextum, in quo habebit æqualitatem cum grauitate, ſicque dabitur temperamentum ad pondus ſaltem influxum in ipſis qualitatibus motricibus.

Obiicies. repugnat aliquod corpus naturale eſſe immobile, atqui corpus illud foret immobile, quod ſortiretur temperamentum ad pondus in qualitatibus illis motricibus quia nec ſurſum ferri, nec deorſum poſſet non ſurſum quia hic locus eſt leuiorum; non deorſum, quia grauiorum proprius eſt ergo non poteſt aliquod corpus habere iſtud temperamentum ad pondus in qualitatibus motricibus.

Reſpondeo negando minorem, corpus enim illud ad pondus temperatum in qualitatibus motricibus, & ſurſum & deorſum moueri poterit, ſurſum ſi infra ſuum locum naturalem compellatur, deorſum verò ſi nimis in altum euehatur, locus autem naturalis huius corporis ita temperati erit inter aërem & aquam: vel potius ſecundum dimidiam ſui partem in aëre conſiſtet.

*Tertia propoſitio.*

NOn etiam repugnat dari mixtum ad pondus temperatum, tam in alteratiuis quâm in motricibus qualitatibus. Hæc propoſitio ſatis deducitur ex præcedentibus, neque alteratiuæ qualitates, neque motrices habent incompoſſibilitatem vt ſimul conſiſtant ad æqualitatem temperatæ, vt patet ex ſuperioribus propoſitionibus, ergo nihil vetat quod minus detur corpus aliquod ad pondus temperatum, tam in qualitatibus alteratiuis quàm motricibus.

Obiicies plus grauitatis ex frigore conſequitur, quàm leuitatis ex calore, vt cernitur ex ferro candenti, quod licet ſit magis calidum quàm frigidum, maiori tamen grauitate, quàm leuitate prædiuum eſt: ergo vbi datur in mixto æqualitas qualitatum alteratiuarum, caloris ſcilicet & frigoris, plus debet eſſe grauitatis quàm leuitatis.

Reſpondeo ad antecedens, per accidens tantum fieri vt in calidiori corpore, verbi gratia in ferro candenti, ſit minus leuitatis quam grauitati ſeu m è contra in frigidori, vt eſt aër hyberno tempore, plus ſit grauitatis, quam leuitatis, per ſe tamen fieri poſſe vt qualitates alteratiuę ita in mixto attemperentur ad pondus vt calor & frigus reperiantur in æquali gradu, cum leuitate & grauitate æqualibus.

## SECTIO TERTIA ET QVARTA.

*Ex quę vltima de eſſentia mixtionis & temperamenti, eorúmque affectionibus.*

QVod attinet ad mixtionem, Ariſtoteles in fine cap. 10. lib. 1. de ortu & interitu, de mixtione ex profeſſo diſſerens, definit illam mixtilium alteratorum vnionem. Per vnionem non eſt intelligenda alteratio illa qua elementorum qualitates refranguntur, ſed ipſa mixti generatio ex corruptis elementis, quæ quidem generatio perficitur vnitis quatuor corruptorum elementorum qualitatibus refractis & attemperatis. Per mixtilia intelliguntur elementa, non quę ſunt actu ſecundùm ſuas ſubſtantiales formas, quando fit generatio, ſed quæ antè fuerunt, & manent tantùm ſecundùm virtutes & qualitates in inſtanti generationis, eo quod illorũ refragantur qualitates per



Digitized by Google

alterationem, dicuntur alterata.

Itaque definitionis ſenſus eſt mixtionem eſſe generationem mixti ex quatuor elementis ſecundum virtutes, & non ſecundum formas remanentibus. Notandum verò eſt generationem quę fit ex corruptis elementis eſſe duplicem vnam immediatam, vt eſt generatio lapidis qui immediatè ex congreſſu & pugna elementorum gignitur; alteram mediatam tantùm, vt eſt generatio viuentis ex ſemine, quod non eſt elementum, ſed ex elementis compoſitum.

Quòd ſi velis allata definitione, vtrámque mixti generationem comprehendere, dicas tantum, mixtio eſt generatio ex quatuor elementis, tacendo quod mediata ſit vel immediata, & id relinquendo tanquam differentias ſpeciales generationes mixtorum conſtituentes.

Quod ſpectat ad temperamentum, ex Galeno lib. de temperatura, dicitur concentus & harmonia primarum qualitatum, non quod ſit relatio illa proportionis, tum quia relationi nihil eſt contrarium, vnum verò temperamentum eſt alteri contrarium, vt bilioſum, ſeu cholericum, phlematico tum etiam quia nulla relatio diſponit materiam ad formam ſuſcipiendam ècontrà verò temperamentum, ſed quod neceſſariò talem relationem inuoluat, cùm ſit eſſentialiter complexio quædam quatuor primarum qualitatum, debitè & ad naturam mixti accommodatè attemperatarum.

Verùm difficultas eſt an ipſum temperamentum ſit ſimplex quædam qualitas, an aggregata ex quatuor refractis & attemperatis.

Simplicem qualitatem eſſe affirmat Auicenna, nos verò negamus, & dicimus non poſſe eſſe vnam ſimplicem qualitatem virtute continentem quatuor primas attemperatas; Ratio eſt quod mixtum temperatum experiatur qualitatum pugnam, quod non eſſet ſi temperamentum eſſet vna ſimplex qualitas, cùm vnum ſibi ipſi repugnare & ſe oppugnare non poſſit. Confirmatur, aut enim illa ſimplex qualitas quatuor promit formaliter, aut eminenter; ſi formaliter, iam non eſſet ſimplex, ſed ex ipſis quatuor aggregata, ſi eminenter: contra; mixta ſunt formaliter calida, frigida, ſicca, & humida, ergo eorum temperamentum non eſt ſimplex quædam qualitas, ſed potius aggregata ex quatuor remiſſis & temperatis.

Affectiones mixtionis & temperamenti, vel nullius ſunt ponderis, vel ex dictis facile intelliguntur, vt quod ordinentur ad bonum vniuerſi, & ſpeciatim temperamentum pacem inter contraria conciliet.

Hactenus de Mixtis in communi.

## RAMVS SECVNDVS.

## DE MIXTIS IMPERFECTIS SEV METEORIS.

## PRIMA DISPVTATIO.

*De Mixtis imperfectis, ſeu Meteoris in communi.*

### SECTIO PRIMA.

*De nomine Mixti imperfecti, ſeu Meteori.*

Mixtum imperfectum dicitur quod non habet formam ſubſtantialem eſſentialiter diſtinctam à forma elementorum, vt nix, grando, glacies &c. quæ nullam aliam habent ſubſtantia-

Digitized by Google

543

lem formam ab aqua, & tantum diffe-runt per quaſdam qualitates peregri-nas adiunctas nempe calorem quem habent adiunctũ: ſicut è contrario mix-tum perfectum dicitur quod habet perfectam formam ſubſtantialem mix-ti diſtinctã à forma ſubſtãtiali elemẽ-torũ, vt homo, leo, & quam plurima id generis. Porrò eadem mixta imper-fecta ab Ariſtotele meteora, id in ſu-blimi orta nuncupantur, hincque ſuos de illis libros inſcripſit Meteororum, non quòd omnia illa mixta imperfe-cta in ſublimi generentur; alia enim in ſubterraneis locis & ipſo terræ gremio generantur, vt in progreſſu videbitur: ſed quòd maior eorum pars in ſupre-ma elementaris mundi regione pro-creetur, & ipſa quæ illic oriuntur ma-iorem ſoleant admirationem excitare, maiorémque explicationem requirant

## SECTIO SECVNDA.

*De exiſtentia Meteororum.*

SVpponimus dari meteora, ſeu mix-ta imperfecta in quocúmque loco oriantur, quod infra plenius conſta-bit. Præterea tamen rogabis quotupli-cia ſint meteora? Reſpõdeo illa ad duo genera poſſe reuocari, alia enim fiunt ex exhalatione, alia ex vapore; quæ ex ipſa fiunt exhalatione ſunt in dupli-ci differentia, alia ignita quando exha-latio talis eſt vt facili negotio ignem concipiat: alia non ignita, vt tonitru, itèmque colores in aëre apparentes. Quę ex vapore oriuntur varia ſunt, nubes, pruina, pluuia, &c. Quid autem ſint exhalatio & vapor ſtatim dice-tur.

Rogabis iterum quæ ſit cauſa effi-ciens meteororum?

Reſpondeo illam non vnam tantum eſſe, ſed multiplicem. Prima & verisi-milis eſt, cœlum, quod ſua vi & influ-xu vaporem & exhalationem ex qui-bus fiunt meteora ab elementis euo-cat, & in ſublime tollit: inſtrumentalis cauſa, ſeu illa qua vtitur cœlum ad hos effectus producendos eſt calor, qui a-quam & terram peruadens, & atte-nuãs in halitus ſoluit, & interuentu le-uitatis effert in altum. Cauſæ autem quæ ipſa meteora ſeu impreſſiones, ve-lut Cometam, rorem, &c. coagmen-tant & perficiunt, ſunt potiſſimum ca-lor, frigus, motus, & ſimilia, de qui-bus in progreſſu dicemus.

## SECTIO TERTIA.

*De eſſentia Meteororum.*

MEteora (vt dictum eſt) ſunt mix-ta quædam imperfecta formam elementi retinentia. Circa eorum ma-teriam aliquot dubia ſoluenda ſunt. Primum, quęnam illa ſit? Reſpondeo duplicem conſtitui, alteram remotam alteram propinquam.

Remota meteororum materia ſunt terra & aqua: propinqua, exhalatio & vapor: exhalatio quidem quę ex terra & vapor qui ex aqua extrahitur.

Eſt autem exhalatio anhelitus terræ calidus & ſiccus, ſub quo duæ ſpecies continentur: alia enim exhalatio ignẽ facilè concipit, ex qua ignita fiunt me-teora, vt Cometę, alia eſt quæ non ita paruo negotio accenditur, ex qua pro-ximè oriuntur venti.

Vapor verò eſt tenuis aliquis ſpiri-tus aquæ à ſole calefactus & rarefactus

Secundum dubium eſt in quo con-ueniant & quid differant vapor & ex-halatio. Reſpondeo primum conue-nientiam eſſe quod vapor & exhalatio fumi ſpeciẽ imitẽtur. Secũdò quod am-bo calida ſint, non quidẽ natiuo calore, ſed aduentitio & extrinſeco orto à radiis Solis, vel alterius planetæ aut ſtellæ.

Differunt autem primò vapor & exhalatio penes lóca ex quibus exci-

tantur: vapor enim ex humentibus locis, exhalatio verò ex ſiccis extollitur. Secunda differentia eſt quod vapor ſit calidus & humidus, exhalatio autem calida & ſicca. Poſtremum diſcrimen eſt quòd alia ſit forma ſubſtantialis vaporis, eadem ſcilicet cum forma ſubſtantiali aquæ; alia exhalationis, eadem nempè cum terra, quod quamuis negetur ab Auerroë, & Philopono, veriſſimum tamen eſt: & hoc modo.

Probatur: non eſt inducenda naturæ & formarum ſubſtantialium diuerſitas abſque graui cauſa, & vrgente neceſſitate: atqui nulla eſt cauſa, nulla neceſſitas propter quam vaporem, & exhalationem ſecundum naturam, & formas ſubſtantiales diſtinguamus ab elementis à quibus excitantur, nempe terra & aqua, quia videmus eiuſmodi halitus ſe in ipſa elementa reuocare, verbi gratia, vapores ad mediam aëris regionem elatos ſeſe ad natiuam frigiditatem & denſitatem aqueæ naturæ conuenientem reducere, quod palàm indicat in ipſis ſubſtantiam eſſe formam aquæ à qua talis fiat reductio, ergo, &c.

Obiicies, nihil poteſt in ſeipſum tráſmutari, aut in aliquid quod ſit eiuſdem ſpeciei & naturæ: atqui vapor tranſmutatur in aquam, ex primo Metaph. cap. 9 ergo diſtinctæ ſpeciei & naturæ ab illa eſſe debet.

Reſpondeo maiorem tantum eſſe veram de mutatione propriè dicta, de qua minor falſa eſt, non enim vera eſt tranſmutatio vaporis in aquam, ſed ſolum impropria & accidentaria, quatenus ſcilicet vapor depoſitis peregrinis qualitatibus naturales ſibi, & aqueæ naturæ conuenientes ſuſcipit.

## SECTIO POSTREMA.

### *De Meteorórum affectionibus.*

MVltæ affectiones Meteororum ex eorum fine dicuntur, vt quod ſint ad qualitates variè permiſcendas, & tempeſtates temperandas. Potiſſima affectio eſt locus in quo generantur, vbi repetendum eſt dupliciter accipi meteora: primo pro ipſis mixtis imperfectis quæ in ſublimi generatur: ſecundò latius pro omnibus mixtis imperfectis in quocumque tandem loco gignantur ſiue in alto, ſiue in infimo, ſiue in aliis locis.

Hoc ſuppoſito, ſi de meteoris priori modo ſumptis agatur, eorum locus aſſignatur ſublime, cùm ideo meteora dicta ſint quòd in ſublimi oriantur.

Sed dubitabis cùm ſublime totum illud dicatur ſpatium quod eſt ſupra terram & aquam, ipſam, etiam ignis ſphæram comprehendendo, an quando ſublime aſſignatur pro loco meteororum hoc priori modo ſumptorum, ſublime in ſuo ambitu complectatur totã ignis ſphæra omnéſque aëris tractus.

Reſpondeo negatiuè, ſi quidem exhalationes & vapores ex quibus fiunt meteora, non poſſunt vſque ad ignis ſphæram pertingere, quoniam probabile non eſt iis ſummam ineſſe leuitatem quâ ſurſum ſimpliciter moueantur & ad ſupremum elementaris mundi locum extollantur: alia igitur tantùm in aëris prouinciis generatur, alia in ſuprema, alia in media, alia denique in infima.

Si autem de meteoris poſteriori modo ſumptis agatur, dicendum eſt ſublime non eſſe tantum locum meteororum, ſed præterea etiam in terræ ſinu & in aquis generari. In terræ ſinu dupliciter: nam vel terra eſt cauernoſa, & tunc fit terræ motus, cùm ſcilicet ſpiritus interceptus & exire non valens quærit exitũ, terrãque magno impetu cõcutit; vel eſt caliginoſa & humida,

Digitized by Google

& tunc fontes ac riuuli oriuntur. In aquis verò, quia licet ſecundum naturam frigus cum remiſſa humiditate exigant, alias tamen affectiones ſubeunt ab externis agentibus inductas, cùm aliæ ſint dulces, aliæ ſalſæ, aliæ ſulphoreæ, quæ quidem poſtrema lethalem ſpirant halitum, qui mixtum imperfectum eſt.

# POSTERIOR DISPVTATIO.

*De Meteoris in ſpecie.*

## SECTIO PRIMA.

*De Meteoris ignitis.*

### QVÆSTIO PRIMA.

*De Cometis.*

Rogabis quæ ſit Cometarum materia? Reſpondeo non eſſe cœleſtem, ſeu Cometam non eſſe de numero ſtellarum errantium, vel multos planetas ſimul coniunctos, vt arbitrati ſunt quidam veteres Philoſophi, quia Cometa ſæpè apparet quando omnes planetæ diſiunctæ conſpiciuntur, tum etiam quia Cometa interit, cum tamen res omnis cœleſtis incorrupta maneat: ſed eſſe exhalationem pinguem, craſſam & partibus benè coagmétatis conſtantem: non quidem in exigua quadam magnitudine, quia alioqui Cometæ, ſicut aliæ impreſſiones ignitæ, illico extinguerentur: ſed in magna copia, itavt illa exhalatio in ſupremam aëris regionem euecta illic accendatur, & ignem concipiat.

Huic ſententiæ fauet quod exiſtentibus cometis turbulenti ventorum flatus, & immodicæ ſiccitates exiſtant, nempe quia tunc magna terrenæ exhalationis copia aërem occupauit.

Rogabis ſecundò, quis ſit cometarum locus? Reſpondeo eſſe ſupremam aëris regionem, probóque remotione aliorum locorum in quibus fortè Cometæ dicerentur generari. Non poſſunt in cœlo oriri, quia non ſunt ſubſtantiæ cœleſtes, ſed exhalationes, quę ad cœlos vſque non pertingunt; nec in infima vel media aëris regione, aliàs vario ventorum flatu agitarentur, quod eſt contra experientiam: proindéque ſupereſt tantum, vt in ſuprema aëris regione procreentur.

Rogabis tertiò quomodo Cometæ incendantur? Reſpondeo incendi vel motu exhalationis, vel antiperiſtaſi, vel flammulis ex regione ignis decidentibus, vt docuimus in Compendio.

Rogabis quarto quínam ſint colores Cometarum? Reſpondeo primò illos non eſſe veros & reales, ſed tantùm apparentes. Ratio eſt, quia veri colores, cùm ſint qualitates ſecundæ, non oriũtur niſi ex permixtione primarum qualitatum in mixtis perfectis, de quorũ numero Cometæ cenſeri non poſſunt.

Reſpondeo ſecundò, colores illos apparentes Cometarum varios eſſe ac multiplices: ſi quidem alij Cometæ candidi, alii nigri, alii denique aliis coloribus affecti oculis proponuntur: quæ quidem caloris diuerſitas oritur tantum ex diuerſitate materię, quatenus nempe illa rarior eſt aut denſior; ſi enim rarior eſt, ad candorẽ; ſi verò denſior, ad nigredinem, aut rubedinem propius accedet, vt etiam in igne noſtrate videri poteſt, ſi rarior & ſubtilior fuerit, candorem ſinceriorẽ & puriorem exhibebit, ſi verò denſior & viſcoſa, flammam rubram & ad nigrorem magis accedentem emittet.

Rogabis quintò, quæ ſit Cometarũ diuiſio?

Reſpondeo illam eſſe optimam in crinitum barbatum & caudatum, Crinitus naſcitur cùm exhalatio in medio craſſior eſt, in extremis autem parti-



Digitized by Google

bus rarior & ſubtilior, quia tunc lumē ſubtiliores illas partes extremas inuadens veluti crines in orbem videtur diffundere: Barbatus cùm exhalatio modicè porrigitur. Caudatus denique ſi verſus vnam partem longè protendatur.

Rogabis ſextò, fueritne verus Cometa, an ſtella quæ Chriſti natalitiis in Oriente apparuit, & Magos ad diuini Regis incunabula produxit?

Quorumdam ſententia fuit, vt author eſt Abulenſis ad cap. 2 D. Matth. quæſt. 12 de factoſtellam illam fuiſſe vnam ex errantibus, quod tamen refellit tum patrum authoritas, tum ipſa ratio: primò quia ſtella ſe continuò exhibebat ſpectandam; cùm tamen errantes ſtellæ, ſicut & aliæ omnes quotidiè oriantur & occidant. Secundò, quia ſtellarum lux interdiu non apparet, ſed nocte tantùm. cùm tamen ſtella illa die etiam magis appareret. Denique quia ſtellæ non abſconduntur niſi vbi occidunt, nec ſtatim poſtea ſpectari poſſunt, illa verò ſtella poſtquàm Reges Hieroſolymam vſque duxit, tātiſper delituit, tùm paulò poſt videndam ſe præbuit.

Dicendum igitur cum aliis omnibus prædictā illam ſtellā nullam fuiſſe vel ex errantibus, vel ex fixis firmamenti: ſed fuiſſe nouum quoddam & inuſitatū meteorum Diuina vel Angelica virtute productum, magnóque ſplendore & luce præditum, quod Angeli alicuius miniſterio non propria virtute ferebatur.

Rogabis poſtremò, quid Cometæ præuntient? Reſpondeo multa, & primò morbos & mortem Regum: morbos præſignificare, eò quòd ſint indicia ſummæ ſiccitatis & caloris: quæ qualitates vbi denominantur, temperiem aliarum qualitatum turbant: Regum verò mortem, ſiue quod ipſi delicatius viuant, & ideò habeant humores ſubtiliores, faciliúſque à vera temperie deiiciantur, quo etiam modo Cometæ infantulis mortem prænunciarent, quia delicatiſſimi ſunt, habéntque humores tenniores, ſiue quod ad Principum & Regum mortem præſignificandam plerúmque à Deo aſſumantur. Secundò dicitur Cometa prænuntiare ſiccitatem & ſterilitatem, quę quidem euocato è terra ſucco & ſurſū elatis ſpirationibus contingit. Tertiò ventorum flatus, & conſequenter maris agitationes, quæ obventorum flatus naſcuntur. Huius rei ratio eſt, quod Cometa non oriatur niſi elatis ad ſupremam aëris regionem in magna copia exhalationibus, quæ ad eam deneniri non poſſunt, quin in infima & media magna multitudo halituum, ex quibus procreantur venti, relinquatur. Quartò prænunciant terræ motiones & concuſſiones, quia Cometæ eo tempore refulgent quo multæ exhalationes è terra euocantur, & ad ſupremum aëris tractum euolant, quo ſanè eodem tempore exhalationes illæ in ſinu terræ concluſæ, dum liberum exitum moliuntur, magno impetu terram feriūt, vnde ipſa huc illuc agitari & tremere incipit.

## SECTIO SECVNDA.

*De fulgure & tonitrue.*

QVid ſit fulgur, & quando oriatur, non conuenit inter omnes, alij arbitrantur eſſe ignem ex cœlo diſtillantem, vt Anaxagoras apud Ariſtotelem 2. Metaph. cap. vltimo. Alij, vt Empedocles, eodem Ariſtotele authore, eſſe quidem ignem, ſed ſolaribus radiis accenſum, quos omnes modeſtè dixeris longiſſimè à vero aberrare.

Digitized by Google

Quapropter aſſerendum eſt cum Ariſtotele fulgur nihil aliud eſſe quàm exhalationem in nube accenſam igneóque colore tinctam. Motus autem illius inflammationis, vt plurimum, fit colliſione ſpiritus, ſeu concluſæ exhalationis in nube benè compacta: nec mirum videatur quod facta illa colliſione non ſemper exhalatio inardeſcat, quia accenſio tantum ſequitur colliſionem, quando materia apta eſt ad ignē & ardorem concipiendum. Cæterum colliſio iſta nubis tonitruū edit, ſeu ſonitum vehementem hoc modo: cùm exhalatio calida & ſicca in nubem magnam & lateribus plenam includitur, illa per ipſam nubis concauitatē huc illúcque diffugiens, ſiue motu, ſiue etiam antiperiſtaſi frigoris ipſi nubi inexiſtentis, aliáque ſimili cauſa, incaleſcit & rareſcit, proindéque maiorem locum quærit; quem vt conſequatur vehementi impetu in nubem impingit, illámque diſrumpit: ex qua diſruptione & fractura nubis ille ingēs ſonitus auditur quem tonitru nuncupant. At fulgur oritur cùm facta illa colliſione nubis, exhalatio quæ concluſa erat inardeſcit, & ſic è nube emittitur.

Ex quo non obſcurè colligis tonitru prius eſſe fulgure, cùm hoc illud conſequatur: proindéque quod prius oculis percipiatur fulgur quàm tonitru audiatur, id eſſe referendum in celeritatē agendi quæ maior eſt in viſu quàm in auditu, cùm ſcilicet rerum audibiliū ſpecies aliquo temporis interuallo ad aures deferantur, ſpecies verò rerum viſibilium citiſſimè ac ſecundùm multorum ſententiam in inſtanti ad aſpectum traiiciantur, ſicut etiam in remigatione videre eſt: in ea enim dum remi aquam feriunt, & poſtea ex ea auferuntur, poſterior remigatio oculis cernitur antequam prioris ſonus ad auditum peruenerit.

## QVÆSTIO TERTIA.

### *De Fulmine.*

Rogabis primo quid ſit fulmen? Vulgi opinio habet eſſe lapidem igne delatum, Sed probabilius eſt eſſe exhalationem ignitam ex nube excuſſam, quod ſi aliquādo lapis è nube trudatur, dicendum eſt illum non eſſe fulmen, ſed nubē in lapidem concretā, & vnà cum fulmine deorſum emiſſam.

Rogabis 2. quomodo illa exhalatio ex qua fulmen componitur, inardeſcat? Reſpódeo, vt ſuprà inardeſcere, vel motu quo huc & illuc per nubē excurrit, vel antiperiſtaſi frigoris in nube exiſtētis: ſic verò accenſam exhalationē nubem rumpere & ingens tonitruū edere, quia tunc ex dictis rareſit, & propterea ampliorem locum poſtulat, quē vt obtineat, magno conatu nubē ferit, illámque tandem diſrūpit: quod ſi ipſam verſus inferiorem partem fregerit, eadem vi, eodémque impetu quo nubem fregit ad terras detruditur, & tanta velocitate erumpit vt contra modum aliarum exhalationum ignitarum in aëre non diffluat & diſſipetur, ſed ad terras vſque perueniat, ad quod etiam nō parum facit quod partibus benè cohærentibus & coagmentatis conſtet.

Rogabis tertiò quæ ſit, cauſa cur æſtate frequentius quàm hyeme contingāt? Reſpondeo cauſā eſſe quod æſtate terræ plus caloris imprimatur qui eam exhalationem reſoluat, vt poſtea ad mediam aëris regionem elata ſit materia fulminis, quàm in hyeme, quo tempore frigus dominatur.

Rogabis quartò quæ cauſa ſit cur tā irregulari motu fulmen decidat & oblique feratur: Reſpondeo cauſam illam eſſe quod vis per quàm è nube fulmen

Digitized by Google

deiectum eſt, illud deorſum vrgeat, è contra verò natura ignis ſurſum vocet, tunc enim contingit neutra parte alteri cedente, vt nec in ſupra nec infra commeet, ſed media via feratur, donec victo ignis conatu ad terras deſcendat.

Rogabis quintò quinam ſint fulminis effectus? Reſpondeo illos plures eſſe & admirabiles: Primus eſt quod ſacculis nullo modo combuſtis aurum & argentum intus comburat, manente carne oſſa diminuat, vno verbo ita ſe gerat, vt firmiora acrius impetat, debilioribus verò pareat.

Huius rei cauſa eſt, quod in iis quæ traiectioni ignis obſiſtunt, qualia ſunt dura & addenſata fulmen commoretur, quod proinde ad vincendam eorum contumaciam moram trahens, illis vim ſuam vehementius imprimit: quando verò ignis nihil inuenit quod ſibi reluctetur, per poros atque foramina celerrimè ſine læſione tranſcurrit.

Secundus effectus eſt, quod fulmen aliquando dolium frangat, & tamen efficiat vt vinum ſubitò concretum per triduum ſtet, nec vllo pacto effluat. Hoc refert Albertus Magn. tract. de tonitruo cap. 21. & nos rationem aſſignamus. Quod enim dolium frangatur, eſt quia firmius reſiſtit fulmini, & ita reſiſtendo abſumitur modo ſuperius explicato; quod autem vinum ſubitò concretum ſtet, & non diffluat, id fit quia calor poteſt liquores addenſare ſi illi calidam & ſiccam exhalationem admixtam habeant.

Tertius effectus eſt, illæſo dolio vinum totum fuiſſe exhauſtum. Cauſa hæc reddi poteſt, & quod illæſum maneat dolium, quia nempe rarioribus conſtat partibus quæ igni non reſiſtunt, quaſque proinde ſine earum iniuria tranſcurrit, vt ſupra explicatum eſt, & quod vinum exhauriatur, quia ſcilicet repentino & celeri ignis aduentu omnino exſiccatur & abſumitur.

Quartus effectus, iſque peruulgatus eſt, quæ erant ueneno conſperſa, poſt fulminis ictum ſtatim venenum depoſuiſſe: & è contra quæ nullo priùs veneno inficiebantur ipſum ſuſcepiſſe: prioris cauſa eſt quod fulmen aliquando venenum exurat.

Poſterioris verò ratio eſt quod interdum tetros & ſulphureos emittat odores, quando ſcilicet ex halatio è ſulfurea terra educta eſt, adhucque natiuum ſuum ſolum redolet, tunc enim multa venena inſpergit, exanimat, aut dementiam inducit.

Denique quoniam hæc non mira tantum ſed valde timenda ſunt fulminum effecta, rogabis num aduerſus illa nulla ſint remedia? Reſpondeo à variis authoribus varia illa afferri. Plinius lib. 2. Naturalis hiſtoriæ cap. 52. hoc primum adfert remedium, vt cùm fulminis timor exiſtit, ad ſubterranea loca deſcendatur: quia inquit, fulmen cùm terram penetrat non poteſt niſi ad quinque pedes deſcendere: ſecundum affert remedium, nempe laurum, quam dicit fulmine percuti non poſſe; quamquam contrarium videatur aſſerere Vicomercatus ad cap. 10. lib. 3. Met. affirmans laurum etiam fuiſſe de cœlo tactam, fulmineque percuſſam. Addunt alij tertium remedium contra fulmen, nempe lapidem hyacinthum; ſed quod lapis ille tantam vim habeat, vt fulminis ictum impediat, inter fabulas reponit Scaliger exerc. 113. in Cardanum. Alij denique vt reliqua taceamus, poſtremum fulminis remedium aſſignant aquilam & vitulum marinum, quia dicunt hæc animalia fulmine nunquam tangi, ſed leue eſt remedium: ſi enim

Digitized by Google

546

enim verum eſt iſta animalia non tangi ſulmine, id ex eo tantum prouenit quod peculiari naturæ inſtinctu fulmina præſagiant; ſeſéque per id tempus in abdita loca recipiant, non quòd fulmen decidens ipſa occurrentia attingere non poſſit, aut eos qui in tabernaculis contextis ex pellibus vitulo marino detractis manent, vt nonnulli cômenti ſunt, à fulmine ſeruont.

## QVÆSTIO QVARTA.

*De reliquis impreſſionibus ignitis.*

VAriæ ſunt adhuc impreſſiones ignitæ quas ordine referemus. Prima eſt lancea, quæ tunc apparet, cùm exhalatio longè magis in altum quàm in longum porrigitur; & quia æqualis eſt in ſingulis ſuis partibus tenuitatis, totum ſimul inceditur: quia præterea trabis & iaculi ſimilitudinem refert; alij eam trabem, alij iaculum vocant. Secunda eſt ignis perpendicularis, ita dictus, quòd oculis perpendiculi & pyramidis figuram exhibeat; fit enim quando exhalatio quæ partibus conſtat bene cohærentibus, inæqualis tamen eſt craſſitiei, & ſublimiores partes ſunt ſubtiliores ſimúlque incenduntur; craſſiores verò deorſùm commeant, hæ ſunt veluti baſis, ſublimiores tanquam columnæ, quæ ad perpendiculum eriguntur.

Tertia eſt flamma, ſeu fax, quæ tunc oritur, quãdo exhalatio æqualiter in lõgitudinem & latitudinem protenditur & tanta eſt ſubtilitate prædita vt tota ſimul inflammetùr.

Quarta dicitur capra ſaltans, quæ tunc viſitur, quando exhalatio magis in longum quàm in latum exporrecta, habet ad altera veluti certa quædam fila ad ignem concipiendum plurimum idonea, quæ dum accenduntur, videtur flamma caprarum more ab vno ad aliud excurrere, & veluti ſaltare

Quinta ſunt ſidera volantia, quæ eueniunt quando exhalatio, quæ in longum protenſa eſt, ita inflammatur, vt vna pars prius quàm alia incendatur, eáque extincta alteri ignis communicetur: ſic enim volantis excurſio quædam apparet, non ſecus ac cùm duæ cãdellæ iuxta ſe poſitæ ſunt, vt ita vna ſit ſuperior illa quæ inflammata, eſt altera inferior, recenter extincta; tunc enim inferioris flamma ita celeriter ignem concipit, vt ad ſuperiorem volaſſe videatur, vel è contra.

Sexta eſt draco volans, ſic dictus quòd aliqua ratione huius animalis ſimilitudinem referat; prouenit enim ex halitu non admodum calido, nec valdè compreſſo, qui, dum ſurſum fertur à frigida nube occurſante, deorſum pellitur, & eo motu vel antiperiſtaſi ita incenditur, vt ratione frigidæ nubis illam deorſum impellentis flecti curuaríque velut draconis venter cõſpiciatur; & cùm in anteriori parte ſubtiliorem materiam habeat, ex illa ſcintillæ ardentes emicant, quæ caput referunt; poſterior verò pars nubis ita frigore comprimitur vt conſtrictam caudam repræſentet.

Septima eſt ignis fatuus, Gallicè, *feu ardant, ou feu follet*, ſic dictus, quòd huc & illuc dementium more diſcurrat eius ortus eſt ex viſcoſa, & pingui exhalatione, quæ in infimâ aëris regione per antiperiſtaſim nocturni frigoris inardeſcit. Vnum de illo prætereundum non eſt, fugientes inſequitur, ſequentes fugit. Ratio eſt, quia cùm aliquis loco mouetur, & deſerit aliquod ſpatium, vicinus aër ſequitur ad illud occupandum, ne detur vacuum: huic aëri locum ſuum deſerenti ſuccedit alius, & ita continenti ſerie vſque ad ignem fatuum qui ita mouetur & nos ſequitur: quando verò aliquis verſum



Digitized by Google

ipſum ignem progreditur, aërem pellit, qui colliſus alium percutit, quoúſque ad ignem eiuſmodi peruenerit, quem etiam, cùm aëre leuior, ſit facilè pellit.

Octaua eſt ignis lambens, quem dicunt generari ex rara ſubtiliſque exhalatione, quæ per aërem diſperſa & antiperiſtaſi incenſa, hominum & equorum capillis interdum adhæreſcit: oriri etiam dicitur ex animalium calidi temperamenti ſudoribus viſcoſis & pinguibus, qui quidem motu vel antiperiſtaſi circumſtantis frigoris incenduntur.

Nona eſt Caſtor, Pollux & Helena quæ quidem ex pingui & viſcoſa exhalatione per antiperiſtaſim frigidi aëris, vel per colliſionem ſuarum partium accenſa, ſæpè nauigantibus apparet; ſi duæ videantur, Caſtor & Pollux dicuntur, & fauſtum nauigationis euentum pollicentur: ſi vnam tantùm, Helena appellatur, ; & infauſtum prædictæ nauigationis euentum præſagit.

Aliæ dicuntur eſſe impreſſionis ignitæ in ſubterraneis locis, vt in mōte moderno Ætna, Veſuuio, inſulis Æolis, aliiſque ſimilibus; quibus abūdant hiſtoriarum codices.

## SECTIO SECVNDA.

### *De Meteoris, ſeu impreſſionibus lucidis.*

### QVÆSTIO PRIMA.

#### *De Iride.*

ROgabis primò, quomodo Iris oriatur? Reſpondeo, ad eius generationem duo eſſe neceſſaria, Solem & nubem: Solem tanquam cauſam efficientem colluſtrationis & luminis quod nubi imprimitur, nubem verò tanquàm cauſam materialem & receptiuam eiuſmodi colluſtrationis & lucis.

Porrò nubes illa ad ortum Iridis requiſita neceſſariò debet eſſe rorida, & proximè apta quæ in aquam ſoluatur; partim diaphana ſeu tranſlucida, vt ſecundum eam faciem quæ nos reſpicit, iniectum lumen imbibat: partim opaca, nempe à tergo, vt more ſpeculi lumen repercutiat.

Rogabis ſecundò: quare ſimul eodémque tempore plures aliquando Irides oriantur. Reſpondeo cauſam illam eſſe duplicem: prior eſt quod aliquando duæ nubes, quarum vna eſt in Orientem, altera in Occidente, idoneæ ſint ad recipiendam Solis colluſtrationem, Sol verò medium cæli teneat; tunc enim fieri poteſt vt Sol vtrámque nubem ſuis radiis feriat, & Iridis figuram imprimat.

Poſterior cauſa eſt, quòd vbi Sol nubem colluſtrauit, illique varios colores ad Iridem requiſitos impreſſit, ex hac nube talis colluſtrationis & colorum fiat in aliam nubem reflexio, quæ pariter colluſtrata conſpicitur, debilior tamen apparet quàm altera, quia non ita poteſt nubes colluſtrata aliam colluſtrare, ac Sol eamdem ipſam potuit colluſtrare.

Rogabis tertiò, vtrum veri ſint colores in Iride? Reſpondeo negatiuè, quia veri colores naſcuntur ex permixtione quatuor primarum qualitatum, quæ tamen in Iride nulla eſt. cùm eius materia ſit nubes ſtatim in aquam diſſoluenda. Quare varij illi colores ſunt tantùm apparentes orti ex luce variè modificata & in variis ſubiectis recepta: ſi enim ipſa ſubiecta diuerſas diſpoſitiones, maiorem videlicet vel raritatem vel denſitatem habeant, diuerſitas colorum apparentium orietur luce in illa ſubiecta incidente, in materia rariori lux puniceum colorem efficit, in mediocri viridem, in denſiori purpureum, vt communiter tradunt Philoſophi: hinc cum opacitas nubis

Digitized by Google

magna ſit in infima parte, mediocris in media, & exigua in ſuprema, quia partes conſiſtunt donec fuerit nubes in aquam reſoluta: hinc inquam colligitur puniceum colorem in ſuprema nubis parte apparere, in media viridem, & in infima purpureum. Alij etiam, ſed minus præcipui, colores in Iride deprehenduntur: nempe flammeus, qui propè ad purpureum accedit, cæruleus, & alij.

Rogabis quartò, an Iris ante diluuium viſa ſit? Reſpondeo affirmatiuè, contra nonnullos quos memorat D. Thom. ad cap. 9. Gen. ſi quidem Iris quæ aliter cœleſtis arcus dicitur, eſt meteorum aliquod naturale, cauſas habens naturales, & ex naturæ curſu proueniens: nempe ex nube rorida variis Solis radiis colluſtrata, quæ quidem omnia probabile eſt ante diluuium extitiſſe.

Nec obſtant hæc verba Geneſ. 9. *Ponam arcum meum in nubibus cœli, & recordabor fœderis mei vobiſcum*, inquit Dominus, *& non erunt vltrà aquæ diluuij*. Non inquam obſtant hæc verba, arcus enim ille cœleſtis dicitur poſitus in nubibus cœli tanquam ſignũ morale, & ex inſtituto pacis & fœderis, non tamen tanquam ſignum naturale, quia ſic fuit ante diluuium, vt demonſtrauimus.

## QVÆSTIO SECVNDA.

### *De quibuſdam aliis lucidis & coloratis Meteoris.*

Meteora hic colorata dicimus non quidem veris & propriis coloribus, ſed tantùm apparentibus, vt de Iridis coloribus diximus. Hoc poſito quæres quę omnium illorum lucidorum & coloratorum meteororum ſit materia? Reſpondeo eſſe exhalationem, vel vaporem, vel ipſum aërem addenſatum, vel etiam aquam in maiorem raritatem attenuatam.

Rogabis ſecundò, quid ſit ſpeciatim vorago, & quomodo oriatur? Reſpondeo eſſe ſpirationem quandam radiis, vel Solis, vel alicuius aſtri colluſtratam, foueæ cuiuſdam ſimilitudinem referentem: euenire autem cùm multi halitus in ſublime tracti in medio quidem denſiores, in extremis verò rariores inter Solem aliúdve corpus luminoſum & noſtrum aſpectum conſtituuntur medium ratione ſuæ opacitatis minus illuſtratur, ideóque magis tenebroſum apparet: extremæ autem partes, vt potè rariores, liberali lumine facilè perfunduntur, vnde fit vt velut quædam profunditas appareat cùm ſplendidum & nitidum nobis videtur propinquius quàm obſcurum, vt ſatis intelligitur ex pictorum more, qui vt cauum aliquod & profundum exhibeant, vtuntur nigro, vel ad eum accedente, colore albo circa ipſum appoſito: vel è contrà, ſi aliquid aſpectui vicinum repræſentare volunt, illud candido colore, vel alio ei cognato, exprimunt.

A voragine parum differt hiatus, eo ſcilicet tantùm quod hiatus ſit exilior, minorémque videatur habere profunditatem quàm vorago.

Rogabis tertiò quidnam ſint virgæ, & quomodo oriantur? Reſpondeo illas contingere, quando nubes non habent æqualem in ſuis partibus concretionem, ſed alias partes rariores obtinent, alias denſiores: nam propter ipſam maiorem vel minorem qualitatem variis induitur coloribus, & perpendiculariter verſus terræ ſuperficiem protenditur, ideóque à virgarum ſimilitudine virgæ à philoſophis dictæ ſunt.

Quartò rogabis quid ſint parelia, &



Digitized by Google

quis eorum ortus? Reſpondeo eſſe imagines ſolis in nube expreſſas. Contingere verò, quando ſol incidens in nubem roridam illi ſuam imprimit imaginem, quam nubes ad noſtrum aſpectum ſpeculi more reflectit: vnde manat vt vnum in proprio orbe Solem alterum in nube expreſſum percipiamus. Interdum autem contingit, vt quædam imago incurrens in ſpeculum in aliud reflectatur antequam ad oculum reſiliat: ſic etiam illa imago nubi impreſſa, in aliam nubem ad talem impreſſionem ſuſcipiendam idoneam reflectatur, ipſique imprimatur, in quo caſu tres Soles cerni poſſũt vnus in orbe ſuo duo alii in duabus nubibus.

Simili modo quando Luna roridæ nubi ſuam imprimit imaginem modo ſuperius expoſito, paraſelenę dicuntur.

Rogabis poſtremò, quomodo contingat vt homines armati equites in aëre haſtis & enſibus depugnantes, aliáque eiuſmodi, conſpiciantur, quæ ante Hieroſolymitanæ vrbis excidium extitiſſe non pauci referunt. Aliqui dicũt hęc omnia cõtingere euocatis ſpiritibus multis è terra & aqua, illiſque in ſublime elatis, quoniam inquiunt ſpiritus illi varias illas figuras ſuſcipere poſſunt hominum armatorũ, equitum pugnantium, &c. Verùm cùm ea omnia difficilè euenire poſſint, nec ſpiritus in altum elati naturaliter loquendo, ita diſponi queant vt eas figuras exprimant, arbitror potius recurrendum eſſe ad ſupremam cauſam, hæ: & ſimilia vel per ſe ipſam, vel per Angelos efficientem, vt hominibus timorem incutiat, magnáſque clades, calamitates & miſerias prænuntiet, vt in cinere & cilicio pœnitentiam agentes iram Dei auertant.

Similiter quando audiuntur clangor tubarum, vox ſaltem confuſa & parum diſtincta à voce hominum; hinnitus equorum, & alia eiuſmodi, licet quibuſdam cauſis naturalibus adſcribantur, ipſis nempe ſpiritibus qui in nube incluſi variè perſonant, nubem diſrumpendo & ex illa egrediendo; nihilominus ſaltem vt plurimum, hæc omnia eueniunt modo extraordinario, vt homines de agenda peccatorum pœnitentia moneantur.

## SECTIO TERTIA.

*De Impreſſionibus, quæ ex ſolo terræ halitu fiunt:*

IMpreſſiones illæ dicuntur fieri ex ſolo terræ halitu quæ nec ſunt ignitæ, nec luce conſperſę, ideò minus conſpiciuntur, vt ventus & terræ motus, de quibus ordine.

## QVÆSTIO PRIMA.

*De Ventis.*

ABſtruſa eſt valdè ventorum natura, iuxta illud Pſalmi, qui educit ventos de theſauris ſuis. Quapropter rogabis primò de quid ſit ventus. Dicunt nonnulli eſſe aërem agitatione commotum, ſed refelluntur, etenim ſæpius mouetur aër, vt cum cymbala & tormenta bellica per aërem ingenti boatu reſonant, & turres maxima vi decidunt, & tamen has aëris agitationes nullus vnquam ventos appellauit.

Dicendũ itaque ventũ eſſe exhalationẽ calidã & ſiccam, ſiue puram ſiue vaporibus admixtam. Hęc propoſitio ex eo patet, quòd eo tempore crebriores ſint venti, quò in maiori copia exhalationes è contra eliciuntur, vt vere & autumno, tempore etiam illo quo Cometæ refulgent, qui non apparent niſi exiſtẽte magna exhalationũ copia: itẽ matutino tempore quo Solis calore plures è terra extrahũtur exhalationes

Digitized by Google

Adde experientia conſtare ventos plurimum exſiccare. quod aliunde non prouenit, niſi quia eorum materia eſt exhalatio calida & ſicca.

Dixi verò exhalationem calidam, & ſiccam eſſe ventorum materiam & exhalationem vaporibus admixtam, cùm perſeuerantibus longo tempore ventis non ſit probabile ſolam adeſſe exhalationem, & nullos eſſe vapores admixtos.

Accedit quod venti è mari flantes humidi cenſeantur, quæ tamen humiditas nulla eſt in exhalatione pura, ſed vaporis naturam ſequitur.

Rogabis ſecundò, à quo excitantur venti? reſpondeo, potiſſimum excitari à certis quibuſdam aſtris ſuo calore exhalationes ex terra, & vapores ex aqua educentibus: cuius rei indicium, eſt, quod certorum quorumdam aſtrorum coniunctione ortu & aſpectu maximi venti crebrò exiſtant.

Rogabis tertiò vnde oriatur obliquus venti agitatus: & quare non fertur, vel ſurſum, vel deorſum? reſpõdeo cauſam eſſe, quod Solis aliorúmque aſtrorum attractu multi halitus qui ventorum materia ſunt, in altum eleuentur, & ad mediam aëris regionẽ elati ab eius natiuo frigore protrudãtur, ac diſſultanti impetu reſiliant: cõtingit enim tunc, vt venti à ſua leuitate incitati, ſurſum nitantur aſcendere, & cum impetu frigidi aëris protruſi ad inferiora contendũt, neutra pars vincat. ſed quaſi partita contenſione obliquè progrediantur; & in tranſuerſum agitentur.

Rogabis quartò quotuplices ſint venti? Reſpondeo ventos alios eſſe præcipuos & cardinales, alios minus præcipuos, & tantùm collaterales, ſeu quatuor cardinalibus adiacentes: Cardinales illi venti dicuntur qui flant à quatuor præcipuis mundi partibus & angulis, Oriente, Occidente, Meridie & Septentrione. Ventus, qui ab ortu ſpirat Subſolanus dicitur; qui ab oppoſita parte, nempe Occaſu flat, Fauonius ſeu Zephyrus; qui à Meridie concitatur, Auſtralis; qui a Septentrione, Septentrionalis, ſeu Borealis.

Collaterales verò venti ab aliis plures, ab aliis pauciores ſtatuuntur. A quibuſdam 48. comprehenſis quatuor Cardinalibus, ab aliis duodecim tantùm, ab aliis denique re magis explorata 32. quod vt faciliùs explicẽt, quatuor in partes horizontem diuidunt, in quibus quatuor principales vẽtos collocant Subſolanum in Oriente, Fauonium in Occidente, Auſtralem in Meridie, & in Septentrione Septentrionalem.

Rurſus quamlibet iſtam partem in alias octo ſecant, in quarum ſingulis, ſingulos ventos conſtituunt, quos omnes hoc ordine poſſumus recenſere, ab Oriẽte incipientes. Primus, qui eſt in parte Orientali, vt dictum eſt, Subſolanus vocatur: inter eum & Auſtrum Euronotus ponitur: inter Subſolanum & Euronotum, Eurus, ſeu Vulturnus, & inter Euronotum & Auſtrum Pharoſias. Rurſus inter Auſtrum & Fauoniũ, ſeu Zephyrum, Notozephyrum ſtatuũt: inter Notozephyrum & Fauonium, Africum, inter Notozephyrum & Auſtrum Libonotum, inter Fauonium & Septentrionem, Thraciozephyrum ponunt: inter Thraciozephyrum & Septẽtrionem. Thraciam, ſeu Cariam, inter Thraciozephyrum & Fauonium. Corũ. Denique Inter Septentrionem & Subſolanum Meſen collocant, inter Meſen & Subſolanum Phœniciam: inter Meſen & Septentrionem Boream, & ſic ſexdecim venti colliguntur, tum rurſus in puncto medio alium ventum, in-



Digitized by Google

quis eorum ortus? Reſpondeo eſſe imagines ſolis in nube expreſſas. Contingere verò, quando ſol incidens in nubem roridam illi ſuam imprimit imaginem, quam nubes ad noſtrum aſpectum ſpeculi more reflectit: vnde manat vt vnum in proprio orbe Solem alterum in nube expreſſum percipiamus. Interdum autem contingit, vt quædam imago incurrens in ſpeculum in aliud reflectatur antequam ad oculum reſiliat: ſic etiam illa imago nubi impreſſa, in aliam nubem ad talem impreſſionem ſuſcipiendam idoneam reflectatur, ipſique imprimatur, in quo caſu tres Soles cerni poſſũt vnus in orbe ſuo duo alii in duabus nubibus.

Simili modo quando Luna roridæ nubi ſuam imprimit imaginem modo ſuperius expoſito, paraſelenę dicuntur.

Rogabis poſtremò, quomodo contingat vt homines armati equites, in aëre haſtis & enſibus depugnantes, aliáque eiuſmodi, conſpiciantur, quæ ante Hieroſolymitanæ vrbis excidium extitiſſe non pauci referunt. Aliqui dicũt hęc omnia cõtingere euocatis ſpiritibus multis è terra & aqua, illiſque in ſublime elatis, quoniam inquiunt ſpiritus illi varias illas figuras ſuſcipere poſſunt hominum armatorũ, equitum pugnantium, &c. Verùm cùm ea omnia difficilè euenire poſſint, nec ſpiritus in altum elati naturaliter loquendo, ita diſponi queant vt eas figuras exprimant, arbitror potius recurrendum eſſe ad ſupremam cauſam, hæc & ſimilia vel per ſe ipſam, vel per Angelos efficientem, vt hominibus timorem incutiat, magnáſque clades, calamitates & miſerias prænuntiet, vt in cinere & cilicio pœnitentiam agentes iram Dei auertant.

Similiter quando audiuntur clangor tubarum, vox ſaltem confuſa & parum diſtincta à voce hominum; hinnitus equorum, & alia eiuſmodi, licet quibuſdam cauſis naturalibus adſcribantur, ipſis nempe ſpiritibus qui in nube incluſi variè perſonant, nubem diſrumpendo & ex illa egrediendo; nihilominus ſaltem vt plurimum, hæc omnia eueniunt modo extraordinario, vt homines de agenda peccatorum pœnitentia moneantur.

## SECTIO TERTIA.

*De Impreſſionibus, quæ ex ſolo terræ halitu fiunt:*

IMpreſſiones illæ dicuntur fieri ex ſolo terræ halitu quæ nec ſunt ignitæ, nec luce conſperſę, ideò minus conſpiciuntur, vt ventus & terræ motus, de quibus ordine.

## QVÆSTIO PRIMA.

*De Ventis.*

ABſtruſa eſt valdè ventorum natura, iuxta illud Pſalmi, qui educit ventos de theſauris ſuis. Quapropter rogabis primò de quid ſit ventus. Dicunt nonnulli eſſe aërem agitatione commotum, ſed refelluntur, etenim ſæpius mouetur aër, vt cum cymbala & tormenta bellica per aërem ingenti boatu reſonant, & turres maxima vi decidunt, & tamen has aëris agitationes nullus vnquam ventos appellauit.

Dicendũ itaque ventũ eſſe exhalationẽ calidã & ſiccam, ſiue puram ſiue vaporibus admixtam. Hęc propoſitio ex eo patet, quòd eo tempore crebriores ſint venti, quò in maiori copia exhalationes è contra eliciuntur, vt vere & autumno, tempore etiam illo quo Cometæ refulgent. qui non apparent niſi exiſtẽte magna exhalationũ copia: itẽ matutino tempore quo Solis calore plures è terra extrahũtur exhalationes

Addè experientia conſtare ventos plurimum exſiccare, quod aliunde non prouenit, niſi quia eorum materia eſt exhalatio calida & ſicca.

Dixi verò exhalationem calidam, & ſiccam eſſe ventorum materiam & exhalationem vaporibus admixtam, cùm perſeuerantibus longo tempore ventis non ſit probabile ſolam adeſſe exhalationem, & nullos eſſe vapores admixtos.

Accedit quod venti è mari flantes humidi cenſeantur, quæ tamen humiditas nulla eſt in exhalatione pura, ſed vaporis naturam ſequitur.

Rogabis ſecundò, à quo excitantur venti? reſpondeo, potiſſimum excitari à certis quibuſdam aſtris ſuo calore exhalationes ex terra, & vapores ex aqua educentibus: cuius rei indicium, eſt, quod certorum quorumdam aſtrorum coniunctione ortu & aſpectu maximi venti crebrò exiſtant.

Rogabis tertiò vnde oriatur obliquus venti agitatus: & quare non fertur, vel ſurſum, vel deorſum? reſpōdeo cauſam eſſe, quod Solis aliorúmque aſtrorum attractu multi halitus qui ventorum materia ſunt, in altum eleuentur, & ad mediam aëris regionē elati ab eius natiuo frigore protrudātur, ac diſſultanti impetu reſiliant: cōtingit enim tunc, vt venti à ſua leuitate incitati, ſurſum nitantur aſcendere, & cum impetu frigidi aëris protruſi ad inferiora contendūt, neutra pars vincat. ſed quaſi partita contenſione obliquè progrediantur; & in tranſuerſum agitentur.

Rogabis quartò quotuplices ſint venti? Reſpondeo ventos alios eſſe præcipuos & cardinales, alios minus præcipuos, & tantùm collaterales, ſeu quatuor cardinalibus adiacentes: Cardinales illi venti dicuntur qui flant à quatuor præcipuis mundi partibus & angulis, Oriente, Occidente, Meridie & Septentrione. Ventus, qui ab ortu ſpirat Subſolanus dicitur; qui ab oppoſita parte, nempe Occaſu flat, Fauonius ſeu Zephyrus; qui à Meridie concitatur, Auſtralis; qui a Septentrione, Septentrionalis, ſeu Borealis.

Collaterales verò venti ab aliis plures, ab aliis pauciores ſtatuuntur. A quibuſdam 48. comprehenſis quatuor Cardinalibus, ab aliis duodecim tantùm, ab aliis denique re magis explorata 32. quod vt faciliùs explicét, quatuor in partes horizontem diuidunt, in quibus quatuor principales vẽtos collocant Subſolanum in Oriente, Fauonium in Occidente, Auſtralem in Meridie, & in Septentrione Septentrionalem.

Rurſus quamlibet iſtam partem in alias octo ſecant, in quarum ſingulis, ſingulos ventos conſtituunt, quos omnes hoc ordine poſſumus recenſere, ab Oriẽte incipientes. Primus, qui eſt in parte Orientali, vt dictum eſt, Subſolanus vocatur: inter eum & Auſtrum Euronotus ponitur: inter Subſolanum & Euronotum, Eurus, ſeu Vulturnus, & inter Euronotum & Auſtrum Pharoſias. Rurſus inter Auſtrum & Fauoniū, ſeu Zephyrum, Notozephyrum ſtatuūt: inter Notozephyrum & Fauonium, Africum, inter Notozephyrum & Auſtrum Libonotum, inter Fauonium & Septentrionem, Thraciozephyrum ponunt: inter Thraciozephyrum & Septẽtrionem. Thraciam, ſeu Cariam, inter Thraciozephyrum & Fauonium, Corū. Denique Inter Septentrionem & Subſolanum Meſen collocant, inter Meſen & Subſolanum Phœniciam: inter Meſen & Septentrionem Boream, & ſic ſexdecim venti colliguntur, tum rurſus in puncto medio alium ventum, in-



Digitized by Google

ter quoſlibet duos ponunt, & ita 32. numerantur.

Cæterùm, quia iſta inuoluta ſunt, & ſexdecim illi venti qui inter totidem alios interiiciuntur propriis apud Latinos carent nominibus, apponenda erit tabula quæ omnes ventos exhibeat, & eos qui apud Latinos vocabulis carent. Nautico, vel Italico idiomate exponat.

Hîc apponenda Tabula.

Rogabis quintò, quas qualitates induant venti? Reſpondeo, diuerſis ventis diuerſas ineſſe, nam alij ſunt ſicci & calidi; qui conſtant tantum exhalationibus; alij calidi & humidi, qui vapores habent admixtos; præterea varietas maxima qualitatum in ipſis oritur pro diuerſitate prouinciarum & regionum per quas tranſeunt: ſi enim illæ frigore rigeſcant, ipſi quoque venti erunt frigidiſſimi, vt Septentrionales qui per loca niuoſa & frigida tranſmeant: ſi verò per regiones calidas ad nos traducantur, calidiſſimi ſunt futuri, vt Meridionales qui per Zonam torridam ad nos vſque perueniunt. Pariter ſi regiones per quas percurrũt ſint ſalubres vel noxiæ, eodem ſe modo venti habebunt.

Rogabis ſextò, quare ſæpiùs ventorum flatus Sol ſuo ortu augeat, aliquãdo verò ſuo occaſu comprimat? Reſpondeo rationem eſſe, quia Sol exhalationes nocturno frigore ſopitas, calore quem oriendo producit exſuſcitat: ſicut è contra occaſu calorem ſuũ ſubtrahit, nec eum amplius diffundit quo eliciantur exhalationes: vnde naſcitur, vt ſaltem ventus comprimatur.

Rogabis poſtremò, an quædam ventorum preſagia, & quæ? Reſpondeo ad primum affirmatiuè: ad ſecundùm dico primum ventorum ſignum eſſe prelationem aranearum per aërem, quod proponit Ariſtot. ſect. 26. probl. qu 64. ſecundùm eſt rubor circa lunam, iuxta illud:

*Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba ſerenat.*

Tertium eſt, ſi in ſublimi videantur excurrentes ſtellæ, cometæ, tonitrua, colores rubri, corona circa Lunam, fax, vorago, aliáque, cùm ignita tum lucida meteora: hæc enim indicant maximam exhalationum copiam fuiſſe excitatam, ex qua venti generantur. Quartum eſt littorum & montium fremitus, murmúrque nemorum. Quintum & certè apparens, eſt nubium motus: quanquam enim in hoc inferiori aëre nullus venti flatus conſpiciatur, ſi tamen nubem agitari videamus, ſatis cognoſcimus agitationem illam ab aliquo vento proficiſci, qui ſit citò ad terram deſcenſurus.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*De Tempeſtatibus.*

Tempeſtatum ſeu turbulentorum flatuum eadem eſt materia ac ventorum, nempe exhalatio vel vapor exhalationi admixtus: & tantum differunt vt ventus ſit moderatior, tempeſtates verò horrendo flatu deſæuiant. Porrò tempeſtates ſunt tres. Ecnephias ſeu procella, Typho ſeu turbo, *& preſter.* Ecnephias, ſeu procella, ortum habet, cum multæ exhalationes confertim aceruatæ ſurſum aſcendunt, & per cauam nubem ſubeuntes vel attritu ſuarum partium, vel antiperiſtaſi, incaleſcunt atque rareſcunt, ſicque rarefactæ liberum egreſſum moliuntur, tandémque more fulminis per diſruptam nubem magno impetu deorſum ruunt.

Typho ſeu turbo exurgit quando

Digitized by Google

exhalationes multæ, & flatus ex nube excuſſi, in gyrum contorquentur: in quo à procella ſecernitur, quæ quidem eſt idem flatus, ſed rectà deſcendens.

Denique *preſter* tum exiſtit, cùm prædicti halitus & flatus ex nube excuſſi, vel antiperiſtaſi, vel attritu partium, ignem ex parte concipiunt & inardeſcunt, atque è nube erumpunt, flammámque & flatum ſecum deuoluunt, plus tamen flatus quàm flammæ: in quo à fulmine diſcrepat, quòd plus flammæ, minus verò flatuum habet.

## QVÆSTIO TERTIA.
### *De terra Motu.*

Rogabis primò quomodo oriatur. Reſpondeo imprimis multos terræmotus per occultam Dei potentiam excitari ad homines exterrefaciendos, quorum exempla ſunt apud Sophronium in Prato Spirituali cap. 5. & D. Gregorium Nicenum in vita Beati Gregorij Thaumaturgi.

Cauſa naturalis eorum terræmotuũ quærenda eſt. Nonnulli dixerunt terræmotum contingere, quando ipſa terra, quam dicunt animal quoddam eſſe, à bona valetudine diſcedens, qua durante arteriarum mobilitas modum ſeruabat, & venæ per quas excurrit ſanguis, nullo pacto turbabantur, incipit turbulentos motus experiri, cùm ſpiritus in arteriis membríſque incluſi, iis obturatis liberè vltrò citróque commeare nequeũt, & ſic terram ipſam tremulo ſuo tremitu cõcutiunt. Sed hæc opinio longè à veritate recedit.

Alij terram ipſam aſſignant tanquam cauſam motus, quem ſubit, cùm ſcilicet eius partes vetuſtate ſolutæ cadunt, & cadendo ſuperioribus terrorem adferunt.

Democritus cenſuit aquam pluuialem eſſe cauſam terræmotus, cùm terram ipſam ſubire, incipit & in eius cauernis tanta copia excipi, vt dum contineri non poteſt, vi & impetu repellatur, repulſáque tremorem in terra efficiat. Verùm hæ etiam opiniones minimè cum veritate conſentiunt.

Quare iure optimo ſequendus eſt Ariſteteles 2. Meteoror. cap 7. ſtatués terræmotum fieri ab exhalationibus calidis & ſiccis intra terræ viſcera incluſis & foras exire contendentibus: tum propter leuitatem illas ad ſublime concitantem, tum etiam propter maiorem extenſionem quàm quæ loco ita anguſto citra penetrationem dimenſionum cohiberi poſſit: nam tunc nimia illa exhalatio quaſi ſtrangulata vltrò citróque libertatem quæritat, nec tamen exitum reperit, anguſtias omnes dimouet; & dum clauſtra effringere & conuellere nititur, motum, tumultúmque facit, eo modo quo puluis tormentarius igne correptus ob nouam leuitatem & raritatem omnia cõmouere ſolet, quæ ipſi exitum tentanti videntur obſiſtere, & impedire ne ampliorem locum conſequatur.

Contingit etiã terræmotus, cùm exhalationes ſupradictæ in terræ viſceribus incluſæ, vt ſe à frigore defendant, huc & illud diffugiũt, terrámque feriũt & cõfringere conãtur, vt ſtatim exire & inimici frigoris impetũ euitare queãt.

Rogabis ſecundò quotuplex ſit terrę motus? Reſpondeo omnes poſſe ad duas ſpecies reuocari, authore Ariſtotele 2. Meteororum cap. 7. videlicet ad tremorem & pulſum.

Tremor dicitur, quando ſpiritus prę multitudine longè latéque terram peruadit, eámque non in profundum, ſed ad latera mouet, & modò ad hanc mo-

Digitized by Google

dò ad illam partem agitat. Pulſus verò vocatur, quando ex infimo terra concutitur, & ſurſum deorſum que iactatur exhalatione recta ad ſuperna contendente.

Rogabis tertiò quænam ſit cauſa efficiens terræmotus?

Reſpondeo illam eſſe multiplicem. Primò enim Deus terræmotum aliquādo inducit ob eam quam attulimus cauſam, vt ſcilicet peccatores terreat. Secunda cauſa poteſt aſſignari ipſe halitus in terræ viſceribus incluſus, qui quęrens exitum & non inueniens, poſt quàm huc & illuc excurrit, tandem terram magna vi & impetu quaſſat, quia efficit vt exhalatio incaleſcat, & maiorem raritatem acquirat, ob quam ampliorem locum poſtulans in terram impingit, illámque conuellere nititur. Ignis ſimiliter in terræ antris incluſus poteſt dici cauſa efficiens terræmotus, quia à nociua leuitate incitatus exire cupiens, terram obſtantem toto conatu commouet & infringere tentat.

Rogabis quartò, quí nam ſint terręmotus affectus? Reſpondeo primum & vniuerſaliſſimum eſſe timorem quem mortalibus incutit. Alios ſpeciales adiicio, ſonus ille perpetuo terræmotum comitatur, qui quidem ſonus eſt diuerſus pro diuerſitate materiæ impetū excipientis, & pro varia exhalationis copia, eo modo quo in hominibus ſonorum, vocumque differentię oriuntur ex varia gutturis & aſperæ arteriæ compoſitione, itémque ex magnitudine aëris qui emittitur. Vnde fertur ſonos magnos reddi, quando per amplos meatus ſpiritus exit; tenues, quando per anguſtos excurrit; terribiles, ſi per recuruos & vario flexu impeditos progrediatur; claros & perſpicuos, ſi lenes fuerint illi meatus quos penetrat; quidquid ſit, certum eſt diuerſos ſonos in terræmotu audiri, mugitum, murmur, clamorem, vlulatum, fremitum, & alios, qui omnes magnum timorem pariunt. Sequūtur alij effectus, deſtructio ædificiorum, timor, hiatus, arietatio, quando terra contrariis ictibus quatitur, nouorum montium excitatio, & alij innumeri, quorum exempla inueniri poſſunt apud Plin. l. 2. c. 83. Euſebium in Chronicis. Paulum Oroſium lib 2. hiſtoriæ cap. 4. & alios. Inter hos effectus terræmotus, is tacēdus non eſt qui contigit in morte Saluatoris apud D. Matth. cap 17. quando ſcilicet tota terra quaſſata & conuulſa eſt, ipſæque petræ ſciſſæ ſunt, infinitáque alia Aſiæ & Bythiniæ poſtrata, & ſolo æquata ſunt ædificia, vt narrat Phlegon Græcus hiſtoricus Aſiaticus & homo Ethnicus; hic enim ſcribit lib. 14. cap. 14. tunc pręter eclipſim incredibilem, quæ eodem Dominicę paſſionis die viſa, ingentem terrę motum extitiſſe quo ſupradicta Aſiæ & Bythiniæ ædificia funditus euerſa ſunt. De eodē terręmotu loquitur Plin. lib. 2. cap. 24. quo quidem motu terræ dicit vna nocte duodecim vrbes in Aſia poſtratas fuiſſe: nam aſſerit hunc motum contigiſſe Tiberio Imperatore, cùm tamen nullus alius memorabilis referatur ab illo qui moriente Chriſto Domino 13. anno Imperij Tiberij Cæſ. inuaſit.

Rogabis quintò, an non ſint quędam terræ motus ſigna & præſagia? Reſpōdeo eſſe multa, eáque præcipua, primū ſi in puteis aqua ebullire & aſcendere conſpiciatur, ſignum enim eſt flatum, qui eſt materia terræmotus, ex imo terram ſubire & aquam interpoſitam in ſublime efferre. Secundum eſt, ſi eadem aqua in puteis, nulla alia exiſtente cauſa, turbidior fiat, tetrúmque odorem efflet: etenim turbatio illa & odor oriūtur tantùm ex multa exhala-

tione

Digitized by Google

tione quæ ex cauernis conatur exire, in quo exitu terræ motum editura eſt. Tertium eſt intempeſtiua aëris tranquillitas, indicat enim multam exhalationem eſſe in terræ cauernis reclusam, quæ prope diem terram ipſam quaſſabit.

Rogabis poſtremò quandiu durent terræmotus? Reſpondeo plus, vel minus durare, prout maior vel minor eſt exhalationum copia, ſpiritúſque tardius aut citius conſumitur. Ex eadem cauſa petitur magnitudo terræmotus; ſcilicet ex magnitudine exhalationis terram agitantis, nec vllum definitum tempus, certáque magnitudo ipſius terræ motus poteſt aſſignari,

## SECTIO QVARTA.

*De Meteoris aqueis, ſeu quæ oriuntur vaporibus.*

CVm mare non ſit meteorum, ſed elementum, melius à nobis de illo eiúſque ſalſedine, & reciproco æſtu, inſtituta eſt diſputatio ſupra agendo de aqua, tantùm breuiter pecurremus alia aquea meteora.

### QVÆSTIO PRIMA,

*De nube & nebula.*

ROgabis primò quid ſit nubes? Reſpondeo, propriè illam eſſe magnã aliquam vaporum copiam ita condenſatam, vt cœlum nobis obumbret.

Rogabis ſecundò quo modo generetur nubes? Reſpondeo generari ex vaporibus vi Solis, vel alterius aſtri ad mediam aëris regionem eleuatis, ibique aduentitio calore depoſito à circunſtante frigore conſtipatis.

Rogabis tertiò quotuplex ſit nubes? Reſpondeo eſſe duplicem, alteram fœcundam in aquam diſſoluendam, alteram ſterilem, quæ non parit pluuiam, ſed in aëris naturam faceſſit, ſæpéque in ventos reſoluitur.

Rogabis quarto quinam ſint nubis colores? Reſpondeo tantum eſſe apparentes pro varia diſpoſitione nubis: ſi rarior ſit, alba apparet: ſi valde denſa & tetrica, vt vix lumen recipere poſſit, nigra: rubra denique cum mediocri lumine perfunditur: quod in ortu & occaſu Solis potiſſimùm euenire conſueuit.

Denique rogabis quid ſit nebula ſeu caligo? Reſpondeo eſſe vaporem moderatè denſum, in infima aëris regione exiſtentem: vel eſſe vaporem aliquem qui propter ſpiſſitudinem & craſſitiem in ſublime efferri nequiuit, ſed vicinum terris aërem occupauit nebuloſáque caligine circunfuſus eſt.

### QVÆSTIO SECVNDA.

*De Pluuia.*

ROgabis primò quid ſit pluuia? Reſpondeo, eius materiam eſſe triplicem: propinquam, ex qua ſit immediatè, & hæc eſt nubes virtute frigoris in aquæ guttulas ſoluta: remotam, ex qua proximè fit nubes, & mediante nube pluuia, & eſt vapor, qui addenſatus in media aëris regione in nubem concreſcit: & remotiſſimam, ex qua vapores extrahuntur, illáque eſt aqua, vt patet ex prædictis.

Rogabis ſecundò quotuplex ſit pluuia? Reſpondeo eſſe duplicem, ordinariam & extraordinariam. Ordinaria ex ſe patet, extraordinaria dicitur contingere, quando cum aquis, ranæ, piſciculi, ſanguis, lac, lapides, ferrum, & ſimilia decidunt, quæ ſcilicet à Deo immitantur, ſæpè tamen ob aliquam cauſam naturalem oriuntur: & quidem ranarum, piſciculorum & aliorum eiuſmodi animalium quę cum aquis decidunt, ortus refertur ad exhalationem pinguẽ, & viſcoſã vaporibus iunctam,



Digitized by Google

& diſpoſitam beneficio cœleſtis influxus ad formam iſtorum animalium ſuſcipiendam, quam ſtatim Deus ex pacto ſuo producit; quanquam & alij addunt ranas, & piſciculos non procreari in aere, ſed ex mari & fluuiis verticoſo ventorum flatu abripi: & in altum efferri, poſtmodum cum pluuia decidere.

Quod verò attinet ad lac, & ſanguinem, neque verum lac, neque verum ſanguinem admittunt, ſed ſolum adûbratum & ſpecie tenus, quando vapor extrahitur, vel ex aliquo loco talis facti colore imbuto, vel ex alio cruento ſucco aliquo madido.

De ferro & lapidibus aliquando cadentibus idem ſtatuendum, ſcilicet vel ex terra abigi & in altum efferri, poſtea decidere, vel in ſublimi generari vi & influxu cauſarum vniuerſalium.

Diuiditur præterea pluuia in imbrẽ, & nimbum Imber dicitur, cùm guttulæ minutiores ob vaporis tenuitatem defluunt. Nimbus verò, cùm guttæ grandiores decidunt, multis ſcilicet partibus vi vehementioris frigoris inter ſe conſtipatis.

Rogabis tertiò, quis ſit pluuię locus? Reſpondeo eundem eſſe cum loco nubium, cùm nihil aliud ſit pluuia quàm nubes in aquam ſoluta.

Rogabis vltimò, quæ ſint pluuiæ præſagia? Reſp. illa eſſe plurima. Primum ſi Sol exoriens maior quam ſoleat appareat. Secundum, ſi cæruleo quodam colore imbutus prodeat. Tertium, ſi Luna exorta nigrorem referat. Quartum ſi ſtellarum fulgor nulla intercurrente nube vel caligine obſcuretur; & alia propemodum infinita quæ legi poſſunt apud Plin. 18 naturalis hiſt. cap. 35. Virgil. ad calcem 1. lib Georgicor, Varronem & alios.

## QVÆSTIO QVARTA.

*De rore & pruina.*

Rogabis primò, quid ſit ros? Reſpondeo eſſe ſubtiliorem tenuioremque vaporem vi frigoris matutini in aquæ ſolutum.

Rogabis ſecundò, quænam aſſignari debeat efficiens cauſa roris? Reſpondeo generalem eſſe calorem & influxum cœleſtem ipſum vaporem, qui roris materia eſt, è terra euocantem; particularem verò eſſe frigus noctis vaporem in rorem cogens, ſi fuerit moderatum: & in pruinam agglutinans, ſi denſius fortiúſque extiterit.

Ex quo ſimul intelligis quidnam ſit pruina, nempe vapor ipſe, ex quo ros componitur ſed vehementiori frigore, magis compactus & addenſatus.

## QVÆSTIO QVARTA.

*De melle, manna & ſacchare.*

Secundum nonnullos mel nihil aliud eſt, quam ſyderum ſaliua, ſecundum alios cœli ſudor; & ſecundum alios aëris ſe purgantis ſuccus. Eius generatio ſic explicari poteſt, nonnunquam cum vaporibus extrahuntur exiliores quædam terræ partes, ex quarum cum humidis vaporibus commixtione, ille ſuccus perdulcis generatur, qui mellis nomine communiter donatur.

Simili modo oritur manna, quando vaporibus in altum elatis tenues quædam terræ partes miſcentur, tunc enim valdè excoquitur aquea humiditas, manéntque partes terræ cum exigua humiditate, ex quibus liquor aliquis melliti ſaporis efficitur qui in arborum ramis, herbis, lapidibus, & terra inuenitur, Hebraïcáque vel Syriaca lingua manna dicitur.

Difficultas quædam eſt de illo manna quod Hebræis in deſerto à Deo datum eſt, an fuerit eiuſdem rationis & naturæ cum manna communi quod naturaliter oritur. Negatiuam partem

Digitized by Google

præſentis quæſtionis tuentur nonnulli, plures tamen & ſaniores affirmatiuã ſuſtinent, ſicque confirmant, non eſt inducenda rerum diſtinctio ſine neceſſitate, atqui nulla eſt neceſſitas propter quam debeamus manna cælitus Hebræis datum ſpecie diſtinguere à manna communi & naturali, cùm manna naturale ſufficiens fuerit ad nutriẽdos in deſerto Hebręos

Obiicies, naturale & ſupernaturale ſpecie differunt. Sed manna quod Iſraëlitis in deſerto datum eſt, reuera ſupernaturale eſt, ergo ſpecie differt à manna naturali.

Diſtinguo maiorem, ſupernaturale, & naturale differunt ſpecie, ſi ſit ſupernaturale ſecundum naturam, vt gratiæ dona, fides, ſpes, charitas, concedo: ſi ſit verò ſupernaturale tantùm ſecundum modum, nego, ſi quidem viſus cæco à natiuitate reſtitutus eo modo eſt ſupernaturalis, nec tamen ſpecie differt à viſu quem aliis hominibus in ſuo ortu natura communicauit ad minorem dico manna conceſſum à Deo Iſraëlitis non fuiſſe aliter ſupernaturale quam quoad modum, quatenus vel immediatè à Deo creatum eſt, vel Angelorum miniſterio efformatum, ſiue ex communi materia, ſiue ex alia.

Rurſus obiicies, manna Hebręis datum à Deo panis vocatur Exod. 17. *Iſte eſt panis quem Dominus dedit vobis ad veſcendum.* Pſal. 77. *Panem Angelorum manducauit homo*: manna verò quod naturaliter oritur panis non vocatur, ergo ſpecie differunt.

Neganda eſt conſequentia, nam quod manna Hebræis datum panis vocetur, vel vſurpatur fuſè, nempe panis pro quolibet cibo, vel dicitur panis, quia vt conſtat ex 11. cap. Numerorum, ſolebant Hebræi ex manna in olla collecto torculos conficere, in quo ſenſu nihil vetat naturale manna appellari panem.

Saccharum denique creditur à nonnullis eſſe aliquid ex cœleſti rore concretum, ſed vſu & praxi medicorum refelluntur qui ſuis inſtrumentis ſaccharum è canis & arundinibus eliciũt ignéque ad moto ad candorem & ſpiſſitudinem, quam habet miro modo perducunt.

## QVÆSTIO QVINTA.

### De Niue.

Ex eadem materia ex qua pluuia fit nix ortum accipit, nempe ex aqua remotiſſimè, vel ex vaporibus remotè, & ex nube proximè. Verùm vt ex nube nix generetur, hoc vnum exigitur vt congeletur priuſquàm ſoluatur, congelatur autem præ nimia ſua frigiditate, iuuante etiam concretionem ſiccitate quarundam admixtorum exhalationum, quarum ſicca natura eſt.

Rogabis primò, vndenam candor niuis oriatur? Reſpondeo oriri ex partibus illis quæ magis ſunt aëreæ, nempé humidiores & tenuiores, ob quam etiam rationem aqua ſolet albeſcere interfuſo oleo, quod nempe oleum ſit aëreæ naturæ. Refertur etiam candor niuis ad eius frigiditatem, quæ pluribus in rebus candorem parit, vt ex eo patet, quod illi ſint candidiores qui frigidiores Zonas incolunt.

Rogabis ſecundò quænam ſint niuis præſagia: Reſpondeo illa eſſe præcipua primùm, ſi poſt Auſtrum ſtatim ſpiret Boreas, vnde verſiculus:

*Continuò ninget, Boream ſi prouocet Auſter.*

Huius rei cauſa eſt quòd ſpirãte Auſtro nubes calidæ ob admixtas exhalationes ducãtur ad Borealẽ partẽ, ibique cõcreſcãt vi Borealis venti, qui omniũ

ventorum frigidiſſimus eſt, & ita non reſoluantur in aquam, ſed in niuem. Secundum niuis ſignum eſt cùm albeſcente nube cœlum turbidum eſt, argumentum enim eſt frigiditatis aduentu nubem non in aquam, ſed in niuem breui reſoluendam.

Tertium eſt, cùm eodem tempore ventos ceſſare in infima aëris regione experimur; ſignum enim eſt cauſam efficientem niuis non deeſſe, nempe frigus, quod ſua præſentia calidam exhalationem eiecit à media aëris regione, nubémque facilè coget, & addenſabit, quantum ſatis ſit ad niuis procreationem.

## QVÆSTIO SEXTA.

### De Grandine.

GRandinis materia alia eſt proxima nempè pluuia, quę priuſquam ad terram deferatur, in gelu concreſcit: alia remota, nempè nubes in pluuiam primò, tum in grandinem ſoluenda: alia adhuc remotior, ſcilicet vapor ex quo nubes componitur: alia demum remotiſſima, nempe aqua, quæ de ſuo vaporem exhibet.

Rogabis tempus quo frequentius generatur grando? Reſpondeo nullum eſſe ad hoc tempus definitum, ſed indiſcriminatim, vere, æſtate, autumno & hyeme decidere, propriũ tamen tẽpus eſſe illud in quo vel viget frigus magnum, vel ingens ęſtus premit, nam aliquando eleuatur in ſublime ſpiratio quædam parum calida in non tam denſam calidámque nubem coacta, ad quam addenſandam quantum ſit ſatis ad grandinis procreationem frigus plurimum momenti habet, aliquando verò eleuatur ſpiratio quædam frigida & in nubem concreſcit, ſoluitúrque in imbrem, & tunc ad grãdinis generationem ęſtus ſeu calor aëris circumfuſi plurimum refert qui imbrem per antiperiſtaſim refrigeret & cogat ſufficienter vt ex illo ſtatim generetur grando.

## QVÆSTIO SEPTIMA. ET POSTREMA.

### De Glacie.

GLacies nihil aliud eſt quàm aqua congelata, & frigore conſtipata ob admixtas exhalationes quaſdam terrenas. Expreſſe dico ob admixtas exhalationes terrenas; quia cùm terra ſit denſa & ſicca, exhalationes illæ terreſtres ad ſuum ſtatum reuocatæ multum iuuant concretionem & congelationem aquarum, imò ad illam neceſſariæ ſunt, nec ſufficit ſola frigoris efficientia; alioquin aqua in ſtatu ſuo naturali frigidiſſima, in eo ſtatu congelata eſſet & non fluida, quod nemo dixerit. Adde quod aqua humida ſit, ideóque ex ſe obluctetur duritiei & concretioni cùm humidum in ſuo termino ſemper fluat, acproinde in gelu non concreſcat, niſi ob alicuius admixtionem quod concretionem iuuat, cuiuſmodi eſt terrena exhalatio.

Vbi notandum id quod de glacie diximus, de niue & grandine etiam intelligi, ea ſcilicet non ſolùm ex aqua pluuiali generari ſola frigoris efficientia, ſed etiam ob terreſtres quaſdam exhalationes admixtas quæ propter ſiccitatem concretionem adiuuant.

Rogabis num etiam marina aqua geláſcere poſſit? Reſpondeo affirmatiuè contra Plutarchum, in lib. de cauſis naturalibus: cap. 8. traditio enim communis eſt dari aliquod mare congelatum, & perpetuò frigore induratum. Id aſſerit Pomponius Mela; lib. de ſitu orbis, de quibuſdam maris lateribus quæ perenni gelu conſtringuntur. Beda etiam lib. de natura rerum affirmat dari aliquod mare verſus

Boream in gelu concretū, ſimiliáque habent alij. Fauet præterea ratio vbi poſſunt eſſe frigus & terreſtres exhalationes, ibi poteſt dari gelu, hæc enim duo gelu cauſa ſunt: atqui ſaltem in pluribus maris partibus poſſunt hæc duo reperiri, nempè frigus, ſiue natiuum, ſiue aduentitium, & nonnullæ terreſtres exhalationes illuc adductæ, ergo, &c. Expreſsè dico in quibuſdam maris partibus, alij enim sūt maris tractus perpetuò æſtu flagrantes, alij ita frigidi, nempe ſub polis, vt ad eos nullæ perduci queant terreſtres exhalationes quæ natura ſua ſunt calidæ: & has aquas nullo gelu conſtringi probabile eſt, quia nunquam ſufficiens frigus coniunctum cum terreſtribus exhalationibus in illis reperitur, ſed vel perpetuus calor vim totam contrarij frigoris perimit, vt ſub æquatore, vel tantùm frigus viget, vt nullas terreſtres exhalationes ſecum patiatur, videlicet ſub polis.

Hæc de mixtis imperfectis.

# RAMVLVS TERTIVS ET POSTREMVS.

## DE MIXTO PERFECTO.

### *Diſputatiuncula de Mixto perfecto inanimato.*

QVID nomine mixti inanimati perfecti ſignificetur ſatis ſignificatum eſt: de eius quoque eſſentia, & exiſtentia nihil occurrit peculiari expoſitione dignum quod ex dicendis euidēter innoteſcere nequeat, quare opuſtātùm erit quædam de metallis, lapidibus, aliiſque mixtis perfectis inanimatis breuiter explicare.

## SECTIO PRIMA.

### *De Metallis.*

FAſtidioſum eſſet ſigillatim recenſere omnes de metallorum natura sētentias. Tres potiſſimæ occurrunt. Prima eſt Alberti Magni in opere de mineralibus, materiam metallorum eſſe humorem aliquem pinguem: cuius rei indicium eſſe ait: quod dum metalla igne liqueſcunt in eiuſmodi humorem pinguem fluidum abeant. Secunda eſt Alchimiſtarum, argentum viuum & ſulphur, eſſe ipſam materiam metallorum. Tertia veriſſima ſententia eſt Ariſtotelis & noſtra, metallorum materiam non eſſe ſolùm humorem pinguem, ſed eſſe halitum aliquem ex vaporibus, & exhalationibus mixtum intra terræ viſcera concluſum, & ob ipſius terræ lapidúmque ſiccitatem ac frigiditatem coagulatum.

Fundamentum huius ſententiæ illud eſt: ſi materia metallorum quæ in ſublimi generantur (qualia multa eſſe diximus agendo de pluuia) ſit vapor admixtus exhalationibus, eadem ratione halitus compoſitus ex vapore & exhalatione debebit eſſe materia metallorum, quæ in terrę viſceribus procreantur, atqui verum eſt priùs ſecundùm omnes ferè Philoſophos, ergo & poſterius. Confirmatur, ex eò quòd metalla in humorem pinguem ſoluantur, dum igne liqueſcunt benè infert Albertus Magnus iſtum humorem ſeu vaporem eſſe materiam metallorum, ergo ex eo quod igneſcant, iure arguitur illis ineſſe aliquam ſiccam exhalationem, proindéque metallorum materia non erit tantùm humor pinguis, aut argentum viuum, aut ſulfur, ſed

ſoluuntur, vt plumbum.

## SECTIO SECVNDA.

*De Lapidibus, & quibuſdam alijs mixtis perfectis inanimatis.*

Rogabis primò quænam ſit lapidum materia? Reſpondeo pariter eſſe halitum ex vaporibus & exhalationibus mixtum, vt in metallis, cum hoc tamen diſcrimine, quod in metallis halitus non debeat admittere plus exhalationis quàm vaporis. In lapidibus verò è contra ſemper prævaleant & prædominētur exhalationes: ſunt enim lapides ſicciſſimi, ita vt vix ac ne vix quidem liqueſcant ſicut metalla, ideóque illorum materia, ſeu halitus, plus de exhalationibus quàm vaporibus participare debet.

Rogabis ſecundò quę ſit cauſa efficiens lapidum?

Reſpondeo, eandem eſſe ac metallorum, ſcilicet aſtra, Solem potiſſimum, itémque Deum vicem vniuocæ cauſæ ſupplentem, & ipſam ſubſtantialem lapidis formam producentem, ſi de cauſa principali agamus, necnon etiam frigus halitum in lapidem cogens, ſi de inſtrumentaria ſermo inſtituatur.

Rogabis 3. quot ſint lapidum genera? Reſpondeo eſſe varia: primúmque diuidi poſſe lapidem in pretioſum ſeu gemmam, & non pretioſum. Rurſus lapidem pretioſum varias ſub ſe ſpecies comprehendere. Adamantem, Smaragdum, Hyacinthum, &c. non pretioſum quoque lapidem in plures ſpecies diſtribui in eum qui communi nomine vocatur lapis, marmor, &c.

Præter perfecta mixta inanimata quædam alia adiunguntur, vt ſulphur, ſal, bitumen, arborum fructus ex ipſis ſeparari, quorum omnium naturam curioſius indagare nec noſtri otij, nec huius loci eſt.

Hæc de Mixtis perfectis inanimatis.

# TRACTATVS EXQVISITISSIMVS,

*De corpore Animato, ſeu de Anima.*

## PRÆFATIO.

PRæclare admodum D. Bernardus de interiori domo: *Præcipuum & principale ſpeculum ad videndum Deum, eſt animus rationalis intuens ſeipſum.* Intueor me, intueor te, aiebat alius. Pręclarè vterque, quòd verè humanus ſit expreſſa diuinitatis imago totiúſque ſacratiſſimæ Triadis effigies, vniuerſam mundi fabricam Deus in cœlo manens moderatur: animus in capite, velut in arce præcipuè reſidens, totam hominis (qui paruus mundus dicitur) Rempub. ſuo continet imperio. Ibi funiculus triplex difficilè rumpitur memoriæ, intellectus & voluntatis; & hic nobis altiſſimum trium perſonarum in vna diuinitate nexum, indiſſolubilem funiculum repræſentat: memoria Patrem, intellectus Filium, & voluntas Spiritum ſanctum. Quod plura; Animus eſt horizon æternitatis & temporis, incorporeæque, & corporalis naturæ nexus & confinium, inquit ter ille maximus Mercurius:

Digitized by Google

*Animus eſt diuinæ originis hauſtus, cui nec ſenectus vlla, nec mors oneroſi corporis: vinculis perſolutus ad ſedes ſuas, cognata ſidera, recurret*, inquit magnus ille Seneca in Suaſoria ſexta. Quid igitur tui oblitus aliena quæris? Egregia ſanè aſtrorum cœlorúmque cognitio longè tamen & præſtantior, & vtilior tibi tui ipſius contemplatio: vt cùm leonis inſtar tu te in te ipſo velut in limpidiſſimo fonte videris, mundum & diabolum, quos tu cæcus ſequeris diſcas non ſpernere modo, ſed audenti animo propulſare: & ad diuina æternáque cõtendere. Si cui ergo philoſophię noſtræ parti, huic maximè ſtudendum eſt, in qua explicanda cygnum imitabor qui morti propinquus dulcius canit, ſic enim ego phyſicæ profeſſioni, ſtudioſis verò philoſophiæ nunquam moriens omnes induſtriæ neruos intendã. vt hæc poſtrema noſtra cantilena dulcior & ſuauior appareat, digniſſimóque philoſophiæ operi digniſſimum faſtigium imponatur. Priuſquam autem ad rem ipſam ſeriò veniamus, quędam dubia procemialia breuiter ac perſpicuè explicanda ſunt, an ſit phyſici de anima diſputare, alterum an de ea ſcientia haberi poſſit.

Quod ad primum attinet conſtans eſt omnium ſententia tractationem animæ vegetantis, & ſentientis eſſe phyſici negotij, quia cùm illæ ſint omnino materiales, & ex ipſo materiæ ſinu enocentur, ad eum artificem ſpectat de illis agere, cui incumbit de materia diſputare & ille eſt phyſicus.

Difficultas tantùm eſt de anima rationali, quæ quia ſpiritalis eſt, & minimè immerſa materiæ, à quibuſdam refertur ad Metaphyſicam, cuius eſt agere de omni ente, non tantum in communi, ſeu ſecundum gradus entis, ſubſtantiæ, & accidentis, ſed ſecundum ſpeciales entium immaterialium rationes. Ita cenſent Simplicius. & Philoponus: è contra verò Ariſtoteles tres de anima libros inſtituens in opere ſuò phyſico ſatis innuit animam eſſe phyſicæ conſiderationis, etiam rationalem, cùm totus liber tertius in eius explicatione inſumatur. Ariſtotelem ſequuntur omnes feré interpretes, quorum ſententiæ ſubſcribentes, vnicam ſtatuimus propoſitionem.

*Propoſitio vnica.*

ANima rationalis ſecundum multos gradus ad Metaphyſicam attinet, non tamen ſecundum omnes, ſeu prout eſt forma corporis, ſed ſic omnino phyſica eſt. Hæc propoſitio duplici parte conſtat, quàm commodè probabimus, ſi hoc prius præſuppoſuerimus, animam ſcilicet præter gradus tranſcendentales entis, duos alios ſpeciales ſeu inferiores includere; & quod ex ſe ſit ſpiritalis, & quod ſit forma corporis. Si ſpectetur ſecundùm priores gradus, nempe tranſcendentales, ſine controuerſia eſt ad Metaphyſicam pertinere.

Si verò ſpectetur anima rationalis prout eſt forma corporis, debet procul dubio ad Phyſicam reuocari tum quia ſic aliquo pacto eſt materialis, ſcilicet per ordinem eſſentialem quem habet ad materiam, proindéque ad eã ſcientiam pertinet quæ agit de materia, & phyſica eſt, tum quia eſt eiuſdem artificis de partibus agere, & de toto; cùm totius notitia haberi non poſſit incognitis partibus, ideóque cum phyſicus agat de toto homine, debet quoque agere de illius partibus, corpore nempe & anima rationali

Quod attinet ad ſecundum dubium an de anima ſcientia haberi poſſit, communis ſententia affirmat, claréque probatur. Variæ proprietates animæ & effectus

fectus in ſenſus incurrunt, quæ nos in certam eius notitiam ducere poſſunt, vt quod accreſcere, nutrire, generare, intelligere & velle, nos ipſos cognoſcamus: ergo de anima ſcientia haberi poteſt, & ea de cauſa ſermonem inſtituit Ariſtoteles

Obiicies; effectus animæ rationalis ſunt ſpiritales, ſicut & ipſa anima, ergo non incurrunt in ſenſus, proindéque ex illis nulla ſcientia de anima comparari poteſt.

Diſtinguo conſequentiam, ergo effectus animæ non incurrunt in ſenſus, per ſe concedo, per aliud, nego: ad alteram conſeqnentiam, ergo ex illis de anima non poteſt comparari ſcientia ſimpliciter, negandum eſt: nam imprimis qui intelligit, & vult, qui ſunt effectus animæ rationalis, ſatis animaduertit ſe intelligere ac velle, etiam ſi intellectio & volitio per ſe non ſubiaceant ſenſibus, reſpectu verò aliorum anima ſuos effectus, intellectionem & volitionem, oſtendit, beneficio ſermonis exterioris.

Rurſus obiicies, ſi anima humana ſeipſam intelligeret ſimul ageret & pateretur, intelligeret & intelligeretur: atqui hoc eſt abſurdum, ergo & illud Minor eſt neganda, non eſt enim abſurdum aliquid agere & pati, diuerſo reſpectu; ſicut homo ſeipſum in ſpeculo intuens, & agit intuendo, & patitur, quatenus eſt id quod in ſpeculo videtur.

## DISPVTATIO PRIMA.

*De anima in communi.*

### SECTIO PRIMA

*De nomine & varia acceptione Animæ.*

NOmine animæ intelligitur ſine dubio forma illa quæ vitam impertit, éſtque principium vitalium operationum, vt nutritionis in plantis, ſenſationis in animalibus, & ratiocinationis in hominibus. Duobus autem modis apud multos accipitur, primo lata ſignificatione pro omni forma, ſiue informante, ſiue aſſiſtente, quo ſenſu qui exiſtimant cœleſtes orbes ab Angelis torqueri, ipſos Angelos cœlorum mentes & animas appellant: ſecundò accipitur ſtricta & propria ſignificatione pro ſola forma informante corpus animatum, & pro interno principio vitalium operationum, quæ in plantis, belluis, & hominibus apparent, & de anima hoc poſteriori modo ſumpta perpetuò agemus.

### SECTIO SECVNDA.

*De exiſtentia Animæ, an ſit, & quotuplex, vbi ex occaſione de numero animarum & facultatum*

GAlenus iiſdem inſiſtens principiis animam vnà cum aliis formis ſubſtantialibus ſuſtulit, ſolam qualitatum temperiem ſtatuens pro forma ſubſtãtiali cuiúſque rei, ſed illius error iam confutatus eſt. Quapropter certiſſimum manet dari de facto animam, facilèque

Probatur: datur in viuentibus forma ſubſtantialis, quâ eſſentialiter conſtituantur, & à non viuentibus diſtinguantur, ergo datur anima, quia præter illam in viuentibus nulla alia poteſt aſſignari ſubſtantialis forma.

Quotuplex verò illa ſit non ita conſtat Communis tamen ſententia eſt dari triplicem animam, vegetatiuam, ſenſitiuam & rationalem, colligitúrque hic numerus ex triplici modo quo anima operatur, ſupra formas rerum inanimatarum, hoc modo: res inanimatæ nec viuunt per alimentum intus ſuſceptum, nec augeſcunt conuerſione ſubſtantiæ alimentariæ in ſuam ſubſtantiam, ſed appoſitione partis materiæ ad partem, nec ſobolem emiſſo ſemine procreant, vt patet in lapidi-

bus: anima verò, vel potius res animata per animam vegetantem habet quod nutriatur, per alimentum intus ſuſceptum, & per eius conuerſionem in ſuam ſubſtantiam, exhibitóque ſemine prolem gignat: en prima anima, nempe vegetatiua. Rurſus res inanimatæ ſenſu tam interno quàm externo carent, tantúmque operantur mediis ſenſibilibus qualitatibus; animalia verò per ſuam animam ſenſitiuam ſupra illas eleuantur: quia licet habeant operationes materiales, & receptas in organo corporeo, viſionem ſcilicet, auditionem, & alias, illæ tamen non fiunt per ſenſibiles qualitates ſed per ſpecies intentionales, ſeu imagines obiectorum: quia, vt dicetur infrà naturam rerum ſpiritalium non parum æmulantur, & hoc modo ſecunda anima, nempè ſenſitiua elicitur. Denique res inanimatæ omnes habent tantum operationes materiales, & in organo corporeo receptas, homo verò per animam ſuam rationalem continet operationes, & in ſe immateriales, & in ſubiectis immaterialibus receptas, vt ſunt intellectio & volitio quæ reuera ſunt ſpiritales, & in ſpiritalibus ſubiectis, intellectu, & voluntate ſuſcipiuntur, & hinc tertia nobiliſſimáque anima ſumitur, videlicet rationalis, proindéque triplex datur illa anima ſuperius aſſignata, vegetatiua, ſenſitiua, & rationali.

Quæres cùm anima diuiditur in vegetantem, ſenſitiuam, & rationalem, an in illas diuidatur tanquam in ſpecies interiectas, an tanquam in ſpecies infimas.

Reſpondeo diuidi in ſpecies interiectas, & ſpeciem infimam: in ſpecies interiectas ratione vegetatiuæ, & ſenſitiuę, quæ pro diuerſis plantarum & animalium ſpeciebus in varias ſpecie animas diſtribuitur, in ſpeciem verò infimam, ratione animæ rationalis, quæ vna ſpecie diuiditur in omnes animas rationales ſolo numero differētes. Cōtra hunc ternariū numerum animarum, Obiicies primò animam vegetantem in ſenſitiua includi, & vtramque in rationali, ergo non eſſe triplicem animam.

Verùm huius obiectionis ſolutio patet ex dictis de forma, gradum videlicet vegetatiuum in ſenſitiuo, & ſenſitiuum in rationali includi, non tamen animam vegetantem in ſenſitiua, & ſenſitiuam in rationali, quia anima vegetans non dicit tantum vegetare ſed vegetare ſine ſenſu, quod non conuenit rebus ſentientibus; nec item anima ſenſitiua dicit tantùm, ſentire ſed ſentire ſine ratione, quod rationalibus hominibus competere nequit: ideóque ſemper, manet triplex illa anima ſuperiùs aſſignata.

Secundò obiicies, tot ſunt animarū genera quot animatorum, quia animatum per animam conſtituitur: atqui ſunt quatuor animatorum genera, ergo & animarum. Probatur minor, aliud eſt animatorum genus, quod tantùm complectitur ea quæ facultates vegetatiuas, nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam habet, vt plantæ aliud eſt quod ea tantum in ſuo ambitu comprehendit, quæ vim appetendi & ſentiendi ſortiuntur, carent tamen potentia loco motiua (ſupple motu progreſſionis) vt ſpongiæ marinæ, conchyliis, ſimiliáque alia mediæ naturæ inter plantas & communia animalia: tertium genus ea continet quę præter vegetatiuas facultates, & potentias ſentiendi, & appetendi, virtutem loco motiuam participant, vt reliqua animalia: poſtremum denique genus ſuo complexu ea coërcet, quæ &

555.

vegetatiuis, appetendi, ſentiendi, & locomouẽdi facultatibus inſtruuntur; & vltra vim ratiocinandi intelligẽdiq; ſortiuntur, & huius tantũ generis ſunt homines; ex his itaque manifeſtum eſt quatuor eſſe animatorum genera?

Reſpondeo ad maiorem, tot eſſe animarum genera quot animatorum, ſi accipiantur ſecundum gradus eſſentiales, quomodo ſunt tria animatorũ, ſicut animarum genera, vt benè oſtendit obiectio: non tamen ſi ſpectentur ſecundum ſeparabiles qualitates quæ quatuor ſunt, vegetatiua, ab anima vegetante ſumpta, & plantam conſtituit: ſenſitiua, quæ aliquo modo ſeparatur à locomotiua, & ab anima ſenſitiua deſumitur; facítque animatum ſentiens: locomotiua pariter ex anima ſenſitiua petita, & conſtituit locomotiuum: & ratiocinatiua ex anima rationali deſumpta quæ animatum rationale, ſeu hominem, conſtituit. Vnde duo genera animatorum ſecundum proprietates ſeparabiles ex eadem anima ſenſitiua petuntur. Pari ratione licet quinque facultates animæ ſint, vegetatiua, ſenſitiua, appetitiua, locomotiua, & rationalis, non tamen conſtituuntur quinque animatorum genera; ſed quatuor tantùm, quia duę illarum, ſenſitiua, & appetitiua nõ ſunt ſeparabiles, ita vt vna ſine alia eſſe nequeat; ſed tantùm quatuor illæ ſupra aſſignatæ, vegetatiua, &c.

Notandum hîc breuiter, proprietates illas eſſe tantum ſeparabiles quando ignobiliores & communiores conferuntur cum nobilioribus, & minus communibus, verbi gratia, vegetatiua cum ſenſitiuã, ſenſitiua cum locomotiua, locomotiua cum rationali, quia in plantis reperitur vegetatiua facultas ſine aliis, in quibuſdam animalibus ſenſitiua ſine locomotiua, loco motiua ſine rationali, non autem dici ſeparabiles, ſi minus communes, & nobiliores cum communioribus & ignobilioribus cõferãtur, quia ſẽper nobilior ſupponit ignobiliorẽ rationalis, ſenſitiuã, ſenſitiua vegetatiuam, & ſic de aliis.

## SECTIO TERTIA.

*De eſſentia animæ.*

### QVÆSTIO PRIMA,

*De priori Animæ definitione.*

DVplex animæ definitio legitur apud Ariſtotelem: prior de qua hac quæſtione agimus habetur ſecundo de anima cap. 10. *Anima eſt actus primus ſubſtantialis corporis naturalis organici poteſtate vitam habentis.* Dicitur primò actus Grecè ἐντελέχεια nouo & ab Ariſtotele inuento vocabulo, qui cùm ſit pars eſſentialis corporis naturalis, nec tamen potentia, ſeu materia, debet neceſſariò eſſe actus ſeu forma.

Sed circa hanc particulam variæ dubitationes occurrunt; prima an eſſe actum corporis animæ eſſentialiter cõueniat? an verò tantùm accidentariò, ſeu an anima ſit eſſentialiter actus corporis, illúdque eſſentialiter reſpiciat, ſicut materia formam, an verò tantum accidentariò. Hoc poſterius defendit Scotus in 2. diſt. 2. quæſt. 6.

Contrarium verò maiori cum probabilitate tuetur doctor Angelicus prima parte q. 6. art. 5. cuius ſententiam hac ratione probamus; omnis forma habet ordinem eſſentialem ad materiam informandam non minus, quàm materia ad formam ſuſcipiendã, vt docuimus agendo de materia, & ex eo patet quod forma ideo tantum forma dicatur, quia debet informare materiam quod ſine reſpectu ad ipſã materiam intelligi non poteſt; atqui ex dictis anima eſt eſſentialiter forma corporis: ergo, &c.



Digitized by Google

Obiicies primo pro Scoto, nulla relatio conuenit eſſentialiter animæ, ſed eſſe actum corporis eſt relatio quędam ad corpus: ergo eſſe actum corporis non conuenit eſſentialiter animæ. Probatur maior, primò nullum accidens, eſſentialiter ſubſtantiæ conuenit, ſed omnis relatio eſt accidens anima verò ſubſtantia, vt contra Galenum ſtatim probabitur, ergo nulla relatio animæ cõuenire poteſt eſſentialiter. Probatur ſecundò quod conſequitur aliquid accidentarium animæ, illi tantùm accidentariò & non eſſentialiter conuenit: atqui omnis relatio animæ ad corpus conſequitur aliquid accidentarium animæ nempe actualem informationem corporis, ergo illi per accidens tantum & non eſſentialiter dicitur competere.

Neganda maior, & ad primam eius probationem minor neganda eſt, ſi quidem dantur aliquæ tranſcendentales relationes rebus eſſentiales, & accidentales in rebus accidentalibus, quales ſunt relationes materiæ ad formam & formæ ad materiam, creaturę ad Deum, potentiarum & habituum actus & obiecti, aliæque ſimiles. Ad ſecundam probationem pariter minor neganda eſt, cuius ratio hęc oſtẽditur, quod reſpectu animæ eſſentialis ad corpus conſequantur tantum aptitudine corporis informationem, quæ ipſi animæ eſt eſſentialis, non autem actualem, quæ illi eſt accidentaria; ſicut ordo eſſentialis materiæ ad formas fundatur tantum in aptitudinali eſſentialique eius poteſtate ad recipiendas formas, non in actuali eorum ſuſceptione quæ illi accidentaria eſt.

Secunda dubitatio eſt an anima dicatur eſſentialiter actus corporis totius, an verò tantùm partis alicuius: Præter eos qui dixerunt tres eſſe in homine animas, vegetantem, ſentientem & rationalem, quos agendo de forma acriter reprehendimus, alij, vt Cardanus apud Scaligerum exercitatione 107. cap. 9. poſt Albertum Magnum 2. de anima cap. 14. tract. 7. arbitrati ſunt animam ſubſtantialiter tantùm eſſe in vna parte, in aliis verò partibus duntaxat ſecundum vires, & potentias, eo modo quo Rex dicitur eſſe in toto regno, licet ſecundum ſubſtantiam ſit tantum in vnica vrbe. Neque verò authores iſti ſatis inter ſe conueniunt, ſed adhuc diuiduntur, alii enim animam in capite, vt in arce collocant, alii in corde ſtatuunt, quòd ea forte de cauſa vitæ fons & principium dictum eſt: ſed illis omnibus in aſſequenda huius rei veritate palmam præripiet D. Thomas 2. contra gentes cap. 9. ſtatuens animam non eſſe actum vnius tantùm partis, putà cerebri vel cordis, vel alterius eiuſmodi, ſed totius corporis omniúmque illarum partium in quibus apparent vitales quædam operationes, vt ſunt viſio, auditio, & ſimiles.

Probatur hæc ſententia anima eſt actus corporis organici, id eſt, variis organis inſtructi, vt patet ex eius definitione, ergo actus eſt totius corporis, & non vnius tantum partis, quia varius ille organorum apparatus non ex vna tantum parte, ſed ex variis corporis partibus conſurgit.

Probatur ſecundò, vbi anima operatur, illic eſt, quia facultates eius ſine ipſa operari non poſſunt: ſed anima non tantùm operatur in vna corporis parte, cerebro verbi gratia, vel corde, ſed in omnibus in quibus vitæ operationes cernuntur: ergò, &c.

Denique, ſi anima non eſſet in ſingulis corporis partibus, ſingulæ partes ſingulas formas poſtularent, ſed conſe-

Digitized by Google

quens eſt falſum, quia viuens non eſſet vnum per ſe, ſed per aggregationem multarum formarum quod nemo dixerit, ergo, &c.

Notandum verò eſt diligenter, quãdo dicimus animam eſſe per omnes corporis partes diffuſam, nec in vna tantum parte ſubſtantialiter reſidere, id intelligendum eſſe ſecundum naturalem viuentis conſtitutionem; quando enim corrumpitur, & moritur, anima prius quaſdam partes deſerit quàm alias, & vltimo in corde mori dicitur; ſicque non exiſtit in omnibus corporis partibus.

Obiicies primò, ſi anima ſẽſitiua, verbi gratia, ſit inqualibet parte animalis ſubſtantialiter; qualibet pars diceretur animal, & ſic digitus erit animal, quod eſt falſum: ergo, &c.

Maior neganda eſt, non enim animal dicitur à ſola exiſtentia animæ ſẽtientis in aliqua corporis parte; ſed ab exiſtentia eiuſdem in omnibus partibus organicis.

Obiicies ſecundò, anima non eſt ſine ſuis facultatibus: ergo vbicumque eſt, debet habere ſuas facultates; ſed non habet illas in omnibus corporis partibus, aliàs audiret in pede, videret in manu ergo, &c.

Vt huic obiectioni reſpondeam: Notandum eſt alias eſſe animæ facultates, quæ ab ipſa ſolùm in conſeruari dependent, eámque etiam extra corpus cõſequuntur, vt ſunt intellectus, voluntas & memoria intellectiua; alias eſſe à toto compoſito ex anima & corpore, in eſſe & conſeruari dependentes, vt ſunt omnes facultates vegetatiuæ, nutritiua, augmentatiua, & generatiua, omnéſque ſenſitiuæ, viſus, appetitus, & ſimiles. Si ſermo ſit de prioribus animæ facultatibus, de illis reſpondeo eſſe verum antecedens obiectionis propoſitæ, nempe eas eſſe cum anima, vbicumque exiſtit; & ſic intellectum, voluntatem, & memoriam intellectiuã æquè reſidere in manu, & pede ſecundum ſubſtantiam, ac in capite: nec tamen hominem propterea in pede, vel manu intelligere, velle, & recordari, ſicut in capite, quia non ſunt in illis partibus organa, ſicut in capite, quæ traducantur per rerum ſpecies ad intellectum, vt eliciat intellectionem, & conſequenter fiant actiones voluntatis & memoriæ intellectiuæ.

Si verò ſermo ſit de facultatibus animæ poſterioris generis, quæ ſcilicet à toto compoſito, & non à ſola anima dependent? Reſpondeo negãdo antecedens animam videlicet nunquam eſſe ſine illis facultatibus. Ratio eſt, quia licet eas ex ſinu ſuo profundat, nunquam tamen ipſas poteſt niſi in materia benè diſpoſita effundere, & in certis quibuſdam partibus organicis quæ ad eas facultates ſuſcipiendas ſunt bene diſpoſitæ, vt eſt oculus ad recipiendam videndi facultatem, aures ad vim audiendi obtinendam & ſic de aliis, non autem in omnibus indifferenter: quare non eſt mirum ſi nõ in omnibus corporis partibus, ſed in certis quibuſdam certæ fiant operationes.

Poſtrema dubitatio eſt, quænam corporis partes ſint animatę, & quarũ anima dicitur actus: Sed huius dubitationis perfecta ſolutio dabitur, cùm partium corporis diuiſionem, tum earum explicationem, tum denique vt de illis omnibus feremus iudicium, ſint ne animatæ necne, quæ omnia ad finem huius operis reiicimus.

Secunda particula huius definitionis eſt, primus, circa quam quæritur, an verò anima dicatur actus primus?

Reſpondeo affirm. proboque ex di-



Digitized by Google

niſione actus: actus alius eſt primus ſimpliciter, qui nullum preſupponit, ſed à quo omnes alij originem trahunt: alius ſimpliciter ſecundus, qui à primo manat, nulliúſque principium eſſe poteſt, vt ipſamet agentis operatio, v. g. intellectio; alius denique medius, qui diuerſa comparatione, nunc primus, nunc ſecundus dici ſolet, vt facultates naturales, quæ reſpectu ſuarum operationum ſunt actus primi: reſpectu verò formarum à quibus manant, ſecundi. Iam quod neque anima ſit actus ſimpliciter ſecundus vel medius, ex diuerſo reſpectu primus & ſecundus, ſatis notũ eſt, quia neque eſt operatio, neque facultas quædã naturalis, ſeu accidens ſubſtantiæ adiunctum. Quare relinquitur vt ſit actus ſimpliciter primus, ac proinde ſubſtantialis, quæ eſt tertia particula huius definitionis, cùm ſola forma ſubſtantialis ſit actus ſimpliciter primus, à quo facultates naturales proximè, & operationes remotè proficiſcuntur.

Quarta particula adiungitur, *corporis naturalis*, circa quã dubitatur, quid per corpus naturale in hac definitione intelligatũ. Argentinas in 2. diſt. 13. q. 4. art. 2. Gregorius Ariminenſis in ſecundum diſt. 16. q. 2. alijque moderni per corpus naturale intelligũt ſolam materiam primam, diſpoſitionibus affectam, ad animę receptioné, alij verò, quorum meminit D. Thomas in 2. diſt. 26. q. 1. a. 1. intelligũt totum compoſitum ex materia & forma.

Nos concludimus per corpus naturale vtrumque poſſe intelligi, ſi quidé anima & eſt actus materiæ ad eam ſuſcipiendam diſpoſitæ, & totius ſimul: materiæ quidem, tanquam ſubiecti informationis; totius verò compoſiti, tanquam ſubiecti denominationis: ſicut quantitas dicitur quidem eſſe actus materiæ, tanquam ſubiecti inhæſionis; totius verò compoſiti, tanquam ſubiecti denominationis, vt agendo de materia declaratum fuit.

Quinta noſtræ definitionis particula eſt, *organici*, id eſt, variis partibus heterogeneis, & diſſimilaribus conſtantis, certámque figuram & qualitatum temperiem obtinentis; vt ſunt in animali, oculi, nares, lingua, & in arboribus radices, quibus tanquam ore ſuccum & alimentum capiunt, & ad ſe trahunt, fibræ, quæ venarũ vice fungũtur, aliæque partes quæ præſcripta ſibi munera exequuntur, ſimúlque & toti famulantur, & mutuam ſibi præſtant operam.

Porrò cum dicitur anima actus corporis organici; diſtinguitur à formis rerum inanimatarum, quæ corporum organicorum actus dici nequeunt, cùm in ipſis rebus inanimatis nulla deprehendantur organa.

Obiicies, ſubiectum, cuius anima dicitur actus, ipſa anima prius eſſe debet: ſed corpus organicum non eſt prius anima, imò poſterius, ergo anima malè dicta eſt actus corporis organici. Probatur minor, quod animam præſupponit ipſa poſterius eſt: atqui corpus organicum præſupponit animam, quia non eſt organicum niſi vitalibus iam ſit præditum potentiis, quę quidem vitales potentiæ animam, à qua oriuntur, præſupponunt: ergo, &c.

Ad ſolutionem huius obiectionis notandum eſt organicas partes duobus modis ſpectari poſſe, primò ſtrictè, pro partibus non tantùm certæ cuiuſdam figuræ & temperamenti, ſed etiam affectis vitalibus potentiis: Secundò latè pro partibus ipſis certa tantùm figura & accommodata temperie, nondum tamen vitalibus potentijs affectis: ſi

Digitized by Google

priori modo accipiantur partes organicæ neg. eſt maior, vel ſaltem diſtinguenda, ſubiectum, cuius anima dicitur actus, ipſa prius eſſe debet, ſubiectũ informationis, ſeu quod actualiter informat, verum eſt; ſubiectum tantum denominationis, quale eſt corpus organicum organicis partibus priori modo ſumptis, falſum. Si uerò ſumantur poſteriori modo organicæ partes, cõcedenda eſt maior, ſed mi. neg. & ad eius probationem dicendum, quamquã corpus organicum præſupponat animã ſecundùm priorem ſenſum à nobis explicatum, vt ſcilicet complectitur vitales potentias, non tamen ſecundùm poſteriorem, vt dicit tantùm certam aliquam figuram cum debita téperie, ſine vitalibus potentijs; quo modo contendimus animam eſſe corporis organici tanquam alicuius prioris actum.

Poſtrema particula eſt *poteſtate vim habentis*: circa quam notandum vitam hîc bifariam vſurpari poſſe, vel pro ipſa anima, quæ eſt vitæ principium, dicitúrque communiter vita ſubſtantialis, vel pro ipſis potentijs vitalibus, earúmque operationibus, quæ vitæ accidétales nuncupantur: quo notato dicimus vtróque modo vitam ſumi poſſe, quando anima dicitur eſſe actus corporis naturalis organici potentia vitam habentis: ſi quidem ſi nomine corporis naturalis organici intelligatur tantùm materia prima affecta diſpoſitionibus & partibus organicis, nondum tamen informata anima, tunc illud corpus organicum eſt adhuc in potentia, & ad vitam ſubſtantialem, nempe animam, & ad vitas accidentales, ſeu animæ facultates earúmque operationes; ſi verò nomine corporis naturalis organici intelligatur corpus iam anima informatum, pro illo inſtanti naturæ, non eſt in potẽtia ad vitã ſubſtãtialẽ ſeu animã ſed tantùm accidentales, népe animæ facultates & facultatum operationes.

Circa hanc totam definitionem rogabis, an ſit eſſentialis & accurata? Reſpondeo eſſe quidem eſſentialem; non tamen accuratam. Prior pars patet; ad definitionem eſſentialé tantùm requiritur vt rei eſſentiam explicet, quocumque tantem modo id fiat: atqui aſſignata definitio totam explicat animæ eſſentiam, quia in eâ tota ſita eſt animæ eſſentia, vt ſit actus primus ſubſtantialis, &c. ergo eſt eſſentialis.

Poſterior verò pars probatur ex Logica: accurata definitio conſtare debet propinquo genere, & eſſentiali differẽtia; atqui hæc definitio non eſt eiuſmodi, quia actus qui ponitur tanquam genus, non conuenit animæ immediatè, ſed mediante forma, ergo non eſt accurata: ſi verò loco actus formam ſubſtantialem poſueris, accuratè definies, anima eſt forma ſubſtantialis corporis organici poteſtate vitam habentis.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*De poſteriori Animæ definitione.*

Poſterior animæ definitio ab Ariſtotele his verbis tradita eſt, *Anima eſt id quo primò viuimus, ſentimus, mouemur & intelligimus.* Accuratior hoc modo erit *Anima eſt primum principium viuendi, ſentiendi & intelligendi.* Dicitur primò, *principium*, non *quod*, quia illud eſt totum compoſitum ex anima & corpore; ſed *quo*, quia re vera anima eſt principium *quo* omniũ operationũ vitalium, ſenſitiuarũ, & rationaliũ. Additur primũ, ſeu internum & ſubſtantiale, ad differentiã facultatũ naturaliũ, quæ ſunt accidẽtia quædam, quibus tanquam inſtrumentis anima in ſuis operationibus vtitur.

Rurſus adiicitur viuendi, ſentiendi, mouendi, & intelligendi, ſeu actionum animæ vegetantis, ſentientis & rationalis, quæ particulæ non ſunt collecti-

uè in hac definitione ſumendæ: alioquin non conueniret cuilibet animæ, quoniam quælibet anima non eſt ſimul principium viuendi, ſentiendi, mouēdi & intelligendi: ſed vegetatiua viuēdi tantùm, ſenſitiua viuendi, ſentiendi, & in quibuſdam animalibus mouendi: ſola autem anima rationalis eſt principium viuendi, ſentiendi, & intelligendi.

Rogabis an prior definitio à poſteriori diuerſa ſit? Reſpondeo affirmatiuè, probóque, tum quia prior definitio ſecundùm omnes ſuas partes collectiuè ſumptas conuenit omni animæ: poſterior hęc non item, vt dictum eſt: tum quia prior definitio per hanc poſteriorem demonſtratur hoc modo: *Id quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus, eſt actus primus ſubſtantialis corporis organici poteſtate vitam habentis: atqui anima eſt id quo primò viuimus, ſentimus, mouemur & intelligimus*: ergo, &c. Patet itaque hanc poſteriorem definitionem eſſe à priori diuerſam.

## SECTIO QVINTA.

*De Affectionibus Animæ.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*Vtrum plures Animæ ſibi mutuò ſuccedant in eodem viuente, necne.*

Pars affirmans eſt D. Thomæ in quęſtionibus diſputatis quæſt. de Anima art 2. & eius diſcipulorum communiter affirmantium animas ſibi mutuò in eodem viuente ſuccedere, & ita prius in humano fœtu fuiſſe animam vegetantem, tum ea expulſa introductam fuiſſe ſentientem, eáque eiecta ſentienti ſucceſſiſſe rationalem: & huic ſententiæ videtur fauere Ariſtoteles 2. de generatione animalium cap. 3. docens fœtum humanum prius viuere vita plantæ, ſecundò vita animalis, tertiò vita hominis. Hæc tamen ſententia non placet, & propterea contrariā amplectimur, animas in viuentibus ſibi mutuo de facto non ſuccedere.

Probatur hæc ſententia: nulla ratio admonet hanc animarum ſucceſſionē in viuentibus admittere, ergo non eſt admittenda. Probatur antecedens: ſi qua poſſet afferri ratio eſſet illa præſertim, quod in humano fœtu prius reperiantur animæ vegetantis operationes, nutritio videlicet & accretio, quam operationes ſentientis, auditio, viſio & ſimiles, hæ, quàm rationalis intellectio & volitio, quod tantùm voluit Ariſtoteles loco citato. atqui hæc ratio nulla eſt: quod enim prius animæ vegetantis, quàm ſentientis, & ſentiētis quàm rationalis operationes in humano fœtu reperiantur, non eſt quod anima humana ſubſtantialiter non ſit in ipſo corpore, cùm ſolum exercet operationes animæ vegetantis, vel ſētientis, ſed quia nondum reperit diſpoſitiones ad alias actiones exercendas, priúſque materia eſt diſpoſita ad operationes animę vegetantis, quàm ſentientis, & rationalis: nulla ergo ratio eſt quæ iubeat admittere ſucceſſionem animarum in eodem viuente.

Probatur ſecundò, ſi priùs materiæ fœtus informaretur anima vegetante, quàm ſentiente, & ſentiente quàm rationali, prius efficeretur planta, & brutum, quàm homo: ſola enim anima vegetans plantam conſtituit, ſolāque ſentiens brutum: at hoc dici non poteſt, quia non poteſt aſſignari cuius ſpeciei plantæ vel bruti eſſet ille fœtus, an pomi, an canis, ergo, &c.

Obiicies, ſtatim ac ſemen hominis emiſſum eſt, vegetat, creſcit citra violentiam verſus omnem partem, nec tamen ſtatim infunditur anima rationalis, ſed 40. die à puncto conceptionis



Digitized by Google

558

in maribus, & in fœminis 80. ſecundum medicos, ergo in materia ex qua fit homo, prius recipitur anima vegetans quàm rationalis:

Reſpondeo negatione antecedentis ſi vegetatio propriè accipiatur, vt eſt actio vitalis à vitę principio manans, nempé anima; quod enim augeatur ſemen emiſſum ante inſtans infuſionis animæ rationalis hoc non fit vitaliter, ſed appoſitione materiæ, nempè ſanguinis, quem dicunt matrem ei transfundere per venam vmbilicalem.

QVÆSTIO SECVNDA.

*Verum anima ſit diuiſibilis, vel indiuiſibilis.*

NOtandum eſt tribus modis aliquid dici diuiſibile, vel indiuiſibile, primò in partes eſſentiales, ſiue Phyſicas, materiam & formam; ſiue Metaphyſicas, genus & differentiam, actum & potentiam, ſecundò in virtutes & potentias: tertiò in partes entitatiuas quo modo dicitur quantitas diuidi in varias partes pedales, & qualitas in varios gradus, vt alibi quoque diximus. Primo modo anima non dicitur diuiſibilis, quia caret materia & forma quamquam dicatur diuiſibilis in partes eſſentiales metaphyſicas, gradus ſcilicet eſſentiales, quibus conſtat. Secundò item modo diuidua eſt, quia variis exornatur viribus, & potentiis, in quas diſtribui poteſt, an autem poſtremo modo diuidi queat, illud eſt quod in quæſtionem adducitur, ſoluetúrque his propoſitionibus.

*Prima propoſitio.*

ANima rationalis eſt omnino indiuiſibilis, nec extenditur ſecundum extenſionem ſubiecti, ſed tota eſt in toto, & tota in qualibet parte, more Angelorum, quando aliquod ſpatium occupant.

Probatur authoritate D. Aug. contra Manichæos cap. 19. vbi habet quod *Sicut Deus totus in toto mundo, & totus in qualibet eius parte eſt, ita etiam anima rationalis eſt tota in toto homine, & tota in qualibet eius parte animata.*

Accedit ratio, res quælibet ſpiritalis eſt omnino indiuiſibilis ſecundum partes quantitatiuas, & extenſa, quia quantitas eſt tantùm materiæ proprietas ex ſuperioribus, ſed anima rationalis eſt ſpiritalis, vt infra probabitur, ergo &c.

Obiicies primò, ſi anima rationalis ſit indiuiſibilis & tota in toto, & tota in qualibet parte, vna parte amputata, verbi gratia manu, tota anima deſtruetur: at falſum conſequens, ergo & antecedens.

Reſpondent aliqui negando maiorem, eò quòd abſciſſa vna parte corporis, verbi gratia manu anima retrahat ſe ad reliquas corporis partes, & in anguſtiorem locum redigatur: quomodo multæ panni partes, quæ erant extenſæ, dicuntur retrahi, quando ſupra ſe replicantur, & minorem locum occupant.

Sed hi inualidam rationem afferunt, quia non bene concipitur illa animæ retractio ad reliquas corporis partes, debere enim bis in eadem parte reperiri, quod nemo admiſerit.

Alii dicunt ad eandem maiorem, abſciſſa manu animam ſemper in toto loco, quem manus occupat, remanſuram, ſequuturámque brachium, à quo manus auulſa eſt. Sed hoc gratis effingitur, potiúſque ridendum eſt, quàm ſeriò refellendum.

Reſpondeo ergo negando maiorem, alia ratione ductus, quod nempe anima humana, vtpot ſpiritalis exiſtat in loco maioti, ſine noua ſui eſſe acquiſitione, per ſolam ſubſtantialem præſentiam quam habere incipit in illo & locum deſerat ſine retractione ſui



Digitized by Google

ad alium locum per ſolam deſitionem informationis,& conſequenter præſentiæ localis in tali loco,& parte, quemadmodum Angelus ampliorem locum occupat, ſine vlla ſuæ ſubſtantiæ acquiſitione, & illum deſerit abſque eiuſdem iactura; ex communi Theologorum doctrina.

Obiicies ſecundo, vnum & idem à ſeipſo diſtare non poteſt, ſed ſi anima rationalis eſſet indiuiſibilis tota in toto & tota in qualibet corporis parte, in capite exiſtens à ſeipſa diſtaret in pede exiſtente, ergo, &c.

Nego maiorem, nullum enim abſurdum eſt, vt id quod eſt totum in pluribus locis partialibus, à ſeipſo diſtet quatenus in extremis locis exiſtit, ſi modò ſit etiam in intermediis, quo pacto anima eſt in ſingulis corporis humani partibus, quia in extremis, & intermediis quoque reperitur.

Obiicies tertiò, repugnat aliquid ſecundùm ſe totum ſimul quieſcere, & moueri: at ſi anima humana eſſet indiuiſibilis, totáque in ſingulis corporis humani partibus, tota moueretur, moto ſcilicet brachio, & tota quieſceret quieſcente pede: ergo, &c.

Reſpondeo ad maiorem, ratione diuerſorum locorum idem moueri poſſe, & quieſcere, & ita animam in brachio, & pede exiſtentem, poſſe moueri in brachio, & quieſcere in pede.

Obiicies quartò, habemus in Sanctorum hiſtoria caput amputatum aliquādo motum, & loquutum fuiſſe, ergo anima rationalis debet eſſe diuiſibilis, vt ſecundum partem in capite manens illud animet.

Neganda eſt cōſequentia, quòd enim caput amputatum loquutum & motum fuerit, non eſt quòd pars animæ in ea permanſerit, ſed quia Deus ſua virtute infinita totā animā in capite reſeruarit.

Sunt etiam qui obiiciunt futurum vt quælibet pars hominis diceretur homo, & in qualibet eius parte homo intelligeret, ſi anima rationalis tota eſſet in qualibet parte: ſed huius obiectionis ſolutio clara eſt ex dictis.

*Secunda propoſitio.*

Animæ plantarum & imperfectorū animalium ſunt extenſæ, & diuiſibiles, adeò vt in ſingulis partibus materiæ ſingulæ animæ partes reperiantur, quæ vnam totalem animam efficiant. Hæc propoſitio experientia facilè deducitur, ſi quidem videmus iſtorum animalium imperfectorum partes præciſas & ſeparatas viuere, mouentur enim, & doloris ſenſum teſtantur, vt videre eſt in ſerpente, qui in varias partes diſſectus adhuc mouetur, & ſi pungatur, ſtatim retrahitur. Idem in plantis conſpicimus earum ſcilicet varias partes præciſas adhuc vitæ indicia demonſtrare patet in ramo, qui ab arbore præciſus, & trāſplantatus, viuit, creſcit, & fructus fert, quæ ſunt vitæ indicia: ergo, &c.

Reſpondent aliqui motum eiuſmodi animalium in multas partes, ſectorum non oriri ex anima, eas adhuc partes informante, ſed ex ſpiritibus vitalibus intus concluſis, qui dum egreſſum moliuntur, partes alias agitant. Sed facilè refelluntur, tum quia motus ex ſpiritalibus ortus parum viget, vt videre eſt in humano capite à toto corpore amputato, quod licet ſpiritus abūdet, nihilominus vel nullo pacto, vel per breuiſſimum tempus mouetur; tum quia motus à ſpiritibus profectus eſt ſine doloris ſenſu, è contra verò motus, qui in partibus præciſis reperitur, eſt coniunctus cum doloris ſenſu, vt adducto ſerpentis exemplo intelligi poteſt. Porrò hæc propoſitio ſaltem de imperfectis animalibus confirmatur rationi-

Digitized by Google

bus ſtatim adducendis pro diuiſibilitate animarum perfectorum animalium.

*Tertia propoſitio.*

Animæ quoque perfectorum animalium ſunt diuiduę,& per partes extenſę, vt docet Ariſtoteles primo de Anima, qui de animæ extenſione verba faciens habet totam animam continere totum corpus, & partem animę partem corporis, excepta anima rationali.

Fauet ratio; quod eſt planè immerſum materię, & eius potentia eductū, debet eſſe quantum, & diuiſibile:atqui animæ perfectorum etiam animalium ſunt immerſę materiæ, & ex eius potentia eductę, ergo ſunt quantę & diuiſibiles Probatur maior: quod eſt immerſum materiæ, & ex eius potentia eductum, ita ſequitur conditionem ipſius materię, vt vna pars ex vna parte Materię, & alia ex alia parte educatur, ergo quod educitur ex poteſtate materię debet eſſe quantum & diuiſibile. Minor verò facilè ſuadetur, primò, quia iſtæ animę ſunt omnino mortales, nec aliam ob cauſam quàm quòd ſint ita materiæ addictæ, vt ab ea in eſſe & conſeruari dependeant nullóque modo extra ipſam naturaliter queant exiſtere: ſecundò quia materiali tantùm modo operantur, ſcilicet circa ſingularia& materialia,nullo verò pacto circa vniuerſalia & ſpiritalia, quæ ſatis arguunt ipſas animas eſſe materiæ immerſas, & ex eius potentia eductas.

Obiicies,ſi animæ perfectorum animalium eſſent extenſæ & diuiſibiles remanerent in partibus ipſorum animalium à toto corpore ſeparatis,ſicut animæ imperfectorum animalium, atqui res aliter ſe habet, experientia reclamante: ergo, &c.

Neganda eſt conſecutio maioris, nam quod perfectorum animalium animæ non remaneant in partibus à toto præciſis eſt quia ſunt valdè perfectę, ideóque multas & perfectas diſpoſitiones deſiderent, quæ tamen per diuiſionem magna ex parte deſtruuntur, non quòd per ſuas partes ſingulis partibus corporis non reſpondeant.

## QVÆSTIO TERTIA.

*De facultatibus Animæ generatim.*

Qvælibet anima ſuas vires & facultates peculiares ſortita eſt, per quas tanquam per inſtrumenta operatur. Priuſquàm verò eas ſigillatim diſcutiamus, aggrediemur explicationem facultatum animæ in genere: & quia prolixior futura eſt illa explicatio, in quatuor articulos hæc quæſtio diuidetur.

### ARTICVLVS PRIMVS.

*De nomine Facultatis & varia eius acceptione.*

Facultatis nomen nihil aliud indicat, quàm virtutem agendi & principium operandi: tribus verò modis, vſurpatur, primò generaliſſimè pro qualibet virtute & potentia operandi, ſiue rerum animatarum, ſiue inanimatarum, cœlorum ſcilicet. & elementorum.Secundò pro omni virtute & principio vitali rerum animatarum, ſiue ſubſtantiali, quod eſt anima ipſa, ſiue accidentali tantùm, ſiue naturali, ſiue acquiſito. Tertiò & ad noſtrum inſtitutum accommodatè ſumitur facultatis nomen pro ſolis potentiis naturalibus accidentariis, vt ſunt intellectus in homine, & facultas hinniendi in equo, & ſic de cæteris.

### ARTICVLVS SECVNDVS.

*De exiſtentia facultatum Animæ.*

### MEMBRVM PRIMVM.

*An, & quot dentur Animæ facultates.*

QVi videt, audit, vult, intelligit: facultates animæ dari videt, & intelligit. Numerus ſupra aſſignatus eſt quinarius, vegetatiua, ſenſitiua, appetitiua, loco motiua, & rationalis, hic autem numerus ideò adſtruitur, quod nulla ſit animæ facultas quæ ad vnum ex illis quinque non reuocetur, vt ex progreſſu videbitur.

## MEMBRVM SECVNDVM.

*De cauſa efficiente facultatum Animæ.*

QVæſtio eſt an ſola anima ſit propinqua cauſa ſuarum facultatum, an ille etiam qui animam produxit. Nonnullorũ opinio eſt, cauſam efficientem animæ eſſe non tantùm remotam, ſed etiam proximam cauſam efficientem facultatum eius, quia non per aliam actionem produci putant illas facultates quam per eam qua ipſa anima producta eſt. Poſterior tamen, & contraria ſententia, & communior, & verior eſt cauſam efficientemm animæ non eſſe niſi remotam cauſam facultatum ipſius, animam verò ipſam eſſe propinquam, ſicque per actiuitatem aliquam & actionem poſitiuam eas facultates profundere.

Probatur hæc ſententia, quantum ad illud quod generatim animæ vim habent & actiuitatem ad ſuas facultates producendas: anima non eſt deterioris conditionis, quàm formæ elementorum: atqui hæ vim habent ad emittendas ſuas facultates: verbi gratia aqua ad effundendum frigus, vt ex eo conſtat, quod ipſa ab igne calefacta, ipſo igne remoto ſeſe reducat ad natiuum frigus, illúdque iterùm ex ſe eiiciat, ergo & animæ non eſt denegãda virtus ad ſuas facultates profundendas.

Quartùm verò ſpectat ad illud quod actio per quam producuntur facultates, ſit diſtincta ab illa per quam animа producitur.

Probatur: actiones illæ ſunt realiter diſtinctæ, quæ terminantur ad res realiter diſtinctas atqui anima & eius facultates diſtinguuntur realiter: ergo & actiones quibus anima, & eius facultates producuntur.

Denique quod actio ipſa per quam producuntur animæ facultates, ſit realis & poſitiua, & non tantùm mera reſultantia, expoſitione alterius quod dicunt de relationibus facilè declaratur. Omne ens reale abſolutum; realiter ab alio diſtinctũ, per actionẽ realem & poſitiuam producitur, nec tantùm reſultat: atqui facultates animæ ſunt entia realia abſoluta, ab anima realiter diſtincta ex dicendis, ergo &c.

Obiicies primò, is ſufficiẽter producit facultates animæ qui animã ipſam producit; ergo non anima ipſa eſt cauſa facultatum, ſed cauſa animæ ſuarum Probatur antecedens, qui producit eſſe ſufficienter producit ea quæ conſequũtur ad eſſe, vt vulgò fertur: ſed facultates animæ ad ipſius eſſe conſequũtur ergo cauſa animæ ſufficienter producit eius facultates:

Diſtinguo antecedens, cauſa animæ ſufficienter producit eius facultates, remotè & mediatè concedo, proximè & immediatè nego: ad maiorem probationis reſpondeo quod dat eſſe dat ea q; cõſequũtur ad eſſe remotè & mediatè, non verò proximè & immediatè.

Obiicies ſecundò, ſi ex anima emanarent facultates, vbi earum iacturam feciſſet, iterũ ipſas reproducere poſſet, quemadmodũ quia aqua ex ſe effundit frig⁹, ſi ſemel illud amiſerit, ipſum per ſuã virtutem naturalẽ recuperat: atqui res aliter ſe habet, ſi quis enim viſu priuatus fuerit, numquam illum naturaliter recuperabit: ergo anima ſuarum facultatum cauſa non eſt.

Digitized by Google

Nego conſequentiam maioris, quia cùm duo ſint genera facultatum, alias enim organicas, alias inorganicas eſſe ſuprà ſtatuimus: inorganicæ corrumpi non poſſunt: organicæ verò corruptæ reproduci nequeunt, non quod non eas producat, ſed quod omnes diſpoſitiones, quæ ad eas requiruntur, vt potè exquiſitiſſimas, reſtituere non poſſit.

## MEMBRVM TERTIVM.

*Vtrum facultates Animæ ſimul producantur, vel vna prius alia.*

NOtandum eſt duobus modiś poſſe hanc quæſtionem intelligi, aut enim diuerſi generis facultates ſimul conferimus, verbi gratia vegetatiuas cum ſenſitiuis, & has cum rationalibus: vel comparamus tantum inter ſe facultates eiuſdem generis; nutritiuam, cū augmentatiua; intellectum cum volũtate, & ſic de cæteris. Hoc poſitò.

Reſpondeo, vtróuis modo comparẽtur animę, facultates non æquè proximè & immediatè ab anima oriri, ſed alias priùs, alias verò poſterius. Ratio prioris partis hæc eſt, facultates vegetatiuæ præſupponuntur à ſenſitiuis, & hæ à rationalibus ſecundum ordinem naturæ, quia nihil habet ſenſum quod non ſit præditum facultatibus vegetatiuis, nihilque eſt rationis particeps quod & ſentiens, & vegetans non ſupponatur: ergo naturæ ordine facultates vegetandi prius emanant ab anima, quàm ſenſitiuæ, & ſenſitiuæ quàm rationales.

Ratio poſterioris partis clara eſt, ſi quidem vis accreſcendi ſupponit neceſſario vim & facultatem nutriendi, & facultates generandi potentiã nutriendi & accreſcendi, cùm res nutriri & accreſcere debeat, priuſquã generetur. Idẽ de facultatibus animæ rationalis intellectu & voluntate dicendum: ergo facultates eiuſdem generis aliæ prius ab anima emanant, aliæ poſterius.

## MEMBRVM QVARTVM.

*An facultas quæ prius oritur ſit cauſa poſterioris, ſeu an poſterior priori intermedia, vt cauſa producatur.*

REſpondeo negatiuè probóque, quia ſi vna facultas animæ oriatur mediante alia tanquam cauſa vel nobilior ex ignobiliori manabit, verbi gratia intellectualis ex ſenſitiua & ſenſitiua ex vegetatiua, quod volunt aduerſarij, vel è contra ignobilior erit ex nobiliori, puta vegetatiua ex ſenſitiua, & ſenſitiua ab intellectuali; atqui neutrum dici poteſt, ergo, &c. Prior pars minoris peto: effectus non eſt nobilior cauſa, ergo facultas ignobilior non poteſt eſſe cauſa nobilioris, quod potiſſimum vrget de facultate intellectuali, quę cùm ſit ſpiritalis, ab ignobilioribus, vt pote materialibus, produci non poteſt.

Probatur poſterior pars; quod eſt prius ordine naturæ & generationis, non poteſt produci eo intermedio, quod eſt poſterius naturæ & generationis ordine: atqui ex dictis ignobiliores facultates ſecundum naturę & generationis ordinem ſunt priores nobilioribus, verbi gratia vegetatiuæ ſenſitiuis, & ſenſitiuæ rationalibus: ergo ignobiliores facultates non poſſunt à nobilioribus intermediis, tanquam cauſis emanare.

Obiicies primò, omnes animę facultates à ſola anima proficiſci non poſſunt: ergo aliæ ab aliis, tanquam à cauſis profluere debent. Probatur antecedens, ab eo quod vnum eſt non niſi vnum poteſt procedere: ſed anima eſt: vna: ergo ab ea non niſi vna potentia eſſe poteſt, proindéque non omnes.

Negandum eſt antecedens, maior probanda, nam à Sole manant facultates motiuæ, illuminatiuæ, calefactiuæ, &c. & ab eodem patre multi generantur filij, & ita ab eadem anima multæ facultates.

Obiicies ſecundò, poteſt vna facultas per aliam à priori demonſtrari, verbi gratia facultas ſenſitiua per rationalem, ergo vna facultas erit cauſa alterius, rationalis videlicet ſenſitiuæ, cùm demonſtratio à priori ſit demonſtratio à cauſa. Antecedens patet, bona eſt iſta demonſtratio, *Omne rationale eſt ſenſus capax, omnis homo eſt rationalis, ergo eſt ſenſus capax*: ergo ſenſitiua facultas per rationalem demonſtratur.

Reſpondeo negando antecedens, ad probationem dico, allatam demonſtrationem non eſſe à priori ratione eſſentiæ, quaſi afferat cauſam cur attributũ conueniat ſubiecto, verbi gratia facultas ſentiendi homini, ſed tantùm à priori ſecundùm exiſtendi conſecutionem, quia adfert tantùm facultatem aliquam, nempe rationalem, è cuius exiſtentia in homine deducitur exiſtẽtia alterius, putà ſenſitiuæ. Poteſt etiã dici hanc demonſtrationem eſſe à poſteriori, cùm probet ſenſitiuam facultatem per rationalem, poſteriorem ordine naturæ & generationis.

## MEMBRVM QVINTVM.

### *De ſubiecto facultatum animæ.*

Certum eſt primò non ſolam animam ſed totum compoſitũ viuens, ſeu ex anima & corpore conflatum, eſſe ſubiectum denominationis animæ: clarum eſt, quia non ſola anima dicitur vegetans, vel ſentiens, vel intelligens, ſed totum ipſum ex anima & corpore compoſitum, planta vegetans, brutum ſentiens, homo intelligens.

Certum eſt ſecundò facultates inorganicas, & ſpiritales animæ rationalis, intellectum & voluntatem eſſe in ſola anima inhæſiuè, non autem in corpore.

Patet claré, quia non alia ratione dicitur inorganica facultas quàm quod non ſit affixa organo corporeo, ſed à ſola anima dependeat, illámque etiam ſequatur à corpore ſeparatam. Adde quod ſpiritale accidens, cuiuſmodi eſt facultas inorganica, non poteſt recipi in corpore, proindéque tantùm in anima. Tota ſupereſt difficultas, in quo inhæſionis ſubiecto facultates organicæ vegetatiuæ, ſenſitiuæ reſideant. Pro qua ſit,

### *Prima propoſitio*

Organicæ facultates ſunt in ſolo corpore inhæſiuè, & in toto compoſito denominatiuè. Probatur, certum eſt facultates organicas & corporeas ſiue vegetatiuas, ſiue ſenſitiuas, non poſſe eſſe inhæſiuè in anima rationali, quia ſpiritalis eſt, nulla verò res ſpiritalis poteſt eſſe ſubiectum alicuius corporei & materialis, ergo facultates illæ ſaltem hominis, ſoli corpori inhærent, ac proinde cùm in aliis viuentibus ſint eiuſdem naturæ, ac in homine, in iis ſolo corpore, tanquam ſubiecto inhæſionis indigebunt, ſicque fruſtrà dicentur ipſi animę inhærere.

Obiicies primò, facultates organicæ à toto corpore dependent, nec in eo anima deſtituto reperiuntur, ſicut intellectus & voluntas in anima rationali à corpore ſeiuncta, ergo ſunt in toto compoſito eodem iure, ac intellectus & voluntas in ſola anima.

Neganda eſt conſequentia, ſequitur enim tantùm facultates organicas magis à corpore, & anima ſimul dependere, quàm dependeant intellectus & voluntas, quæ quidem maior depen-

dentia in eo tantùm conſiſtit, quod licet organicæ iſtæ facultates ſoli inhæreant corpori, ita tamen in fieri & cõſeruari ab anima dependeant, vt ea ſe parata permanere in ipſo corpore non poſſint: intellectus autem & voluntas, nec in fieri, nec in conſeruari à corpore dependeant: ſed à ſola anima rationali: quare ex eo quod organicæ facultates non reperiantur amplius in corpore anima diſtituto, non benè ſequitur eas toti compoſito & anima & corpore inhærere, & non ſoli corpori.

Obiicies ſecundo in eo recipiuntur animæ facultates ex quo educuntur: atqui educuntur etiam ex poteſtate animæ: ergo etiam in anima, & non in ſolo corpore recipiuntur.

Minor probatur, ex eo educuntur facultates animæ à quo in fieri, & conſeruari dependent: atqui animæ facultates à corpore & anima in fieri, & cõſeruari dependent: ergo, &c.

Reſpondeo negatione minoris, & diſtinguendo maiorem probationis: ex eius poteſtate educuntur facultates animæ, à quo in fieri & conſeruari dependent, tanquam à cauſa materiali ſubiectiua, concedo, tanquam à cauſa efficiente, & conſeruante, nego: quo ſolum modo, & non priori, prædictæ organicæ animę facultates ab ipſa anima pendent.

Obiicies tertiò, in eo tanquam in ſubiecto inhæſionis ſunt organicę facultates animæ à quo dimanarunt: atqui dimanarunt ab anima, ergo, &c. Maior probatur, emanatio eſt actio immanens, quæ proinde nihil producit extra ſe, ergo quod emanat ab alio, extra illud recipi non poteſt & conſequenter in eo tanquam in proprio ſubiecto manere debet.

Reſpondeo negando maiorem & diſtinguendo antecedens probationis, emanatio eſt actio immanens, ſi actio immanens ſumatur pro illa quæ nihil producit extra totum compoſitum, & totale ſuppoſitum, concedo, quia ſic facultates non producuntur extra totum, ex anima & corpore compoſitum, ſed in eo manent, licet ſoli corpori inhæreant, ſi verò ſumatur ſtrictè, pro ea quæ nihil producit extra ipſum principium à quo fluit, nego, quiá propugnamus facultates illas organicas animæ nõ in ipſa à qua manarunt, anima, ſed in corpore ſubiectiuè recipi.

Obiicies quartò Ariſtotelem lib. de ſomno & vigilia cap. 7. docere facultates animæ eſſe in toto compoſito, ergo non in ſolo corpore.

Diſtinguo antecedens: docet Ariſtoteles facultates animæ eſſe in toto compoſito, tanquam in ſubiecto denominationis, concedo; tanquam in ſubiecto inhæſionis, nego.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De eſſentia facultatum animæ.*

Facultatem animæ non malè definies, *Potentiam naturalem ab anima naturaliter profluentem.* Potentia naturalis genus eſt ad potentias rerum inanimatarum, calefaciendi in igne, frigefaciendi in aqua, & ad facultates animæ: reliquæ particulæ diſcrimen ſtatuunt inter ipſas animæ facultates & aliarum rerum potentias.

Sed grauis hæc remanet difficultas, à quo deſumatur eſſẽtialis diſtinctio facultatum naturalium animæ, an ſcilicet ab actibus & obiectis, in quibus verſantur, ſeu, quod idem eſt, an facul-

Digitized by Google

tates naturales ſpecificentur ab obie-ctis & actibus, & conſequenter diſtin-guantur: hæc difficultas vt ſoluatur.

Notandum primò obiectum alicuius facultatis & habitus (vt alibi iam do-cuimus) ſpectari poſſe bifariam, primò materialiter, ſecundò for-maliter. Materialiter eſt res ipſa quæ alicui facultati, vel habitui obii-citur, quo modo candor eſt obie-ctum viſus, formaliter verò eſt ratio formalis obiecti, vt eſſe viſibile in candore.

Notandum ſecundò ſpecificationem & diſtinctioné facultatum & habituũ, ſicut etiam cuiuſcúmque rei eſſe dupli-cem, alteram eſſentialem petitam ex differentia quadam eſſentiali eſſentia-liter conſtituente & diſtinguente, quo modo homo à rationali ſpecificatur, quoniam eſt eſſentialis eius differen-tia conſtitutiua & diſtinctiua: aliam eſſe accidentariam deſumptam ex ali-quo accidente proprio, vt eſt riſibilitas reſpectu hominis. His poſitis.

Primò certum eſt facultates & habi-tus nec ſpecificari, nec diſtingui per ipſa obiecta materialia, tum quia di-uerſæ facultates circa idem obiectum materialiter ſumptum verſari poſſunt, verbi gratia intellectus & viſus circa colorem, duoque illi habitus Arithme-tica, & Muſica circa numerum, tum quia eadem ſpecie facultas, verbi gra-tia intellectus, non tantum circa di-uerſa ſpecie verbi gratia hominem & brutum, ſed & circa diuerſa genere, vt ſubſtantiam & accidens occupatur.

Secundò, certum eſt facultates & habitus nec ſpecificari, nec diſtingui eſſentialiter per obiecta, vel materia-liter, vel formaliter conſiderata. Ra-tio eſt, quia ſpecificatio & diſtinctio eſſentialis deſumitur ex aliquo eſſentia-li rei quæ ſpecificatur, cuiuſmodi non ſunt obiecta, ſiue materialia, ſiue for-malia reſpectu potentiarum & habi-tuum.

Reſtat igitur difficultas, an per or-dinem ad actus & obiecta ſpectata ſal-tem formaliter, & ſub ea ratione ſub qua certæ alicui facultati obiiciuntur, ipſę facultates & habitus ſpecificentur & diſtinguantur eſſentialiter.

Reſpondeo cum D. Thoma prima parte q. 77. articul. affirmatiuè: verbi gratia intellectum ſpecificari eſſentia-liter, & diſtingui per reſpectum ad actus quos elicit. & obiecta circa quæ verſatur, ſpectata ſub illa formali ratio-ne ſecundum quam conueniunt in vno intellectus obiecto, nempe in vna ra-tione intelligibilis: Phyſicámque eo modo ſpecificari & diſtingui per reſ-pectum & habitudinem ad actus quos exercet circa corpus naturale conſide-ratum formaliter, quatenus naturale, niſi fortè vnus actus alteri eſſentialiter ſubordinetur quod infrà explicabitur. Probatur hęc reſponſio: reſpectus fa-cultatis & habitus ad actus & obiecta ex natura illis conuenit, quia non poſ-ſunt definiri niſi per illum ordinem, verbi gratia intellectus niſi per ordiné ad intellectionem intelligibilis, ergo per illum eſſentialiter ſpecificantur & diſtinguuntur.

Obiicies, ſi facultates & habitus ſpe-cificarentur & diſtinguerentur per or-dinem ad actus, vbi eſſent actus ſpecie vel genere diſtincti, facultates quoque & habitus ſpecie vel genere diſtingue-rentur: atqui abſurdum eſt conſequés, ergo & antecedens. Probatur minor, actiones ſpecie diſtinctæ manant ab eadem videndi facultate, verbi gratia viſio coloris, & viſio luminis: item ab intellectu, apprehenſio, iudicium & diſcurſus, cùm tamen viſus & intel-lectus ſint facultates eædem ſpecie,

ergo

Digitized by Google

562

ergo vbi ſunt diuerſi ſpeciei actus ibi poſſunt eſſe eædem ſpecie facultates & habitus.

Reſpondeo negando minorem, & ad ſoluendam maiorem probationis admoneo, non aliter ac obiecta, actus duobus modis ſpectari poſſe, primò materialiter & ſecundum entitatem actus, ſecundò formaliter, & ſecundum modum quo verſantur circa obiecta ſuarum potentiarum formaliter ſumpta: verbigratia actus omnes vidẽdi conſiderari poſſe, vel materialiter, prout ſunt actus à facultate viſiua producti, ſecundò formaliter, quatenus feruntur in obiectum viſus ſpectatum formaliter, ſub ratione viſibilis; priori quidem modo fatemur facultates & habitus ab actibus non diſcriminari, quia varij ſpecie actus ad eandem ſpecie facultatem pertinere poſſunt, ſicut etiam varia obiecta materialiter ſumpta eiuſdem poſſunt eſſe facultatis, vt color & lumen viſus: poſteriori tamẽ modo cõtendimus facultates & habitus ſpecificari per actus, quatenus illi licet entitatiuè & ſpecie diſtincti vniuntur in eadem ratione ſpecifica, eodẽmque modo tendendi in obiectum, verbi gratia facultatem videndi ſpecificè ab actibus ſuis, quatenus illi licet varij ac ſpecie multiplices, vt viſio luminis & coloris vniuntur in eadem ratione ſpecifica tendendi in viſibile, quatenus viſibile eſt. Idem dicendum eſt de reliquis facultatibus cum ſuis actibus comparatis.

Rogabis vnde conſtet rationem formalem obiecti eſſe vna ſpecie, vt inde inferatur potentiam eſſe vnam ſpecie, quæ circa tale obiectum ſecundùm talem rationem formalem conſideratum verſatur?

Reſpondeo id deprehendi ex modo quo obiectum immutat potentiam, adeo vt ratio formalis obiecti vna dicatur, quando idẽ eſt modus immutandi facultatem, & ſic dicimus rationem viſibilis in obiecto adæquato viſus eſſe eandem ſpecie, quia eodem modo omne viſibile immutat videndi facultatem, nempe ſecundum ſpecies intẽtionales viſibiles, & ab ea ratione formali vna ſpecie viſiua facultas vna ſpecie dicitur, è contra quando diuerſus modus eſt immutandi facultatem, vt in obiecto viſus & auditus, ex infra dicendis, tunc rationes formales ſpecie diſtinguuntur, & ab iis eodem modo diſtinguuntur facultates.

Obiicies, ſi ab illa diuerſa ratione immutandi potentiam ratio formalis obiecti ſpecie vna habeatur, quia omne intelligibile eodem modo immutat potentiam: intelligibitas erit vna formalis ratio ſpecie obiecti intellectus: at conſequens falſum, ergo & antecedens. Minor probatur, quod prædicatur de multis ſpecie differentibus non poteſt eſſe vnum ſpecie infima, de hac enim ſemper loquor (atqui intelligibilitas prædicatur de multis ſpecie differentibus intelligibilitatibus, nempe de intelligibilitate Dei, Angelorum, hominum lapidum, aliarúmque rerũ, ergo intelligibilitas non eſt ſpecie vna infima ratio formalis obiecti.

Nego minorem. & pro faciliori ſolutione confirmationis admoneo intelligibilitatem, ſicut & aliam quamlibet rationem formalem obiecti, ſpectari poſſe dupliciter, primò abſolutè, & ſecundum ſe, quatenus nihil eſt aliud quàm ipſa rei veritas quæ obiicitur intellectui, & ſic prædicatur de multis ſpecie differentibus, nempe de variis intelligibilitatibus, Dei ſcilicet, & Angelorum, aliarúmque rerum, nec eo ſenſu conſtituit vnam ſpecie rationem formalem obiecti: ſecundò vt dicit

modum immutandi potentiam, qui vnus eſt ſpecie in omnibus intelligibilitatibus nempe per ſpecies intelligibiles. Quare patet in forma conceſſa maiori probationis diſtinguendam eſſe minorem, concedendam autem eſſe de intelligibilitatibus ſumptis priori modo, nempe abſolutè, negandam de illis ſumptis poſteriori modo, vt dicũt modum immutandi intellectiuam potentiam.

## ARTICVLVS QVARTVS

*De affectionibus facultatum Animæ.*

Officia, munera & finis facultatum animæ ſatis patent. Vnitas art. ſuperiori expoſita eſt. Vnica affectio ſupereſt explicanda, quomodo ab anima diſtinguatur: ad cuius ſolutionem ſit.

*Prima propoſitio.*

Formaliter & ex natura rei facultates animæ ab ipſa anima diſtinguũtur. Hæc propoſitio eſt contra Nominales, ſtatuentes ſolum rationis diſcrimen inter animæ facultates & animã ipſam, docentéſque eandem eſſe animam, quæ pro varietate actionum quas exercet, varia ſortitur nomina: intellectus vocatur cùm intelligit, viſus cùm videt, & ſic de cęteris.

Probatur, tùm quia alia eſt definitio animæ, & facultatum eius, vt patebit tum quia anima eſt ſubſtantia: facultates verò ſunt accidentia, cùm ex dictis nulla ſubſtantia poſſit agere ſine accidentibus, vt etiam docet Ariſtoteles lib. de ſenſu & ſenſibili cap. 4. cùm habet ignem, & terram, nec quicquid aliud ſecundum illud quod habet eſſentialiter agere aut pati, ſed ſecundum contrarietates quas habet ratione formarum accidentalium.

Obiicies primò teſtimonium D. Aug. in lib. de ſpiritu & anima cap. 11. vbi hæc habet: *Dicitur anima vegetans, cum vegetat, ſenſus, cùm ſentit; animus cum ſapit, cùm intelligit, mens; cum diſcurrit, ratio; cùm recordatur, memoria, cum vult, voluntas: iſta non differunt in ſubſtantia, quẽadmodum in nominibus, quoniam omnia hæc animæ eſt una, proprietates quidem diuerſa ſed vna eſſentia.*

Reſpondent, & quidem rectè, Doctores Louanienſes, opus illud de ſpiritu & anima non fuiſſe D. Aug. ſed falſo fuiſſe ſub eius nomine inſcriptum: quod ſi concedatur eſſe D. Aug. dicendum eſt ipſum velle tantùm animam denominari nominibus ſuarum facultatum, propter actiones cum illis exercet, non autem idem eſſe formaliter cum iſtis facultatibus.

Obiicies ſecundò anima non eſt per accidens vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua, ergo per ſuam ſubſtantiam, ergo facultates illæ vegetandi, ſentiẽdi, & intelligendi non diſtinguuntur realiter, & ex natura rei à ſubſtantia animę. Antecedens patet, quia gradus vegetandi, ſentiendi, & intelligendi ſunt de eſſentia animæ eiúſque definitionem eſſentialem ingrediuntur, proindeque ipſi non conueniunt per accidens.

Reſpondeo ad antecedens, vegetatiuum, ſenſitiuum & rationale bifariã ſumi poſſe, primò quidem ſubſtantialiter pro ipſa anima, quæ eſt primum ſubſtantiale principium vegetandi, ſentiendi, intelligendi, quo pacto concedimus animam non eſſe per accidens vegetatiuam, ſenſitiuam, & intellectiuam: ſecundò accidentaliter pro facultatibus vegetandi, ſentiendi, & intelligendi; quo modo dicimus animã per accidens eſſe vegetatiuam, ſenſitiuam, & intellectiuam.

Digitized by Google

*Secunda propoſitio.*

FAcultates animæ non tantùm formaliter, ſed etiam realiter diſtinguuntur ab ipſa anima.

Probatur, mutuò ſeparari poſſunt, ergo diſtinguuntur realiter. Patet antecedens de anima, primò: nam in homine cæco anima eſt; nec tamen eſt videndi facultas: quæ ratio eadem valet de aliis facultatibus. Quod autem facultates ab anima ſeparari poſſint, & ſeparatæ exiſtere, oſtenditur. Facultates animæ ſunt accidentia quædam perfecta, & abſoluta, neque animam includentia, neque in illa incluſa, non minus quàm accidentia panis & vini in auguſtiſſima Euchariſtia; ergo quemadmodum Deus conſeruat accidentia panis & vini in ſacratiſſima Euchariſtia, ab ipſa ſubſtantia panis & vini ſeparata, ita etiam poterit conſeruare animæ facultates ab ipſa anima ſeparatas.

Occurres, ergo ſeparatis ab anima intellectu & voluntate, anima nec erit volitiua, nec intellectiua, quod abſurdum eſt.

Diſtinguenda eſt conſequentia, anima non erit amplius volitiua & intellectiua; accidentariò, concedo; conſubſtantialiter, nego, quod ſufficit.

Rurſus obiicies, ſi facultates animæ ſeparentur ab ipſa anima, verbi gratia intellectus ab anima rationali, ipſe intellectus ſic ſeparatus poſſet elicere actum viſionis beatificæ, & ita eſſe beatus, quod non eſt credibile.

Reſpondeo neg. ſequelam, intellectio enim, cùm ſit actus vitalis, debet neceſſariò eſſe à ſuo vitali principio, eóque principali cuiuſmodi eſt anima; quia (quod diligenter obſeruabis) anima eſt tanquam cauſa vniuerſalis reſpectu ſuarum operationum ad illáſque concurrit, cum facultatibus, tanquam cauſis partialibus ipſam determinantibus, vt docet Suarez 1. tom. Metaph. diſput. 18. ſect. 5. & nos duplici iudicio demonſtramus, primùm quod anima ex nimia intentione ad opus vnius facultatis, verbi gratia viſiuæ, impediatur in opere alterius, verbi gratia auditiuæ, non aliam certè ob cauſam, niſi quod neceſſarius ſit animæ influxus ad operationes omnium facultatum. Secundum, quod oculus aliquando rei viſibilis præſentis ſpeciem recipiat, nec illa tamen percipiat, quod aliunde oriri non poteſt quàm ex eo quod anima non attendat, nec præbeat influxum neceſſarium operationibus omnium ſuarum facultatum.

*Appendix ad hanc diſputationem de forma cadaueris.*

CVm forma cadaueris abeunti animæ ſuccedat, quædam hîc meritò de illa adiungimus.

Rogabis igitur primò, quid nomine formæ cadaueris intelligatur. Reſpondeo intelligi imperfectam aliquã mixti formam recedenti animę ſuccedentẽ; imperfectam dico, eo quod per ſe non intendatur à natura, ſed tantum indirectè, & per accidens, in ſupplementũ illius formæ quam non poteſt ſtatim poſt egreſſum animæ introducere: verbi gratia, quando ignis agens in hominem, illum deſtruit, intendit per ſe in eius materiam ſuam formam inducere; indirectè verò, & per accidens intendit generationem formæ cadaueris, quatenus ſcilicet forma ſubſtantialis ignis recedenti animæ ſuccedere non poteſt, & ideo alia opus eſt qua informetur materia, antequam poſt receſſum animæ apta ſit ſuſcipere ſubſtan-



Digitized by Google

tialem ipſam ignis formam.

Rogabis ſecundò, à quo producatur forma cadaueris; Reſpondeo non produci ab aliqua cauſa particulari & vniuoca, ſed à cauſa vniuerſali, nempe Deo, ſuppoſitis diſpoſitionibus ad eius ſuſceptionem. Prior pars reſponſionis patet:ſi produceretur forma cadaueris ab aliqua cauſa particulari maximè ab illa quæ viuens deſtruit;cùm nulla alia interueniat, atqui ab hac non producitur, quia cauſa illa deſtruens eſt tantum cauſa formæ ſibi ſimilis, verbi gratia ignis, formæ ignis, non autem diſſimilis, cuiuſmodi eſt forma cadaueris: ergo, &c.

Poſterior vero pars ſuadetur, quia cùm Deus ſit ſuauis vniuerſis, vbi videt formam cadaueris eſſe neceſſariã vt animæ abeunti ſuccedat, deprehendit tamen illam à nulla alia cauſa produci, ſtatim decernit eam producere, ſuppoſitis ſemper diſpoſitionibus, quæ relictæ ſunt in materia, quando viuens corruptum eſt.

Rogabis tertiò, an forma cadaueris ſit anima? Reſpondeo negatiuè, quia aliàs corrupto viuente, verbi gratia homine, quod ſuccederet eſſet adhuc viuens, quod nemo putauerit, cùm viuens nutriatur, creſcat, aliáſque vitales operationes exerceat, quę in cadaueribus non reperiuntur.

Occurres, forma cadaueris eſt actus corporis organici, ergo eſt anima? Reſpondeo negando antecedens, ad corpus enim organicum, præter figuram externam quæ remanet in cadauere, certa quædam qualitatum temperies deſideratur, quæ non amplius manet in cadauere deſtructo viuente:imò requiritur, vt potentia proxima vitam habeat, ſiue ſubſtantialem nempe animam, ſiue accidentalem, nempe animæ facultates, quorum neutrum in cadauere reperitur.

Rogabis primò, vtrum omnes cadaueris formæ, quæ in diuerſis cadaueribus reperiuntur, ſint eiuſdem ſpeciei? Reſpondeo negatiuè, quia cum poſt deſtructioně variorum viuentium varia temperamenta inducantur, probabile eſt pro variis illis temperamentis varias à Deo produci ſubſtantiales cadaueris formas Hæc de anima in communi.

## SECVNDA DISPVTATIO.

*De Animabus in particulari: & primò de Anima vegetante.*

QVid ſit ſentiendum de nomine, exiſtentia, & eſſentia animæ vegetantis ex tota ſuperiori diſputatione ſufficienter colligitur, quapropter totam hanc diſputationem inſumimus in explicandis affectionibus & facultatibus animæ vegetantis, cùm generatim, tum ſpeciatim.

### SECTIO PRIMA.

*De facultatibus Animæ vegetantis in communi.*

### QVÆSTIO PRIMA.

*De multiplici facultate Animæ vegetantis.*

COmmunis ſententia, eáque Ariſtotelis, ſecundo de anima, capite 4. eſt dari potiſſimas animę vegetantis facultates, nutritiuam, augmentatiuã, & generatiuam. Colligitur autem hic numerus ex illis quæ præſertim intenduntur ab anima vegetante, quorum primum eſt indiuidui conſeruatio, ad quam ſpectat facultas nutritiua: ſecũdum, vnicuique naturæ eiúſque operationi edendæ idonea magnitudo, quã per facultatem accreſcendi adipiſcitur viuens:tertium, ſuæ ſpeciei propagatio, quæ habetur beneficio generatio-

Digitized by Google

nis, quia ſimile in ſpecie producitur, vt vno indiuiduo corrupto, in alio ſpecies conſeruetur.

Addunt alij quartam facultatem, quã vitalem appellant, & in corde arteriiſque collocant, eique hæc munera adſcribunt, cor, & pulmones mouere, arterias pulſare, ſpiritúſque vitales conficere.

Sed melius hæc vitalis facultas tantùm ſtatuitur, tanquam adminiſtra nutritiuæ, cuius non eſt tantùm reſarcire damnum ſubſtantiæ deperditæ, ſed ſubminiſtrare & ea exequi quę ad vitæ cõſeruationem requiruntur, qualia ſunt motus cordis, arteriarum palpitatio & ſpirituum vitalium confectio, quę munera vitali facultati tribuuntur.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*Quis ſit ordo inter tres aſſignatas Animæ vegetantis facultates.*

HIc duplex ordo notandus, alter naturæ & originis, alter perfectionis. Secundùm ordinem naturę & originis, prima omnium facultatum animæ vegetantis eſt nutritiua, ſecunda augmentatiua, poſtrema generatiua: primo enim viuens nutriri & alimentũ ſumere debet, vt eo in ſuam ſubſtantiã conuerſo, augeatur ad eámque perducatur magnitudinem quã prorumpere poſſit in actum generationis, cùm infantulus ſtatim in lucem editus generare minimè poſſit. Secundùm verò ordinem perfectionis, concludendum eſt facultatem generatiuam eſſe omniũ primam, ſecundam nutritiuam poſtremam augmentatiuam.

Probatur: ea facultas perfectione anteſtat, cuius obiectum eſt perfectius: ſed generatiuæ obiectum eſt præſtantiſſimum, eſt enim bonum commune totius ſpeciei, obiectum verò nutritiuæ eſt bonum alicuius tantùm indiuidui, quod communi bono minus eſt, vt ex ſe patet; ergo generatiua facultas præſtat nutritiuę. Rurſus quod nutritiua ſit præſtantior augmentatiua, patet, quia nutritiuæ obiectum eſt ſubſtantia, augmentatiuæ verò quantitas, conſtat autem ſubſtantiam eſſe omni quantitate nobiliorem, ac proinde cõſtare debet nutritiuam eſſe augmentatiua nobiliorem.

## QVÆSTIO TERTIA.

*De diſtinctione facultatum Animæ vegetantis.*

### *Prima propoſitio.*

FAcultates animæ vegetantis nutritiua, augmentatiua, & generatiua, non diſtinguuntur realiter.

Probatur primò de virtute nutritiua, & augmentatiua. Harum facultatum actus ſunt neceſſariò coniuncti, nec vnus ab alio poteſt ſeparari; ergo nec ipſę facultates reipſa ſeparari poterũt, ſed erunt inter ſe neceſſariò connexæ, & ita minimè realiter diſtinctę. Conſequentia eſt clara, cùm enim actus ſupponat facultates, quemadmodum actus ſunt inter ſe neceſſariò coniũcti, nec re ſeparari poſſunt: ita etiam facultates erunt neceſſariò coniunctæ, nec re ipſa ſeparari poterunt. Antecedens verò probatur: actus nutritionis is eſt, quo ſubſtantia acquiritur alimento in viuentis naturam conuerſo; accretionis verò, quo quantitas comparatur: atqui ſubſtantiæ & quantitatis acquiſitiones ſunt neceſſariò coniunctæ; nec vna haberi poteſt ſine alia, ita vt viuẽs acquirat ſubſtantiam ſine quantitate, vel è contra quantitatem ſine ſubſtantia, quoniam ſubſtantia illa quæ aduenit viuentibus, vt potè materialis, cõ-

iuncta ſemper eſt cum quantitate, illiúſque nullam vnquam iacturam facit, vt diximus agendo de materia, ergo, &c.

Obiicies, non ſemper creſcit viuẽs, ſed tandem ad ſtatum & conſiſtentiam perducitur, vbi deſinit accreſcere, cùm tamen perpetuò nutriatur: ergo actus facultatis nutritiuæ & augmentatiuæ non ſunt neceſſariò connexi, ſed reipſa ſeparantur.

Negandum eſt antecedens, vel potius diſtinguendum: augmentatio bifariam ſumitur: primò pro ea actione, qua viuens ad maiorem quantitatem promouetur: ſecundo pro ſola acquiſitione quantitatis, ſiue maioris, ſiue æqualis, ſiue minoris, quàm ſit illa quę fuit per actionem natiui caloris deperdita. Priori modo actio augmentatiuæ facultatis non eſt neceſſariò coniuncta cum actione facultatis nutritiuæ, quia non ſemper augeſcit viuens, ſed aliquando ad ſtatum & conſiſtentiam perducitur, vt rectè habet argumentum: poſteriori verò modo coniuncta eſt, quia ſiue viuens ad maioré quantitatem promoueatur, ſiue non, imò decreſcat, quotieſcúmque tamen mutatione conuertit alimentum in ſuã ſubſtantiam, nouam acquirit quantitatem, quâ ſi non augeatur: per accidens eſt, quod ſcilicet illa ſit tantùm ad reparandam æqualem vel maiorem quãtitatem, cuius iactura facta eſt, quod ſufficit vt habeamus facultatem augmentiuam eſſe neceſſariò cum nutritiua coniunctam, & ab ea ſeparari non poſſe.

Quod autem generatiua ſit idem cũ ambabus nutritiua & augmentatiua, probatur: generatiua eſt eadem facultas cum nutritiua, in illáque includitur, nutritio enim nihil eſt aliud quàm partialis generatio ſeu productio formę in aliqua parte materiæ, ergo cùm nutritiua reipſa ſit idem cum augmentatiua, ex prædictis, generatiua quoque idem erit cum vtráque.

Obiicies, illa realiter diſtinguuntur quæ ſunt in ſubiectis realiter diſtinctis, atqui virtus nutritiua & generatiua ſunt in ſubiectis realiter diſtinctis, illa enim per totum viuentis corpus diffunditur, virtus verò generatiua in vna tantùm parte exiſtit, ergo, &c.

Reſpondeo negando minorem, quãuis enim virtus ſeminaria, aliæque facultates generatiuæ famulantes, & inſeruientes, non ſint per totum corpus diffuſę, ſed in vna tantum corporis parte reſideant & operentur, ipſa tamen generatiua facultas non ſecus ac nutritiua ſecundum ſuam ſubſtantiam per totum corpus diffunditur.

*Secunda propoſitio.*

PRædictæ illæ animæ vegetantis facultates, nutritiua, augmentatiua, & generatiua, ne quidem formaliter diſtinguuntur, ſed ratione tãtum ratiocinata. Probatur, quæ eſt ratio cur virtus calefactiua & virtus exſiccatiua in radio Solis non diſtinguantur formaliter, & ex natura rei, ſed ratione tantùm ratiocinata eadem reperitur in prædictis animæ vegetantis facultatibus, ergo pariter tantùm diſtinguentur ratione ratiocinata, & non formaliter.

Probatur antecedens: ratio propter quam virtus calefactiua, & virtus exſiccatiua in radio Solis, non diſtinguũtur ex natura rei, ſed tantùm ratione ratiocinata, eſt quia actus vnius eſt tãtùm eſſentialiter actui alterius ſubordinatus: verbi gratia actus virtutis exſiccatiuæ, ſcilicet exſiccatio, actui virtutis calefactiuæ, nempe calefactioni, ita vt non ſequatur exſiccatio ex radio Solis, niſi præceſſerit calefactio:

atqui eadem ratio cernitur in facultatibus animæ vegetantis, quia ſcilicet vnius actus eſt pariter eſſentialiter actui alterius ſubordinatus, verbi gratia actus accretionis actui nutritionis, & actus generationis ambobus actibus, nutritionis & augmentationis, ergo, &c.

Obiicies, illæ facultates (quod pariter dici debet de habitibus) formaliter & ex natura rei diſtinguuntur, quæ verſantur circa obiecta formaliter, & ex natura rei diſtincta, etiam ſpectata formaliter vt obiecta ſunt, atqui facultates animæ vegetantis ita ſe habent, vt patet ex dictis, & magis apparebit infrà: ergo, &c.

Reſpondeo, maiorem non eſſe vniverſim, veram, ſuprà enim diximus actus qui tendunt in obiecta formaliter diſtincta, etiam in ratione obiecti poſſe ad eandem potentiam pertinere, modò vnus alteri eſſentialiter ſubordinetur, quo pacto actum exſiccandi actui calefaciendi ſubordinari, & actũ accretionis actui nutritionis, & vtrique actui actum generationis ſubalternari oſtendimus, vnde fit vt tres illi actus nutriendi, accreſcendi, & generandi ſint eiuſdem facultatis formaliter, quæ pro diuerſa ratione nunc dicitur nutritiua, modo augmentatiua, modo generatiua.

## QVÆSTIO QVARTA.

*De potiſſimo Animæ vegetantis inſtrumento, nempe calore naturali.*

PRæter humidum radicale, & quatuor humores, de quibus poſtea in anatome, anima vegetans habet calorem aliquem naturalem ſibi adeò neceſſarium, vt eo ſublato nutritio peragi nullo modo poſſit: ad pleniorem illius intelligentiam, initium ex altiori principio ſumendum eſt, & propterea.

Notandũ in viuentibus triplicẽ admitti calorẽ, cœleſtem, elementarem, & vitalẽ ſeu naturalẽ, Cœleſtis eſt ille qui ab aliquo cuiuſdam aſtri, & poriſſimum Solis influxu manat, & quo viuentia incaleſcunt. Elementaris ille dicitur qui conuenit viuentibus eo ipſo quod mixta ſunt: vitalis denique eſt ille, qui peculiaris eſt viuentibus, illis à principio vitæ conueniens: & hic ponitur in duplici differentia, alius dicitur innatus, alius influxus: natiuus habetur ille, qui viuentibus ipſis à principio natiuitatis conuenit ſecundùm propriam eorum rationem, & exigentiam: ex eo enim quod aliquis viuit, poſtulat natura ſua calorem, cuius miniſterio peragatur nutritio: influxus verò eſt ille qui in animalibus locum habet, & à corde vt à calidiſſima totius corporis parte potiſſimum deriuatus in reliquas eiuſdem corporis partes diffunditur.

Rogabis quid ſit diſcriminis inter calorem natiuum & influxum?

Reſpondeo præter illud aſſignatum, quo innatus calor à principio vitæ cõueniat, influxus autem à corde, vel hepate ad reliquas partes diffluat: aliud eſſe notiſſimum, quòd calor innatus per omnes viuẽtis partes diffundatur, non item influxus.

Rogare hîc etiam aliquis poſſet, an calor vitalis ſit eiuſdem ſpeciei cum cœleſti, & elementari? ſed iam huic quæſtioni ſatisfactum eſt, vbi de igne actum eſt.

## SECTIO SECVNDA.

*De facultatibus Animæ vegetantis in particulari.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*De nutritiua facultate, & ad illam pertinentibus.*

### ARTICVLVS PRIMVS.

Digitized by Google

*De ipſa Nutritiua.*

ARiſtoteles ſecundi de anima capite quarto definit facultatem nutritiuam, *quæ transſmutat ſubſtantiam alimẽti in rei viuentis ſubſtantiam, ad indiuidui conſeruationem.* Facultas, vegetatiua ſcilicet, eſt genus Additur, tranſmutans ſubſtantiam alimenti in rei viuentis ſubſtantiam; vt deſignetur proprium munus facultatis nutritiuæ, quod eſt negotiari circa alimentum, & illud in rei viuentis ſubſtantiam conuertere. Denique additur ad indiuidui conſeruationem, vt ſignificetur finis facultatis nutritiuæ, quæ nihil eſt aliud quàm indiuidui conſeruatio.

Quod autem fiat tranſmutatio alimenti in rei viuentis ſubſtantiam, probatur: quicquid augeſcit, augeſcit aut nouæ materiæ acceſſione, aut rarefactione, aut denique ſui ipſius in diuerſis locis conſtitutione per diuinam potentiam: atqui viuens continuè creſcit, ergo aliquo modo ex tribus allatis, non tamen ſecundò, quia ſequeretur quò magis aliquod corpus viuens excreſcit, eò in maiorem raritatem abire, ſicque hominum perfectorum corpora longè rariora atque adeò imperfectiora eſſe corporibus infantium & puerorum; quod à veritate, & communi omnium iudicio deflectit: nec etiam tertio modo: quia cùm conſtitutio eiuſdem corporis in diuerſo loco, & ſitu, miraculoſa ſit; ipſa viuentis accretio non eſſet naturalis, ſed in miraculum verteretur: relinquitur ergo vt viuentia augeantur primo modo, nempe acceſſione materiæ, & conuerſo alimento in ipſam eorum ſubſtantiam.

Obiicies, ſi per nutritionem aliqua alimenti pars verteretur in viuentis ſubſtantiam cùm ea ſit de eſſentia viuentis, eſſentia viuentis particulatim aduenirét, quod videtur incommodũ.

Verùm huius obiectionis ſolutio pẽdet ex illa quæſtione quam infrà proponemus, quomodo eadem maneat viuentis ſubſtantia toto nutritionis, & accretionis tempore.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*De facultatibus adminiſtris Nutritiuæ.*

VT in ampla domo, varia diſpertita ſunt munera, ſic in facultate nutritiua, ampla quædam & magnifica, varia variis facultatibus ſunt diſtribuenda officia. Facultates illæ adminiſtræ nutritiuæ quatuor cõmuniter recenſentur, attractrix, expultrix, retentrix & concoctrix.

Attractrix non ea dicitur tãtùm, quæ ab ore trahit alimentum ad ſtomachũ, ſed ea quæ à ſtomacho ad ſuperiores, & inferiores partes ipſum alimentum attrahit, vt illis omnibus partibus diſtribuatur, hæc duplex, vna communis & præcipua, omnibus corporis partibus inſeruiens, illiſque alimentum diſtribuens, reſidétque in ſtomacho, corde, hepate, & venis: alia peculiaris, vnicuique membro propria, per quam id attrahit alimentum, quod ipſi poteſt eſſe conueniens.

Rogabis num virtus attractrix ad ſe tantum pelliciat alimentum, an etiam alias partes ad nutritionem minimè idoneas? Reſpondeo affirmatiuè, conuincit enim experientia multa excrementa ad diuerſas partes trahi, vt ad renes & veſicam, quod ſine virtute attractiua illis partibus inexiſtente fieri non poſſet.

Expultrix facultas eò quod excremẽta & inutiles alimenti partes eiiciat, expultrix appellata eſt; & huic muneri potiſſimum inſeruit, vt longè propellat ineptas ad nutritionem partes, quæ cum alimento attractæ ſunt.

Facultas

Digitized by Google

566

Facultas retentrix ea eſt quæ alimẽmentum facultatis attractiuæ miniſterio attractum retinet, ne diffluat, & præ ſua grauitate elabatur, antequam concoquatur, & ad nutritionem aptum reddatur.

Facultas denique concoctrix ea eſt quę alimentum attractum & retentum concoquit, vt conuertatur in alimenti ſubſtantiam modo ſtatim tradendo.

## ARTICVLVS TERTIVS.

### *De Nutritione.*

### MEMBRVM PRIMVM.

*Quid ſit Nutritio?*

Reſpõdeo hoc modo definiri: *Nutritio eſt actio vitalis, quâ anima vegetans interuentu facultatis nutritiua, & vi caloris naturalis, conuertit alimentum, quod erat poteſtate tantùm corpus animatum, in ipſam corporis animati ſubſtantiam, ad indiuidui conſeruationem.* In qua definitione, vel potius deſcriptiõe, quatuor cauſas nutritionis licet deprehendere, materialem, nempe ipſum viuens in quo recipitur; formalem, ipſam eius eſſentiam hac pręſenti definitionẽ expreſſam efficientem principalem, animam vegetãtem, minus, præcipuam & inſtrumentalem, facultatem nutritiuam. & altricem, & calorem naturalem, finem denique ipſam indiuidui conſeruationẽ, ad quam omnia opera ſua refert nutritiua.

### MEMBRVM SECVNDVM.

*Quomodo peragatur Nutritio?*

Reſpondeo hoc modo, vt primò alimentum debeat ore excepi, & dẽtium opera comminui, vt tum calore oris, tum eiuſdem ſaliuæ humiditate alteretur; vnde obſeruant ſe habere eodem modo os ad ventriculum, quo modo coquus ad lebetem: quia ſicut hic non integras, ſed conciſas carnes mitti in lebetem; ita os comminutum crebra agitatione & motu linguæ, in iis quæ linguam habent, & non integrum alimentum, tum gulæ attractione in ventriculum pellit, procurante ſemper natura beneficio epiglottidis, ne quid incidat in vocalem arteriam, & reſpirandi viam intercludat.

Porrò vbi cibus ad ventriculum perductus eſt, in eo, tanquam in communi promptuario & officina excipitur, ac in vnum cogitur, arctéque comprehenditur, ne præproperè elabatur, néue in tam ampla capedine huc illuc fluitans decoqui non valeat. Iam verò ſuarum arbitratur eſſe partium virtus concoctrix ventriculo inſidens, toto conatu ſibi commiſſum alimentum decoquere: quare in hoc munus ſic incumbit, vt beneficio ſibi ingeniti caloris, tum etiam illius quem vicinæ partes, iecur, lien, diaphragma conferũt, ipſum immutet alimentum, & ex eo maſſam aliquam ſeu cremorem, quem Medici *chylum* appellant, generet, & hæc eſt prima concoctio. Deinde peracta illa concoctione aperto pyloro, qui eſt inferioris ventriculi orificium, & à Latinis Ianitor dicitur, inutiles & excrementitiæ partes huius chyli; ſeu ſubſtantiæ lacteæ, miniſterio virtutis expultricis ad inteſtina craſſiora protruduntur, partes verò vtiles ad hepar traiiciuntur, & quod præſtantiſſimum eſt à venis meſenteriis, ſéu meſaraïcis, per tenuia quædam foramina, velut debitum ſibi vectigal attrahitur, & quaſi ab hirudinibus exſugitur.

His ita confectis, & vbi alimentum per anguſtas meſenterij vias multiplici & erratico lapſu in hepar, per venã maiorem, quam portam dicunt, deductum eſt, vi caloris huic parti inſidentis, ſecundam ſibi concoctionẽ & conuertitur in humorem quemdam cruẽ-



Digitized by Google

tum, qui *chymus* dicitur, in quo quatuor humores reperiuntur, ſanguis, pituita, flaua bilis, melancholia; quoniã autem omnes illi humores non ſunt ad nutritionem idonei, natura id quod ex illis ſuperfluum eſt & inutile ſegregat, ac flauam bilem in veſiculam fellis ad iecoris portas ſitam conicit, melancholiámque ad ſplenem procul amandat: conceptaculum verò nullum pituitæ natura conceſſit, in quo priuatim conſiſteret, quod ſanguinem per totum corpus deuehat, tum quod ſit ſanguis imperfectè coctus, proindéque facilè ſanguinis formam adipiſcatur, & in alimentum cedat, tum demum quod omnes corporis partes eo humore debeant humectari, ne aſſidua & frequenti agitatione areſcat.

Eſt quoque humor quidam tenuis, præter quatuor ſupradictos humores, à quo ſanguis expurgari debet, & quo tanquam vehiculo chylus è ventriculo per inteſtina, & meſenterij venas in iecur perducitur.

Poſtquam autem iſte humor vehendi munere perfectè functus eſt, quia nec ad corpus alendum idoneus eſt, nec ad alia deinceps munera aptus, per quarumdam venarum, quas emulgentes vocant, ductas, ad renes attrahitur, & ſecernitur, móxque in veſicam protruditur, quod pituitę pariter accidit quod enim peracto opere & negotio nutritionis ex ea relinquitur, & non exſugitur per emunctorias venas, in veſicam delabitur.

His omnibus excrementis expurgatus ſanguis, in ampla quadam vena nomine *caua* excipitur, quæ quia variis eſt diffuſa ramulis, & ſurculis, propagata, in veſiculam bilis, ventriculum, lienem, inteſtina, meſenterium inde in cor, aliáſque corporis partes excurrens, his omnibus alimentum diſtribuit, hoc tamen modo, vt quolibet membrum quod ſibi vtile eſt ex alimento, quod per ſinuoſos venarum anfractus traiicitur, accipiat, vnumquódque pro exigentia & neceſſitate, adeo vt, *ibi ſumma appareat æqualitas, ibi ſumma eſt inæqualitas*, partéſque nobiliores quod purius eſt in ipſo ſanguine. ſibi adſciſcant: hinc cùm cerebrum cæteris partibus præferatur, eo quòd ſit ſenſuum & rationalium facultatum organum, idcirco, ad illud puriſſimæ ſanguinis partes mittuntur, vt conuertantur in animales ſpiritus animæ ſenſitiuæ operationibus inſeruientes. Rurſus cùm reliquis partibus à cerebro cor præſtet, ideo puriores ſupradicti ſanguinis partes ad illud mittuntur, vt cõuertantur in ſpiritus vitales actionibus animæ vegetantis inſeruientes. Aliæ denique partes minus puræ & ſubtiles, quæ ſanguinis nutrimentales dicuntur, per tenuiſſimas venas, à tenuitate capillorum & ſubtilitate, capillares dictas, in totum corpus diffunduntur. Poſtquam verò alimentum ita tributū eſt, & minutiſſimas quaſque corporis partes poróſque ſubiit, in illis tertiam & perfectam concoctionem aſſequitur, immediatéque in viuentis ſubſtantiam conuertitur. Huius autem tertiæ concoctionis excrementa ſunt pili, vngues, ſudores, ſordes, &c.

Ex iis igitur facilè intelligimus triplici concoctione opus eſſe antequam peragatur nutritio, & alimentum in rei viuentis ſubſtantiam conuertatur, prima quæ fit in ventriculo, ſecunda quæ in hepate, tertia quæ in ſingulis partibus vbi in rei alitæ ſubſtantiam alimétum conuertitur.

Notandum verò eſt quamquam triplex tantùm ſit iſta concoctio: prima, qua conuertitur alimentum in chylum, ſecunda, qua à chylo procreatur chy-

Digitized by Google

mus & ſanguis : tertia quâ ſanguis in ſanguineum rorem conuerſus, ſtatim in ſubſtantiam viuentis mutatur: tamen ante vnamquámque harum concoctionum aliquam præire præparationem.

Præparatio ad primam concoctionẽ eſt, quando cibus ore exceptus dentibus teritur & comminuitur. Ad ſecũdam datur præparatio in venis meſenteriis, ſeu meſaraïcis, vbi iam chylus ſi non perfectam ſanguinis figuram, ſaltẽ eius aliquam adumbrationem ſuſcipit. Rudimentum denique tertiæ exiſtit in venis capillaribus, in quibus iam ſanguis incipit immutari, & in rorem ſanguineum verti, vt ſtatim tranſmutetur in viuentis ſubſtantiam.

Notandum præterea nutritionem iſtam de qua agimus, non eſſe communem ſingulis viuentibus, ſed ſolis animalibus & homini potiſſimum: in plantis verò primam concoctionem fieri in radice, ſecundam in trunco, tertiam in ramis, in quibus omnibus venarum loco fibræ quædam exiſtunt, cum allatis virtutibus adminiſtris facultatis altricis, attractrice expultrice, & concoctrice.

## MEMBRVM TERTIVM.

*An viuenti nutritio ſit neceſſaria?*

RESpondeo affirmatiuè, probóque, quia vita non conſiſtit niſi in calido & humido, accommodata ſibi qualitate & quantitate correſpõdentibus: quæ tamen proportio cũ diu durare non poſſit, quia humidum quod eſt caloris pabulum ab eo continua actione conſumitur, requiritur neceſſariò nutritio per quam alimentum ſuppeditetur, quod humidi iacturam fluxúmque materiæ reſarciat.

## MEMBRVM QVARTVM.

*An Nutritio ſemper fiat.*

NOtandum eſt nutritionem duobus modis poſſe vſurpari: primò completè & perfectè, prout comprehendit omnes concoctiones, ipſámque alimẽti conuerſionem in rei viuentis ſubſtantiam. Secundò incompletè pro aliqua tantùm ex actionibus, quibus præparatur alimentum, vt in rei viuentis ſubſtantiam tranſmutetur.

Si priori modo ſumatur nutritio, certum eſt illam non ſemper fieri, quia cùm alimentum non ſit ſemper aptè diſpoſitum & præparatum, vt tranſmutetur in ſubſtantiam viuentis, clarũ eſt nutritionem hoc priori modo ſumptam, vt dicit conuerſionem alimenti in rei altricis ſubſtantiam, non ſemper fieri.

Si verò poſteriori modo ſumatur nutritio, concludendum eſt cum Ariſtotele, primo de ortu, capite quinto, & ſecundo de anima, capite quarto, Alberto Magno, & aliis, nutritionem ſẽper fieri, ſeu nutritiuam facultatem in aliquam ſemper actionem ad abſolutã nutritionem neceſſariam incumbere; ſiue ad eam, quâ alimentum vertitur in ſubſtantiam; ſiue ad illam quâ attrahitur; ſiue etiam ad eam, quâ deficiẽte alimento calor naturalis in humidum radicale ruit.

Ratio eſt, quia calor naturalis, qui eſt inſtrumentum facultatis nutritiuæ, naturaliter & neceſſariò ſemper operatur, ideóque ſemper incumbit, vel decoquendo alimento, vel, ſi nullum ſuppetat, depaſcendo radicali humido, vel denique decocto alimento in rei ſubſtantiam conuertendo.

Obiicies, plurima animalia multo tempore omni cibo abſtinere, & tamẽ viuere, ergo nutritionem ſemper non fieri. Antecedens probatur primò, teſtimonio Ariſtotelis, qui 8 de hiſtoria animalium capite decimo ſeptimo refert vrſam, circiter dies quadraginta latere ſine cibo, & tamen per illud tẽ-



Digitized by Google

pus adeo pingueſcere, vt vix ſe mouere valeat. Et quinto eiuſdem operis capite decimo quinto, ſtelliones, crocodili fluuiatiles, nonnullóſque ſerpentes & glires per hyemem nihil alimenti capere. Probatur & authoritate Alberti Magni, libro ſecundo de anima, affirmantis ſe Coloniæ vidiſſe mulierem, quæ interdum per triginta dies ſine cibo permanebat: Imò, ſi meam auſim interponere authoritatem, dicã, & verè dicam, prope natalitiũ ſolum, prope vrbem, quæ vulgari nomine vocatur *Mont-fort l'Amaury*, me mulierẽ cognouiſſe, quæ ab octodecim vel pluribus annis ferè nihil cibi ſumebat, ſed fruſtulum quoddam panis ſero, ſeu lactis ſucco, humectatum ſemel quotidie in ore exſugebat, & ſtatim eiiciebat.

Reſpondeo, negando conſequentiã, vel diſtinguendo, ergò non ſemper fit nutritio quoad externam aſſumptionẽ alimenti; omnéſque ſuas actiones concedo, quoad aliquam verò tantum cõcoctionem, vel etiam actionem, qua calor naturalis deficiente alimento irruit in humidum radicale, nego, nam ea omnia, quæ retulimus, oſtendunt quidem multa animalia diu viuere ſine vllo per os excepto alimento, non tamen ſine vlla actione nutritionis, ſine cõcoctione eius alimenti, quod ante ſuſceptum eſt, ſine actione, quã calor natiuus debilis, fortaſsè, & infirmus lentè pingues & craſſos humores, pituitam verbi gratia, & alterius cuiuſdã concreti & indigeſti humoris colluuiẽ concoquit, quod ſolum defendimus.

## ARTICVLVS QVARTVS.
### De Alimento.

Notandum eſt alimentum eſſe duplex, alterum remotum & indigeſtum, quod pluribus indiget concoctionibus antequam in viuentis ſubſtantiã tranſmutetur: alterum propinquum & digeſtum, quod vnica indiget tranſmutatione, vt vertatur in viuentis ſubſtãtiam. Hoc poſito de alimento communiter diſputantes, prout tam proximũ, quàm remotum complectitur, illud ſic poſſumus definire, eius ſimul declarando conditiones: Alimentum eſt ſubſtãtia corporea, mixta corruptibilis, non omnino ſimilis, nec omnino diſſimilis rei quæ alitur, calida, & humida.

Prima conditio eſt, vt alimentum ſit ſubſtantia, quia debet ſubrogari in locum ſubſtantiæ deperditæ.

Obiicies ſolas ſpecies panis & vini in auguſtiſſima Euchariſtia nutrire poſſe, nõ enim corpus Chriſti ſub illis exiſtẽs, cùm ſit incorruptibile, ergo alimentũ non debere neceſſariò eſſe ſubſtantiã.

Reſpondeo, negando antecedens, neque enim ſpeciebus Euchariſticis, neque corpore Dominico nutritur viuens, ſed materia recenter à Deo creata ſub illis ſpeciebus in inſtanti, quo ſub ipſis deſinit corpus Chriſti.

Inſtabis nos ad miraculũ recurrere.

Reſpondeo ita eſſe, ſed ne perpetuũ miraculum admittamus, quod ſcilicet ſpecies & accidentia panis & vini perpetuò maneant ſine ſubiecto.

Secunda conditio eſt, vt alimentum non ſit quæuis ſubſtantia, ſed corporea. Eadem eſt ratio ac præcedentis conditionis, quò ſcilicet alimentum conuerti debeat in ſubſtantiam corpoream rei viuentis, & eadem ratione probatur.

Tertia conditio, nempe debere eſſe ſubſtantiam mixtam, cùm viuens in quod tranſmutatur ſit mixtum.

Quarta conditio eſt, vt alimentum non ſit omnino viuenti ſimile: nam ſi eſſet, nulla opus eſſet conuerſione eius in ſubſtantiam viuentis, nec poſſet de-

Digitized by Google

coqui à viuente, cùm nulla ſit actio inter omnino ſimilia.

Quinta eſt, vt non ſit omnino diſſimile, ſeu propter materiæ diſcrepantiam à ſubſtantia viuentis penitus abhorrens; ex quo intelligis lapides, metalla, &c. id genus, eſſe inepta ad nutritionem, cùm vix vel nullo pacto à viuente decoqui valeant, propter omnimodam naturæ diſſimilitudinem, & diſcrepantiam.

Obiicies, Struthionem indiſcreta quadam auiditate omnia ſibi appoſita deuorare, ipsúmque ferrum decoquere.

Reſpondeo: Struthionem non concoquere & conuertere ferrum in ſuam ſubſtantiam, ſed illud leuiter tranſmutare, & magna ex parte egerere, reliquis partibus paulò humidioribus, nēpe ſordibus ipſi ferro adiunctis, in ſuā ſubſtantiam conuerſis, quæ ipſi omnino diſſimiles non ſunt.

Poſtrema conditio eſt, vt alimentum ſit calidum & humidum: quæ conditio ex eo patet, quod alimentum viuenti quod alitur proportionatū eſſe debeat, atque adeo calidum & humidum, non ſecus ac viuens ipſum.

## ARTICVLVS QVINTVS.
### *De quibuſdam affectionibus facultatis Nutritiuæ.*

Rogabis primò quid ſit vita?

Reſpondet Ariſtoteles *eſſe permanentiam animæ vegetantis cum calore naturali*. Dicitur cum calore naturali, non quòd vita ſit actus caloris naturalis, ſed quia non poſſit conſiſtere, niſi illius beneficio. De vita potiſſimùm humana multæ affectiones à doctoribus traduntur, fragilitas à D. Aug. cap. 2. ſoliloquiorum, breuitas à D. Chryſ. multis in locis, vt homilia 9 in cap. 4. 2. ad Cor. pericula, inconſtantia, &c.

Rogabis ſecundò quid ſit mors?

Reſpondeo ex oppoſito, poſſe intelligi vt ſit receſſus animæ vegetantis à corpore, ob defectum caloris naturalis: vbi per receſſum & ſeparationem intelligenda eſt deſitio informationis, quia quantumuis anima eſſet prope corpus, ab eo tamen diceretur ſeparata, ſi illud informare deſineret.

Rogabis tertiò quotuplex ſit mors?

Reſpondeo, vniuerſim ab Ariſtotele duplicem ſtatui, naturalem & violentam, Naturalis eſt quæ ab extrinſeco oritur, deficiente nempe humido radicali: violenta verò eſt, quæ ab intrinſeco principio deducitur variiſque modis contingit, vt experientia docet.

Rogabis quartò, quænam ſint mortis præſagia?

Reſpondeo eſſe plurima, quæ ex profeſſo à Medicis traduntur: primum ſi vultus à ſtatu mutetur: ſecundum ſi oculi refugiant lumen, & collacrymentur: ſi ſurſum plus æquo attollantur, ſi vehementer ſubſideant, horrorémque excitēt: tertium, ſi morbidus ſenſuum officio priuetur: quartum, ſi linguam admodum nigram & craſſam habeat: quintum, ſi ex ore & naribus frigidum ſpiritum emittat: ſextum, ſi digiti præter modum, moueantur: ſeptimum ſi vngues ſint pallidi: octauum, ſi æger ſupinus incubet, genua arctè cōtrahat, brachiáque huc & illuc inæqualiter deiiciat, nonum ſi inſolita auiditate cibos deuoret, & decimū & poſtremum (alia enim Medicis relinquimus) ſi vrina ſit craſſa, nigra, tetri odoris, rubra, & valde tenuis; itémque ſi alia excremēta ſint ſanguinei vel viridis coloris.

Rogabis quintò quid ſint ſanitas & morbus?

Reſpondeo ſecundum Medicos nihil aliud eſſe, quàm debitum cuiuſque partis temperamentum: idcóque è contra-



Digitized by Google

rio morbum eſſe læſionem talis temperamenti, ſiue illa per exceſſum contingat, ſiue per defectum.

Rogabis ſextò quid ſit reſpiratio?

Reſpondeo eſſe attractionem aëris frigidioris ad temperandum calorem: cùm enim plus æquo æſtuat cor frigidioris aëris attractione temperatur.

Rogabis ſeptimò, an reſpiratio conueniat ſingulis animalibus; & de hac re controuertitur, quia 3. de partibus animalium cap. 3. videtur Ariſtoteles in quibuſdam tantùm animalibus, iis ſcilicet quæ pulmones habent, reſpirationem concedere; aliis verò potiſſimum piſcibus denegare: & non immeritò contra Anaxagoram, Diogenem, & alios, quia reſpiratio eſt duntaxat neceſſaria, vbi calor nimis abundat, nec poteſt temperari niſi aëris frigidi hauſtu: at verò pleráque animalia non plus æquo calore abundant; vel, ſi abûdent, vt fortaſſe piſces, illum hauſtu frigidæ aquæ ſufficienter temperant. Adde quòd piſces ſæpè diu profundis ſub aquis natent, adeóque per reſpirationem aërem attrahere nequeũt, quia in hoc tractu aquæ aëri obuiarent, éique ingreſſum impedirent.

Rogabis octauò, quid ſi ætas? Reſpondeo eſſe illud vitæ ſpatium quo corporis inſtitutio incipit notabiliter immutari, diuersáque ſuſcipere temperamenta.

Rogabis nono, quotuplex ſit ætas? Ariſtoteles lib. de vita & morte, tres ætates omnino conſtituit: primam augmenti quando adhuc viuens excreſcit: ſecundam conſiſtentiæ, quando nec accreſcit nec decreſcit: tertiam decremẽti, quã longius materiæ defluit & dilabitur quàm per nutritionẽ recuperetur.

Alij nec immeritò, diuidunt ętatem in quatuor generales ſpecies, quarum prima à natiuitate vſque ad annum viceſimũ quintum protenditur, & communi nomine adoleſcentia vocatur, eo quod propter humoris vbertatem corpora plurimum adoleſcant, eſt enim ætas hæc admodum humida, aliquando plus, aliquando minus, pro qua diuerſitate hæc prima ætas in quatuor alias conſcinditur: infantiam, quæ eſt à natiuitate ad annum quintum, & humore multum abundat: pueritiam minus humidam, ab anno quinto ad decimum: pubertatem ad decimum, quintum vſque annum exporrectam, & adoleſcentiam ad annum viceſimum quintum terminatam. Secunda ætas ab anno viceſimo quinto vſque ad 38. extenditur, & vocatur iuuentus, quæ ętas ſic dicta eſt, quòd homines propter membrorum & virium firmitatem Rempub. iuuare poſſint. Tertia ætas virilis dicitur in qua vires omnino firmatæ ſunt & temperie exquiſita vigẽt, quæ quidem in anno quinquageſimo deſinit.

Quarta ætas vocatur ſenectus, eáque duplex, vna ingraueſcens, altera decrepita. Ingraueſcens ab anno 50. ad 65. perducitur. Decrepita autem habet mortem pro termino.

Rogabis 10. quid ſit fames? Reſpondet Ariſtoteles 2. de anima cap. 3. famem eſſe appetitionem calidi & ſicci, oritur enim ex inanitate ventriculi nullo alimento repleti, quod quidem propterea alimentum deſiderat, vt talis inanitas repleatur.

Notandum verò circa hanc particulã calidi & ſicci, illam non eſſe ſimpliciter & abſolutè intelligendam, quaſi per famem appetamus tantùm calida & ſicca, cùm ſępè humida exoptemus, vt lactucas, & alia id genus alimenta, quæ conſtat eſſe humida: ſed intelligendam eſſe comparatè, ſcilicet facta comparatione ad ſitim quæ eſt appetitio frigidi

559

& humidi, vel ſaltem minus calidi, & ſicci.

Rogabis 11. quid ſit ſitis. Idem eodẽ loco reſpondet Ariſtot. eſſe appetitionem frigidi & humidi ad reparandum radicale humidum, quod exſiccatum eſt, ipſúmque calorem naturalem acrius ſæuientem temperandum.

Rogabis poſtremò, vnde in hominibus oriatur canities? Reſpondeo, oriri quando multa excrementa ad capillorum cutem deferuntur, quæ perfectè decoqui nequeunt ob caloris imbecillitatem, ideóque illic putreſcunt, ipſámque canitiem imprimunt.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*De facultate Accreſcendi, & ad eam pertinentibus.*

### ARTICVLVS PRIMVS.

*De nomine & varia acceptione facultatis accreſcendi & accretionis.*

VIrtus accreſcendi bifariam accipitur, primò communiter prout tã externam, rebus conuenientem, quæ appoſitione tantum materiæ augeſcũt, vt ſunt lapides, metalla, & res omnes aliæ inanimatæ, quàm internam ſolis competentem viuentibus, quæ intrinſecè, ſcilicet per ſuſceptum intus alimentum augentur: ſecundò ſpeciatim & propriè pro ſola virtute accreſcendi interna ſolis viuentibus conuenienti, quo modo illam hîc perpetuò vſurpabimus.

Similiter accretionis nomen variis modis ſumitur, primò latiſſimè pro quouis augmento, ſiue fiat in quantitate, ſiue in qualitate. Secundò paulò ſtrictiùs, fuſiùs tamen quàm par eſt, pro omni acquiſitione quantitatis, quocúmque modo fiat, ſiue intus ſuſcepto, piſpeuſatóque alimento: vt in viuentibus: acceſſione & appoſitione materiæ, vt in lapidibus, igne aliiſque rebus inanimatis. Tertiò, ſtrictè ſumitur pro acquiſitione interna quantitatis facta ab anima vegetante, ſuſcepto intus digeſtóque alimento, ſiue ea quantitas ſit maior, ſiue æqualis, ſiue minor illa quæ periit, & ita ſemper accretionem ſumemus.

### ARTICVLVS SECVNDVS.

*De exiſtentia facultatis accreſcendi & accretionis.*

QVòd detur facultas accreſcendi extra dubium eſt, quæ ſit cauſa efficiens eius à nemine pariter ignoratur, norunt enim omnes talem cauſam eſſe animam ſecundum gradum vegetandi, quatenus omnes facultates, nutritiuã, augmentatiuam & generatiuam ex ſuo ſinu profundit.

De ſubiecto in quo ſuſcipitur ne minima exiſtit controuerſia, cùm in materia viuentis inhæſiuè, & in toto viuẽte denominatiuè maneat, perinde ac aliæ omnes facultates corporeæ, aliáque accidentia corporea.

Pari modo quòd exiſtat accretio, à quo proficiſcatur, & in quo ſubiecto recipiatur, ne vmbra quidem difficultatis relinquitur præter illam quæ circa ſubiectum excitatur, an illud ſit totum viuens ſecundum omnes ſuas partes ſpectatum: vel quod alij ſic proponunt, an omnes viuentis partes augeantur. Affirmat Ariſt. 2 de ortu c. 5. textu 32. docétque experientia, re vera enim progreſſu temporis illæ omnes viuentis partes grandiores exiſtunt, quàm eſſent à principio.

Fauet ratio, quia per omnes corporis partes venæ quædam ſpargũtur, quæ ſanguinem deferunt omnibus illis corporis partibus, quo nutriantur & conſequenter augeſcant.

Digitized by Google

Notandum verò eadem experientia conſtare omnes viuentis partes non æqualiter augeri, ſiquidem in ampliorē lōgè molē abeunt brachia quàm digiti licet hi proinde ac brachia in omnem dimenſionem excreſcant, in longum ſcilicet, latum, & profundum.

Quæri etiam ſolet, an accretio toto vitæ tempore, fiat, ſiue diſcretè, ſiue continuè. Sed huius quæſtionis ſolutio patet ex dictis de animæ vegetantis affectionibus art. 1. memb. 3. patebítque ex infrà dicendis.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De eſſentia facultatis Accreſcendi & accretionis.*

FAcultas accreſcendi non eſt aliud, quàm ea virtus quâ ſuſcepto intus alimento viuens ad maiorem extenſionem perducitur. Accretio eſt actio animæ vegetantis mediante tali facultate augmentatiua & calore naturali, vnde ſic definiri poteſt: *Accretio eſt motus vitalis ab anima vegetāte ortus beneficio facultatis augmentatiuæ, & caloris naturalis, quo ſuſcepto intus digeſtóque alimento, idem numero viuens à minori ad maiorem quantitatem promouetur, vt ſuæ naturæ conſentaneè operari poſſit.* Quæ quidem definitio cauſalis dici poteſt, quòd indicet quatuor cauſas accretionis. Materialem viuens, quod à minori ad maiorem quantitatem promouetur. Formalem, eam nempe eſſentiam quę tradita definitione explicata eſt. Efficientem principalem, animam vegetantem; & inſtrumentarias, facultatem augmentatiuam, & calorem naturalem, finalē denique, quod ſcilicet viuens ſuæ naturæ congruenter operari poſſit.

Solum dubitatur circa particulam illam quâ accretio dicitur motus, quia arbitrantur nonnulli, vt Auerroës in 3. phyſic. comm, 8. Albertus Magnus, Iauellus, Toletus, & alij, accretionem in inſtanti fieri, quemadmodum in inſtanti materia exhibetur diſpoſita, vt conuertatur in ſubſtantiam viuentis, & ea conuerſa viuens augmentum ſumat.

Contrarium tamen eſt Ariſtotelis 1. de generatione cap. 5 definientis accretionē motum ad quantitatem, proindèque exiſtimantis accretionem nō fieri in inſtanti, ſed ſucceſſiuè, cùm ad motum ſucceſſio requiratur ex dictis de motu.

Fauet ratio, conuerſio alimenti in viuentis ſubſtantiam fit ſucceſſiuè, ita vt prius vna pars conuertatur, quàm alia, ergo & accretio, quæ cum tali conuerſione neceſſariò coniuncta eſt. Probatur antecedens, alimentum ſecundum omnes ſuas partes non æquè primò diſponitur ad ſuſcipiendam viuentis formam, quia non ab agente naturali attingitur, ſed aliæ partes magis, aliæ minus, ideóque ſucceſſiuè, ergo conuerſio alimenti, &c.

Occurres, nutritio ſumpta pro conuerſione alimenti in ſubſtantiam viuentis, fit in inſtanti, ergo & accretio quæ cum illa neceſſariò connectitur. Probatur antecedens, generatio perficitur in inſtanti, vt in proprio loco diximus, ſed nutritio eſt generatio, ſaltē partialis, ex ſupradictis, ergo ſic ſūpta, fit in inſtanti.

Reſpondeo negando antecedens, & diſtinguendo maiorem probationis, generatio fit in inſtanti ſi ſpectetur ex parte formæ, quæ per generationem producitur, admitto: ſi verò ſpectetur magnitudo materiæ in quam forma inducitur, prius in vnam partem, vt potè prius diſpoſitam quàm in aliam, vtpotè poſterius diſpoſitam, nego: quomodo contendimus nutritionem ſumptam pro conuerſione alimenti in viuentis

uentis

uentis ſubſtantiam, proindéque & ipſam accretionem fieri ſucceſſiuè.

Rurſus vrgebis Ariſtotelem 8. phyſ. cap. 3. textu 33. docere res neque accreſcere, neque decreſcere continenter. Reſpondeo per continenter Ariſtotelem intelligere perpetuò, & inceſſanter toto vitæ tempore, quo pacto fatemur accretionem non eſſe continuam.

Denique inſtabis, nos ſupra agentes de facultatibus animæ vegetantis, ſtatuiſſe accretionem fieri toto vitæ tempore, ergo malè expoſuimus Ariſtotelē loco citato. Reſpondeo ad antecedēs, nos ſupra dixiſſe accretionem fieri toto vitę tempore, eam ſumendo non tātùm pro actuali viuentis augmento, ſed ſimul pro actionibus præuiis, quibus diſponitur materia alimenti, vt cōuertatur in viuentis ſubſtantiam, & conſequenter viuens augeſcat, hoc autem loco nos ſtrictius ſumere accretionem pro actuali viuentis augmento, proindéque nihil nos nobis ipſis repugnare.

## ARTICVLVS QVARTVS.

*De affectionibus facultatis accreſcendi & accretionis.*

### MEMBRVM PRIMVM.

*Quomodo idem numero viuens toto nutritionis & accretionis tempore maneat.*

Difficultatis occaſionem præbuit Ariſtoteles 1. de generatione cap. 5. quando dixit ſubiectum quod nutritur, & conſequenter accreſcit, manere idem ſecundum partes formales, non tamen ſecundum materiales: in cuius loci explicatione multi doctiſſimíque viri laborant. D. Thom. prima parte, q. 119. art. 1. vult Ariſtotelem per partes materiales intelligere integrantes, vt ſunt hæ ſecundum conditiones indiuiduales, vt ſunt hæ numero, & ita docere eaſdem non remanere de facto, quia effluxu continuo quarumdam & aliarum ſimilium acceſſione, itentidem mutantur: per partes verò formales intelligere eaſdem partes integrantes abſolutè conſideratas, & ita ſtatuere viuens toto nutritionis tēpore, ſecundum eas partes idem manere, quia ſuas ſemper partes integrantes habet, ſiue eaſdem numero, ſiue diuerſas: nec improbabilis eſt, & aliena ab Ariſtotelis mente hæc expoſitio. Albertus magnus de generatione tract. 3. cap. 8. arbitratur per partes materiales, non organicas, verbi gratia, carnē fuiſſe ab Ariſtotele intellectas, cùm in illis maxima reperiatur mutatio, corruptis quibuſdam partibus, & aliis per nutritionē in locū priorum partiū ſubrogatis: per partes verò formales Ariſtotelem intellexiſſe partes organicas, verbi gratia oculum, naſum, aures, & ſimiles: ideóque docuiſſe viuens ſecundùm eas partes idem manere toto nutritionis & accretionis tempore, quòd iiſdem ſemper conſtet partibus, nec vllam in iis mutationem ſubeat.

Alij denique, & melius, adhuc diſtinguunt duplices viuentium partes: alias primigenias, ſeu ſpermaticas, quæ per virtutem generatiuam efformātur ſtatim atque viuens elaborari incipit, ante ipſam animæ introductionem: alias eſſe alimentitias, quæ per nutritionem & conuerſionem alimenti primigeuij continuantur. Hinc ſic exponunt Ariſtotelem, viuens manere idem toto nutritionis & accretionis tempore ſecundùm partes primigenias, & ſpermaticas, quia illæ ſemper manent & nunquam mutantur, vt ex eo videre eſt: quod ſi quædam maculæ & cicatrices à prima origine aliquibus viuentis partibus extiterint, illæ per totum vi-

tæ tempus permaneant:non autem ſecundùm alimentitias quæ fluxum perennem patiuntur.

## MEMBRVM SECVNDVM.

*An quod ſemel corruptum eſt, poſſit reparari.*

PEr nutritionem & accretionem ſubſtantię,& quantitatis, partes acquiruntur, vt in locum deperditarum ſubrogentur.Huius rei cauſa quæſtio proponitur,an pars corrupta poſſit eadem numero redire:& generalius, an quod deſtructum eſt, ſiue permanens, ſiue ſucceſſiuum, poſſit iterum idem numero reſtaurari.

Præter Platonicos qui arbitrati ſunt, teſte D. Auguſt. 12. de Ciuit. cap. 13. confectis aſtrorum cœlorumque curſibus,& peracto magno anno(qui eſt reuolutio integra firmamenti) quæcumque perierunt eſſe reditura,hanc vrbẽ, hoc collegium Pleſſæum,vt omnes mei auditores, meipſum docentem in eo Collegio: ex ſcholaſticis mira fuit diſſenſio & diuiſio, quam prætermittimus, vt certas propoſitiones ſtatuamus.

*Prima propoſitio.*

IDem numero quod deſtructum eſt, nequit reparari. Fundamentum huius propoſitionis eſt illud qnod poſuimus agendo de cauſa efficiente, nempe ſingularitatem effectus,ſaltem naturaliter loquẽdo,peti à ſingularitate agentis,& actionis, quâ producitur:quæ quidem actio naturæ viribus redire non poteſt eadem numero,cùm ſit coniuncta cum duratione vel ſucceſſiua, vel inſtantanea, quæ non poteſt eadem numero reproduci naturaliter, aliàs naturæ facultate dies heſternus poſſet redire,& eſſe hodiernus, & ſic præteritum fiet præſens, qnod conſtat naturæ vires ſuperare.

Notandum verò cùm dicimus idem numero quod periit non poſſe naturaliter reſtaurari, id intelligi de toto, puta toto homine vel equo,alióque ſimili compoſito naturali:nam pars aliqua, verbi gratia auris à toto auulſa poteſt eadem numero reproduci, eademque anima informari, vt omnes conſentiunt.

*Secunda propoſitio.*

PRobabilius eſt per diuinam potentiam idem numero quod corruptũ eſt in rebus permanentibus poſſe reproduci.

Probatur primò ex myſterio Reſurrectionis, in qua tenemus eundem numero hominem qui vita functus eſt, iterum reſurgere & reparari, quod eſt noſtra concluſio.

Accedit ratio, non implicat contradictionem idem numero quod deſtructum eſt reparari, ergo id per diuinam potentiam fieri poteſt. Probatur antecedens: ſi ſit aliqua repugnantia, vel ſumitur ex parte Dei, & hoc non, quia Deus poſt productam aliquam creaturam, non eſt minoris potentiæ, quàm priùs; & ſic quantum ex ſe eſt, poteſt illam reproducere:vel ſumitur ex parte creaturę, & hoc etiam falſum eſt, quia creatura illa producta, & poſtea deſtructa,ſemper remanet poſſibilis,vt producatur, ſicut magis apparebit in ſolutione obiectionum,quę hanc contradictionem nititur oſtendere.

Confirmatur, materia habet eſſentialem potentiam ad formam entium præteritam, ergo hæc ſaltem virtute diuina reproduci poteſt, nec eſt omnino impoſſibilis, alioqui diceremus naturæ potentiam extendi ad impoſſibilia quod nemo admiſerit.

Obiicies primò, res non poteſt habere duplicem durationem, ergo ſemel producta, & poſtea corrupta, re-

Digitized by Google

571

produci non poteſt. Conſequentia eſt clara, quia ſi reproduceretur, iam in alia duratione eſſe inciperet ab ea in qua producta fuiſſet. Antecedens verò facilem habet probationem: Nulla res poteſt habere duplicem exiſtentiam, alioqui bis diceretur eſſe, ergo nec duplicem durationem, cùm etiam ſit vnũ & idem cum duratione.

Reſpondeo diſtinctione antecedentis: eadem res non poteſt habere duplicem durationem; ſimul, concedo, vnam poſt aliam nego, ita vt inter vtrámque aliquid interponatur. Ad probationem nego conſequentiam; quia licet exiſtentia rei durantis ſit ſemper per coniuncta cum aliqua duratione, hac vel illa, non tamen cum vna determinatè. Adde quod non videtur implicare contradictionem quominus eadem duratio redeat, vt poſtea docebitur, proindéque, vt ſit vna duratio, ſicut vna exiſtentia.

Secundò obiicies, ſi idem numero effectus redire poteſt, poteſt redire eadem actio, & idem tempus: hoc falsũ, ergo & illud.

Quicquid ſit de maiore, minorem negamus, quia vt dictum eſt, & docebitur poſtea, eadem res ſucceſſiua etiam numero poteſt reproduci.

Tertiò obiicit Durandus: Non eſt maior potẽtia Dei liberè agentis, quàm ſi ageret neceſſitate naturæ; ſed ſi ageret ex neceſſitate naturæ, non poſſet idem numero quod corruptum eſt reparare, ergo, &c. Minorem dupliciter.

Probat primò, ſi Deus ageret ex naturæ impetu; ageret iuxta modum creaturarum, ergo quemadmodum illæ nõ poſſunt eandem rem numero corruptã reproducere, ita nec Deus poſſet. Secundò, ſi per impoſſibile generatio Verbi Diuini, quæ eſt neceſſaria, interrumperetur, & Verbum ipſum diuinum deſineret, nulla vi à ſuo Patre reproduci poſſet, ergo Deus agens ex neceſſitate naturæ non poteſt idem numero quod periit reſtaurare.

Reſponderi poteſt primò negatione maioris, quia facta hypotheſi quod Deus operaretur neceſſariò, ſupple, in rerum creatione, iam deſineret eſſe Deus, & conſequenter non haberet potentiam infinitam, ſicut nunc habet, cùm agit liberè & per modum voluntatis.

Deinde reſpondeo, ſi admittatur hypotheſis impoſſibilis, Deum videlicet manere æquè potentem, ſi ageret ex neceſſitate naturæ, ac nunc, cùm agit liberè, minorem eſſe falſam: quia tunc vt Deus, haberet potentiam infinitam: ſupra modum creaturarum operari poteſt, & quod ab ipſis creaturis per generationem productum eſt, poſteà verò corruptum per creationem reſtaurare, quę eſt ſolutio prioris probationis minoris negatæ. Ad poſteriorem partem probationis dico manendo in eadem hypotheſi impoſſibili, quod Pater diuinus interrũperet generationẽ Verbi ſui, ipſúmque Verbũ periret; & tamẽ quæ prius erat in Patre generãdi potentia, remaneret, iterum diuinum ipſum Patrem generare poſſe Filium, nec in hoc vllam repugnantiam aut difficultatem apparere.

Reliquæ obiectiones, quæ tum apud Durandum, tum apud alios noſtræ propoſitione aduerſantes legi poſſunt, parum vrgent, quia totam contradictionem, cur idem numero effectus, poſtquam corruptus eſt reproduci poſſit, non conantur aperire, ex eo quod idẽ non eſſet & eſſet, non eſſet, quia pręteritum eſſet; eſſet verò, quia præſens: item quia bis realiter idem exiſteret: quæ quæ quidem omnia non ſunt contradictoria, non primum, quia aliquid



Digitized by Google

eſſe, & non eſſe tantum contradictorium eſt in eodem tempore, & eodem reſpectu, non autem diuerſis temporibus, & reſpectibus, quomodo id quod corruptum eſt & poſtea reproductum, diceretur eſſe, & non eſſe: eſſe quatenus præſens, non eſſe verò quatenus præteritum, abſolutè tamen diceretur præteritum quod præteritum eſſet, quia ex hypotheſi factum eſſet præſens, quãquam non vt prgteritum.

Non etiam ſecundùm, quia idem, verbi gratia Angelum bis exiſtere, non eſſet exiſtere per duplicem exiſtentiã, quod tamen ſolum videri poteſt abſurdum, ſed per eamdem, vel in duplici ratione, vel in vna pariter reproducta.

*Tertia propoſitio.*

PRobabilius eſt, etiam iuxta Aureoli ſententiam, res ſucceſſiuas, tempus & motum, per diuinam potentiam poſſe reproduci eaſdem numero: fundamentum eſt, quia nulla apparet cõtradictio: ergo id Deus præſtare poteſt: nullam autem apparere contradictionem patebit ex ſolutione obiectionũ.

Obiicies itaque primò, ad vnitatem rei ſucceſſiuæ, vt ſunt motus & tempus, vnitas continuitatis, & ſucceſſionis neceſſariò requiritur, adeò vt non poſſit vnus motus, & vnum tempus eſſe, niſi ſit vna continuitas & vna ſucceſſio, cũ ſucceſſio & continuitas ſint de eorum eſſẽtia: atqui ſi motus & tempus reproduceretur, non eſſet vna continuitas & vna ſucceſſio quia illa interrumperentur tota illa diſtantia quâ perſiſteret corruptio ipſius motus & temporis, igitur non poſſet eſſe idem motus numero, nec pariter idem tempus.

Reſpondeo negando minorem, licet enim non flueret ſemper tempus, nec motus ſemper duraret, attamen eadem eſſet ſemper numero ſucceſſio, eadémque continuitas, quia ſimul cum tempore & motu eadem numero reproducerentur.

Secundò obiicies, prgteritum non poteſt non eſſe præteritum, ergo non poteſt fieri pręſens, & proinde idem numero reproducit nequit.

Conceſſo antecedente de præterito eo modo quo præteritum eſt, diſtinguẽda eſt conſequentia, ergo præteritum non poteſt fieri præſens, vt prgteritũ, ſiue ſub ea ratione quâ præteritum eſt, concedo quod præteritum, nego.

Denique obiicit Durandus. Faciliùs eſt rem conſeruare ne corrumpatur; quàm corruptam reparare, ſed nequit Deus rem ſucceſſiuam præſeruare ne corrumpatur quia ſi conſeruetur & cohibeatur eius fluxus, iam non erit ſucceſſiua, ſed permanens, ergo nec poterit rem ſucceſſiuam ſemel corruptam reproducere.

Reſpondeo vniuerſim loquendo maiorem eſſe falſam: nam rem corruptam reproducere non pugnat contra eius naturam, ideóque hoc difficilius eſt quàm illud.

## MEMBRVM TERTIVM.

*An per rarefactionem acquiratur quantitas, & condenſationem deperdatur.*

REſpondeo nullam planè quantitatem per rarefactionem acquiri, nullámque per condenſationem deperdi.

Probatur, quantitas eſt perpetua materiæ comes, ab ea ſaltem naturaliter inſeparabilis, ergo aduenire nequit quantitas niſi adueniat materia, nec deperdi, niſi quoque ipſa materia deperdatur: atqui per rarefactionem nulla materia acquiritur, aut per condenſationem deperditur, quia oportet nouam materiam creari, & aliquam annihilari, cùm ſola creatione producatur materia, ſoláque annihilatione deper-

datur, ergo, &c.

Obiicies primò, per rarefactionem fit maior quantitas, verbi gratia pedalis fit bipedalis aqua ebulliente, & per condenſationem minor, verbi gratia bipedalis fit tantùm pedalis aqua ebullire deſinente, ergo, &c.

Neganda eſt conſequentia, fit enim maior quantitas ſine quantitate noua per ſolam maiorem dilationem partiũ, quæ magis erant conſtrictæ, minórque fit ſine iactura quantitatis per ſolam conſtrictionem partium quæ prius erãt magis dilatatæ.

Secundò obiicies, multiplicatio pũctorum, eorúmque acquiſitio arguit multiplicationem & acquiſitionem quantitatis, atqui per rarefactionem multiplicantur puncta, nouáque acquiruntur, ergo & per eandem multiplicatur quantitas & noua acquiritur. Maior patet, quia cùm puncta ſint copula quãtitatis, & eius terminus, nullibi ponuntur niſi & ipſa quantitas ponatur. Minor verò probatur exemplo aquæ in vaſe ebullientis, quæ vbi rarefacta eſt, præter puncta illa quę illi inerant, quæque reſpondebant punctis ipſius vaſis, iuxta magnitudinem ſecundum quam in illo continebatur, obtinet noua puncta correſpondentia aliis punctis eiuſdem vaſis, ſecundum illam magnitudinem in qua tantum incepit poſt rarefactionem exiſtere: ergo ſignum eſt puncta illa per rarefactionem fuiſſe multiplicata, nouáque producta. Pari facilitate, ſed contrario argumento, probaueris per condenſationem fieri iacturam quantitatis.

Reſpondeo conceſſa maiori negando minorem; ſi quidem citra vllam pũctorum acquiſitionem puncta, illa quę apparuerunt poſt rarefactionem, intra ipſam quantitatem, vbi magis erat compacta, latuiſſe, ac poſtea ſuperficie, apparuiſſe, aliiſque maioris ſpatij pũctis reſpondiſſe facilè intelliguntur.

## MEMBRVM QVARTVM.

*De terminis Magnitudinis, & Paruitatis.*

PRopter accretionem hæc quæſtio proponitur, ex occaſione tamen ad alia extenditur, & ſub generaliori ratione tractabitur de terminis, ſcilicet magnitudinis & paruitatis ſingulis corporibus: pro cuius quæſtionis celebritate.

Notandum eſt primò quatuor dari terminos quibus res definiuntur, duos magnitudinis, totidémque paruitatis; duorúmque iſtorum terminorum, tam in magnitudine, quam in paruitate, alium dici intrinſecum & poſitiuum, alium externum, & negatiuum.

Internus magnitudinis terminus eſt ille, ſub quo res conſiſtere poteſt, non non autem ſub maiori, ſicut è contra internus paruitatis eſt ille, ſub quo res conſiſtere poteſt, & non ſub minori. Prior vocatur, *Maximum quod ſit*, itémque dicitur poſitiuus, & internus quòd ſub eo res ponatur: poſterior *Minimum quod ſic*, itémque poſitiuus, & internus, quia ſimiliter ſub eo res dicitur poni.

Externus verò & negatiuus magnitudinis terminus, qui & *minimum quod non* dicitur, is eſt ſub quo res contineri nequit, poteſt tamen ſub minori: ſicut ex aduerſo terminus extrinſecus & negatiuus paruitatis alter *maximum quod non*, eſt ille, ſub quo res nequit exiſtere, ſed tantum ſub maiori.

Notandum ſecundò res naturales, ſiue viuentes, ſiue vitæ expertes, duobus modis conſiderari poſſe, vel in ſpecie, vel in indiuiduo, & de illis vtróque modo conſideratis quæſtionem inſtitui, quibus terminis, tam ſecundum magnitudinem, quàm paruitatem de-



Digitized by Google

finiantur; aliud enim eſt quærere, an hic vel ille homo, Petrus videlicet & Paulus, an verò homo in communi & abſolutè ſit certis quibuſdam magnitudinis & paruitatis limitibus circumſcriptus.

Notandum tertiò terminos illos magnitudinis & paruitatis rem poſſe definire, & quatenus ſpectatur in fieri, & generari, & quatenus ſpectatur in conſeruari: Certum enim eſt aliam eſſe magnitudinem, ſub qua res naturalis oritur, aliam ad quam promouetur & ſub qua conſeruatur.

Notandum quartò rerum inanimitarum alias ex viuentibus progigni, vt cadauera, & ligna emortua; alias non, vt lapides, metalla, & alia eiuſmodi.

Notandum poſtremò quæſtionem propoſitam tantum intelligi de via ordinaria, ſcilicet ſecundum naturæ legem, an res aliquos habeant terminos magnitudinis & paruitatis, non tamē de extraordinaria, quia ſecundum illam certum eſt rem quamlibet naturalem poſſe ſemper augeri & minui, & ſic nullum terminum tam ſecundum magnitudinem quàm paruitatem habere. Quibus omnibus ſic notatis, ſit.

*Prima propoſitio.*

RES omnes viuentes & animatæ habent internum magnitudinis & paruitatis terminum, ſeu *maximum quod ſic. & minimum quod ſic*, tam quoad generationem, quàm quoad conſeruationem.

Probatur: illud dicitur tam quoad generationem quàm conſeruationem habere internum magnitudinis & paruitatis terminum, quod non poteſt ſub quacumque magnitudine & paruitate generari & conſeruari; quia verum eſt dicere quod ſub aliqua magnitudine generari & conſeruari poſſint, non autem ſub maiori vel minori: atqui res viuentes non poſſunt ſub quacumque magnitudine vel paruitate generari & conſeruari, verbi gratia homo, (idémque ſit iudiciū de aliis viuentibus,) ſub magnitudine ſummi montis, vel paruitate formicæ, ergo, &c.

Obiicies, non poteſt viuens, verbigratia homo, ad tantam magnitudinē perduci, vt ad maiorem promouere ſe non poſſit, ergo poteſt data qualibet quantitate ſub maiori manere & conſeruari, proindéque quoad conſeruationem, non habet terminum intrinſecum magnitudinis.

Probatur antecedens ponatur homo verbi gratia ſub qualibet quantitate, poteſt alimentum ſumere, & illud in ſuam ſubſtantiam conuertere, ergo & augeri cùm accretio viuentis ſequatur neceſſariò eius nutritionem & conuerſionem alimenti in ſuam ſubſtantiam.

Reſpondeo negando antecedēs, progreſſu enim fiet, vt virtus nutritiua adeò debilitetur, & natiuus calor immarceſcat, vt vel nihil alimenti decoquatur, & in viuentis ſubſtantiā traſmutetur, vel ſi quid concoquatur, vix ſufficiat ad reſarcienda damna, & materiæ fluxum.

*Secunda propoſitio.*

RES inanimatę quæ ex viuentibus progignuntur, tam quoad generationem, quàm quoad conſeruationem, habent intrinſecum ſuæ magnitudinis terminum Quoad generationem patet: res iſtæ inanimatæ vt cadauera & ligna emortua oriuntur tantùm ex viuentibus: ergo quemadmodum viuentia ipſa non excreſcunt in infinitum, ſed certum ac internum ſuæ magnitudinis habent limitem, ita etiam ipſæ res inanimatæ ex illis ortæ habebunt internum ſuæ magnitudinis terminū, nec poterunt ſub maiori ac maiori ſēper magnitudine oriri.

Digitized by Google

Quo ad conſeruationem verò probatur, res illæ inanimatæ ex animatis ortæ non accreſcunt, quia non habent vim conuertendi in ſe alia corpora, ſed ipſæ potiùs in alia ſoluuntur, ergo non poſſunt ſemper excreſcere, & ſub quacunque magnitudine conſeruari, proindéque quo ad conſeruationẽ intrinſecum habeat ſuæ magnitudinis terminum.

*Tertia propoſitio.*

NVlla res inanimata ex viuentibus non orta habet intrinſecum ſuæ magnitudinis terminum, tam quoad generationem, quàm quoad conſeruationem, habet tamen paruitatis. Prior pars probatur. Illud nullum habet internum ſuæ magnitudinis terminum, tam quoad generationẽ, quàm quoad conſeruationem, quod ſub maiori, & maiore ſemper quantitate poteſt generari & conſeruari, ſed res omnes inanimatæ ex viuentibus non ortæ, data qualibet quantitate, ſub maiori & maiori adhuc generari & conſeruari poſſunt, quia tantùm abeſt vt copia materiæ impedimento ſit, quin potius iuuat, igníſque verbi gratia in maiori copia vegetior eſt, & ad compellendũ contrarium robuſtior, quàm ſi eſſet in minori quantitate genus, in eáque cõſiſteret ergo, &c.

Poſterior verò pars probatur, natura res quaſlibet procreare ſolet in eo ſtatu in quo ſuas operationes exercere poſſint: atqui res inanimatæ prædictæ ſub qualibet paruitate non poſſunt operationes ſuas exercere, ſed ad hoc poſtulant certam quamdam magnitudinem, ergo habent paruitatis terminum.

Obiicies, ignis & aqua, aliæque res inanimatæ ſunt in infinitum diuiſibiles in partes minores & minores, ergo non habent internum paruitatis terminũ.

Diſtinguo antecedens, ignis, aqua & aliæ res inanimatæ ſunt in infinitum diuiſibiles in maiores & minores partes: ſi earum quantitas ſpectetur, concedo: ſi natura, quæ in tam parua quãtitate conſiſtere nequit, nego.

## QVÆSTIO TERTIA.

*De facultate Generatiua, & ad illam pertinentibus.*

IN doctrina Ariſt. 2. de anima cap. 4. facultas generatiua eſt potentia animæ vegetantis, qua viuens ſibi ſimile in ſpecie producit ad ipſius ſpeciei conſeruationem. Quæ vltima verba ſtatuunt diſcrimen facultatis generatiuę à nutritiua, & augmentatiua, vt ſatis conſtat ex præcedentibus.

Notandum verò hanc facultatis generatiuæ definitionem non omni planè competere, ſed tantùm dicitur principium generationis perfectè vniuocæ.

Datur enim aliqua generatio imperfectè tantùm vniuoca, qua non producitur viuens ſimile ſuæ cauſæ niſi in gradu generico, vt generatio muli ex equa & aſino, & huius generationis principio non conuenit facultatis generatiuæ definitio.

Igitur ſi volueris illam definire communiter, vt vtrámque facultatem generatiuam perfectè, & imperfectè vniuocam comprehendit, his vtere verbis *potentia generandi eſt facultas animæ vegetantis, qua viuens producit ſibi ſimile ſiue in genere, ſiue in ſpecie, ad ipſius ſpeciei vel generis conſeruationem.* Hæc ad explicationem facultatis generatiuæ, quædam de eius actione, déque ſemine, ac demum de ſimilitudine quæ inter parentes intercedit, ſubiicienda ſunt.

### ARTICVLVS PRIMVS.

*De ipſa Generatione.*

SVpponimus hic non eſſe ſermonem de Generatione latè ſumpta, vt tam

accidentalem, quàm ſubſtantialem cōplectitur, nec de illa ſumpta pro omni & ſola ſubſtantiarum generatione, primo ſenſu de illis actum eſt in libris de generatione & corruptione, ſed tantū de generatione viuentium ex viuentibus; in qua acceptione D. Thomas, q. 27. art. 2. eam definit: *Proceſſionem viuentis à viuente principio coniuncto, in ſimilitudinem naturæ.*

Dicitur primò, *proceſſio viuentis*, ad excludendam rerum inanimatarum productionem: dicitur ſecundò, *à viuente*, vt remoueatur productio viuētium à non viuentibus, vt ranarum, nēpe à Sole.

Additur tertiò, *principio*, non quidem materiali, aliàs productio Euæ ex coſta Adæ diceretur generatio, & Adam pater ipſius Euæ, quod nemo vnquam dixit, ſed actiuo & efficienti, qualis eſt homo alium hominem generans.

Quartò ponitur, *coniuncto*, per quam particulam indicatur viuens genitum debere aliqua ratione eſſe de interna ſubſtantia principij generantis, ac in eo debuiſſe aliquo pacto ante generationem exiſtere, ratione ſcilicet ſeminis ex ipſo generante deciſi. In quo diſtinguitur generatio à productione viuentium ex viuentibus principiis, non tamen coniunctis, vt ſunt productiones Angelorum & hominum à Deo.

Additur quintò *in naturæ ſimilitudinē*, ſiue numericam, quo modo Filius generatur ſimilis Patri ſuo in diuinis, ſiue ſpecificam, quo modo Paulus generatur Petro ſimilis; ſiue dēmum genericam, qua ratione mulus generatur ſimilis equæ & aſino.

Hoc ſenſu patet definiri generationem in communi, vt vniuocam perfectè, & imperfectè vniuocam complectitur: quod ſi ad perfectè vniuocam ſiue increatam, ſiue creatam reſtringatur, per ſimilitudinem intelligenda tantùm erit, vel ſimilitudo numerica, vt in generatione ęterna, & increata diuini Verbi à Patre ſuo, vel ſpecifica, vt in creatis generationibus perfectè vniuocis, puta Pauli à Petro, & ſic de aliis.

Addunt aliqui hanc particulam, ex vi proceſſionis, dicúntque ad generationem propriè dictam non ſufficere, quod ſit proceſſio viuentis à viuente principio coniuncto, in naturæ ſimilitudinem, ſed prętereà requiri, vt talis ſimilitudo oriatur ex vi proceſſionis, vt ſcilicet excludant proceſſionem Spiritus ſancti à Patre & Filio, quia licet illa ſit proceſſio viuentis à viuente principio coniuncto, in ſimilitudinem naturæ, ſimilitudo tamen illa non oriatur ex vi proceſſionis; cùm ipſe Spiritus ſanctus procedat per voluntatem & per modum amoris, voluntas autē ſibi ſimile non producat. Ideóque Spiritus ſanctus ſit ſimilis Patri & Filio tantùm identicè, quatenus voluntas, & id quod per illam producitur ſunt eiuſdem naturæ cum Deo.

Rogabis primò an generatio ſit actio vitalis?

Reſpondeo affirmatiuè, probóque: actio vitalis ea dicitur quæ à vitæ principio, ſeu anima proficiſcitur: ſed talis eſt generatio proficiſcens ab anima, mediante generatiua facultate, non ſecus ac intellectus mediante intellectu, ergo generatio eſt actio vitalis.

Rogabis ſecundò vtrum generatio ab Angelo, vel dęmone eſſe poſſit. Diſtinguendum eſt, generatio à dæmone eſſe non poteſt propria virtute, aliena poteſt, ſeu per ſemen aliunde abreptū.

Prior pars oſtenditur, vt aliquid propria virtute dicatur generare, debet habere ſemen; at dæmon ſemen habere non poteſt, ergo, &c.

Probatur

Digitized by Google

574

Probatur maior: eius eſt actus, cuius eſt potentia, ſed potentia generandi eſt in ſemine, vt ſtatim tradetur, ergo is tantùm generare poteſt qui ſemen habet. Minor verò declaratur, ſemen eſt ſubſtantia quædam corporea, relicta ex ſuperfluo alimenti poſt tertiam cōcoctionem, vt ſuprà diximus, & docet Ariſtoteles primo de generatione animalium cap. 18. atqui nulla talis ſubſtantia corporea in dæmonibus admitti poteſt. cùm ſint omnino ſpiritales, vt docebimus in Metaphyſica, ergo, &c.

Atque ſimili ratione probari poteſt dæmonem non modò non poſſe generare, ſed nec vllam poſſe vitalem actionem exercere, quòd ſcilicet careat principio vitali, nempe anima & facultatibus vitalibus ipſius animę.

Poſterior verò pars patet: ſiquidem poteſt dæmon effuſum in terra ſemen excipere, illúdque conſeruare, tum tranſmittere in vterum fœminę, vt illic efformetur fœtus. Quamquam alij negent fœtum poſſe illic efformari, eo quod virtus ſeminalis reſideat in tenuiſſimis partibus ſeminis, ſubtiliſſimis ſcilicet ſpiritibus, qui tranſlati ſtatim euaneſcunt. Quorum ſententiam nec omninò improbo, nec abſolutè approbo, ſed vobis ad libitum amplectendam relinquo.

Rogabis tertiò vtrum ad generationem ſolus vir effectiuè concurrat, an verò femina? D. Thomas, Caietanus, Durandus & alij volunt ſolum marem effectiuè concurrere ad generationem, fœminam verò paſſiuè tantum, & per modum ſubiecti ſemen recipientis, nullum verò ſemen exhibere.

Oppoſitam verò ſententiam magna conſenſione amplectitur tota Schola Medicorum cum ſuis ducibus Hippocrate libello de genitura, Galeno lib. 6. de locis affectis cap. 5. vtrumque parentem, marem ſcilicet & feminam actiuè concurrere ad generationem, & ſemen exhibere.

Probatur, formæ eiuſdem ſpeciei ſortiuntur facultates eiuſdem rationis: ſed in mare & femina ſunt formæ eiuſdem naturæ & ſpeciei, ergo & eædem facultates; proindéque cùm in mare facultas actiua generandi ſemini inſidens detur ratione cuius dicitur actiuè ad generationem concurrere, ita etiam dabitur in fœmina.

Confirmatur primò, fœtus, non ſolius maris, ſed etiam fœminæ refert ſimilitudinem, ergo cùm illa ſimilitudo oriatur ex virtute formatrice ſemini inexiſtente, mas & fœmina actiuè concurrunt ad generationem ſemen exhibendo.

Confirmatur ſecundò communi traditione anatomiſtarum, qui ſuis diſſectionibus euidenter demonſtrant gigni verum ſemen à fœminis, licet minus perfectum, quàm à viris, ita vt ex duplici illo ſemine maris & fœminæ, tanquam ex duplici cauſa partiali, altera perfectiori, altera minus perfecta, vna totalis cauſa fiat.

Obiicies ſi mulier in generatione ſemen exhiberet, cùm etiam ipſa patiatur, ſe ſola citra maris operam poſſet generare fœtum: at conſequens falſum, ergo & antecedens.

Reſpondeo negando ſequelam maioris, quia ſemen quod exhibetur à ſola fœmina habet tantùm vim imperfectam & incompletam, ad producendū fœtum, non autem completam, vt diximus.

Inſtabis, partialem illam virtutem ſemini muliebri inexiſtentem poſſe ita augeri, vt ſufficiat ad generationem fœtus ſine vllo maris adminiculo.

Reſpondeo, quicquid ſit de potentia



Digitized by Google

Dei abſoluta ſecundum quā certum eſt ſola fœmina citra maris concurſum poſſe fœtum generari, vt Chriſtus Dominus à ſola matre beatiſſima Virgine genitus fuit: de potentia tamen ordinaria non poſſe ita augeri partialem virtutem ſeminis muliebris, vt ſufficiat ad fœtum generandum.

## ARTICVLVS SECVNDVS.
*De Semine.*

Rogabis primò quid ſit ſemen? Reſpondeo cum Ariſtotele primo de generatione animalium capite 17. & 18. ſemen eſſe excrementum quoddā, ſiue ſuperfluum alimenti, & effici ex parte quadā ſanguinis nutritioni inepta, & ideo à natura relicta poſt tertiā concoctionem ad opus generationis: vnde dicunt, quod, quia viuens & ſui ipſius, & ſuę ſpeciei conſeruationem expetit; ad primum conſequendum cōuertat ſubſtantiam alimenti in ſuam naturam, vt alterum obtineat, partem quandam alimenti ſeponat ad generationem, quæ in deſtinato ad id loco recepta, vim generandi, aliúdque ſimile producendi accipit, & ea pars ſemē dicitur.

Rogabis ſecundò, an generatiua & formatiua virtus in ſemine inſideant?

Reſpondeo ita eſſe, cùm enim viuēs aliud intendit generare, non tantum ſemen de ſuo dat, ſed illi virtutem duplicem tradit: alteram formatricem, ad quam ſpectat membra delineare, alteram generatiuam, cuius eſt formam in materia diſpoſitam ſuo modo, ſcilicet inſtrumentaliter, producere, alioquin nihil ad generationem ſufficiens exhibuiſſet. De ſemine plura apud Medicos.

## ARTICVLVS TERTIVS.
*De ſimilitudine, vel diſſimilitudine, quæ inter parentes intercedit.*

Quæritur quæ cauſa ſit cur filij ſuis parentibus ſimiles, aut diſſimiles oriantur? Ad cuius quæſtionis explicationem; Notandum primò triplicē hîc notari ſimilitudinem, in ſpecie, in ſexu, & in externa effigie.

Notandum ſecundò ſimilitudinem in externa effigie conſiſtere in his duobus, potiſſimum in colore, & membrorum figura & lineamentis.

Hinc reſpondemus primò cauſam ſimilitudinis ſpecificæ inter parentes & fœtum eſſe ipſam actionem cauſæ vniuocæ, quæ de ſe eſt determinata ad producendum effectum ſuo principio in ſpecie ſimilem, vt ſatis ſuprà ſignificauimus.

Reſpondemus ſecundò, cauſam ſimilitudinis in ſexu eſſe ipſam virtutē formatricem ſemini impreſſam à generante, quæ ſi ualidior fuerit, marem ſi verò hebetior femellam tantùm efformat.

Reſpondemus tertiò cauſam externæ ſimilitudinis in colorum varietate præcipuam eſſe parentes; inſtrumentariam verò quatuor primarum qualitatum temperiem: ex his enim quatuor primis qualitatibus variè temperatis, omnis oritur colorum varietas, ex cōmuni doctrina Philoſophorum.

Reſpondemus denique cauſam ſimilitudinis externæ in membris & in eorum lineamentis, ex parentibus principaliter peti, & ex virtute formatrice inſtrumentaria, virtus enim formatrix ſemini à parentibus impreſſa perpetuò nititur membra delineare & conformare ſecundum parentum ſimilitudinem, niſi per accidens aliundè fuerit interpellata: tunc enim extraneam pla-

Digitized by Google

575

nè & monſtruoſam membrorum effigiem efformat. Vnde diſſimilitudo naſcitur cum ſuis parentibus, ad quam vim exiguam non obtinet parentum imaginatio, vt agendo de monſtris declarauimus.

Hæc de anima vegetante.

# DISPVTATIO TERTIA.

## *De anima ſenſitiua.*

NIHIL peculiare occurrit dicendi circa nomen, exiſtentiam & eſſentiam animæ ſenſitiuæ, quia ex ſupradictis nihil dubij relinquitur: quare hac tota diſputatione agemus tantùm de affectionibus animæ ſẽtientis quinque ſectionibus. Prima erit de ſenſu in communi, ſecunda de ſenſibus externis, tertia de ſenſibus internis, quarta de appetitu quinta & poſtrema de facultate motrice.

### SECTIO PRIMA.

*De ſenſu in communi.*

### QVÆSTIO PRIMA ET SECVNDA.

*De nomine & exiſtentia ſenſus.*

NOmine ſenſus intelligitur facultas animæ ſentientis qua res ſenſibiles ſibi obiectas percipit; viſus colorem, auditus ſonum, & ſic de aliis. Senſu caret qui ſenſum negat; quem cùm ſentimus aſtruimus.

### QVÆSTIO TERTIA.

*De eſſentia ſenſus.*

QVæritur quid ſit, & an ſit facultas actiua, vel paſſiua. Prima ſententia eſt Ianduni, & quorũdam aliorum, in quolibet ſenſu duplicem potentiam conſtituentium, alteram patientem & ſpecies recipientem, alteram agentem & ſenſationem elicientem.

Sed hæc ſententia non probatur, quia alioquin 10. ſenſus externi conſtituendi eſſent, quinque actiui, & totidem paſſiui, quod Ariſtoteli & omnibus Philoſophis aduerſatur.

Occurres, duplex ſtatuitur ab Ariſtotele intellectus, alter agens qui fabricat ſpecies intellectiles, alter patiens qui fabricatas ſpecies recipit: ergo à pari, in quolibet ſenſu, verbi gratia in viſu, poterit duplex facultas ſtatui, patiens ſcilicet & agens.

Quidquid ſit de antecedenti, neganda eſt conſequentia, ſi enim duplex ſtatuatur intellectus, agens & patiens, hoc fit, quia vnus fabricat ſpecies, alter fabricatas in ſe recipit, ſimulq; intellectionem elicit, & dicitur paſſiuus: res autem aliter habet in ſenſu, quia cùm non faciat ſpecies, ſed eas ab obiectis accipiat, vt infrà dicemus, non poteſt dici hac ratione agens, quod ſi agens dicatur, erit quatenus elicit actionem ſentiendi, quod admitti non poteſt alioquin dicendum erit præter intellectum agentem, ſeu ſpecies intelligibiles fabricantem, & patientem, ſeu ſpecies recipientem, dari alium intellectũ agentem, ſeu intellectionem elicientẽ, quod nemo dixerit.

Secunda ſententia eorum eſt qui dicunt ſenſum nullam actionem exercere, ſed pati tantum & ſpecies intentionales recipere, animam verò ſolã eſſe quæ operatur immediatè ſine facultatibus ſenſitiuis.

Sed hæc ſententia non minùs quàm præcedens refellitur primò, quia ſupe-



Digitized by Google

riùs docuimus animũ non agere per ſe ſolum ſine ſenſibus, & facultatibus: ſecundò, quia fruſtrà eſſent à natura cõceſſæ illæ ſenſitiuæ facultates, ſi nihil agerent, ſed ſolùm recipiendis ſpeciebus inſeruirent, quia ad hanc ſpecierũ ſuſceptionem ſola organa ſufficiunt.

Denique, qui apertis oculis dormit, etiam videret, quoniam rerum obiectarum imagines, ſeu ſpecies in ſe reciperet.

Tertia & poſtrema non minus vera, quàm frequens, ſententia, noſtra eſt, ſenſum eſſe eandem facultatem ſimul paſſiuam & actiuam: pluribus tamen titulis paſſiuam, quàm actiuam: actiuus enim tantùm eſt ſenſus, quatenus elicit actionem ſentiendi, paſſiuus verò, & quatenus ſpeciem intentionalẽ recipit, & quatenus actionem à ſe elicitam in ſe quoque ipſo, tanquam in ſubiecto recipit.

## QVÆSTIO QVARTA.

*De affectionibus ſenſus.*

### ARTICVLVS PRIMVS.

*De eius obiecto, ſcilicet ſenſibili.*

#### MEMBRVM PRIMVM.

*Quod ſit obiectum ſenſus, & quas conditiones exigat.*

AD primum reſpondeo obiectum ſenſus, ſeu ſenſibile, totum illud eſſe quod à ſenſu percipi poteſt: ad ſecũdum dico has requiri conditiones ad obiectum ſenſus.

Prima eſt, vt ſit aliquid ſingulare, quod ſatis indicat Ariſtoteles 2. de Anima cap. 5. textu 90. hanc differentiam inter ſcientiam & ſenſum conſtituens, quòd ſenſus ſit tantùm ſingularium, ſcientia verò vniuerſalium.

Fauet quoque ratio, ſenſus id tantùm percipit quod ſibi repræſentatur per ſpeciem ſenſibilem, & intentionalem: atqui ſpecies intentionalis tantùm repræſentat obiectum ſingulare à quo emiſſa eſt: verbi gratia, ſpecies coloris hunc ſingularem colorem in aliquo ſubiecto, putà in pariete exiſtentem, ergo, &c.

Obiicies, ſenſibile, quod eſt obiectum ſenſus, eſt etiam obiectum Phyſicæ, ergo debet eſſe vniuerſale.

Negandum eſt antecedens, ſenſibile enim, quod eſt obiectum ſenſus, eſt hoc vel illud in particulari, quatenus verò obiectum Phyſicæ ſumitur in communi.

Secunda conditio eſt, vt obiectum ſenſus ſit aliquid corporeum: fieri enim non poteſt vt ſenſus, qui eſt facultas corporea, feratur in aliquod incorporeum & ſpiritale; propter quam cauſam vnanimiter docent Theologi Deũ corporeis oculis cerni non poſſe, quod ſit planè ſpiritalis & incorporeus.

Tertia conditio eſt, vt ipſum ſenſus obiectum ſit extenſum, non tantùm in ordine ad ſe, ſed etiam in ordine ad locum: cuius conditionis defectu Dominicum corpus ſub ſacris Euchariſtiæ ſymbolis deliteſcens, oculis non videtur, quia licet habeat extenſionẽ in ordine ad ſe, caret tamen extenſione in ordine ad locum: ſuffragatur ratio, debet eſſe proportio inter facultatem & obiectum, ergo quemadmodum ſenſus eſt facultas localiter extenſa, ita videtur exigere obiectum localiter extenſum.

Quarta conditio eſt, vt extenſio illa localis, quæ reperitur in obiecto ſenſus, ſit determinatæ cuiuſdam magnitudinis: quia videmus res ſub exigua quáque magnitudine non ſentiri, verbi gratia colorem te-

Digitized by Google

tenuiſſimæ extenſionis, aciem oculorum effugere.

Quinta conditio eſt, vt obiectum illud ſenſus ſit præſens, quæ conditio non requiritur in obiectis ſenſuum internorum, v.g phantaſiæ & imaginatiuæ, quæ res etiam abſentes ſibi fingunt ſed tantùm exigitur in obiectis ſenſuũ externorum, viſus auditus, &c. neque enim viſus (& idem dicas de aliis ſenſibus) abſentem colorem percipere poteſt, vt experientia teſtatur.

Notandum verò hanc conditionem requiri tantùm ſecundum viam naturalem, & ordinariam: nam ſecundum abſolutam Dei potentiam fieri poſſe arbitror vt ſenſus externi in obiectum abſens ferantur; verbi gratia, viſus in Socratem abſentem. Ratio eſt, quia non repugnat Deum emiſſam à Socrate ſpeciem ipſo abſente conſeruare, & illam in meo oculo ponere, qua ſic poſita meus oculus poſſet Socratem per talem ſpeciem repræſentatum percipere; vel certè ſi conditio hæc intelligatur abſolutè & ſecundum omnimodam Dei potentiam, dicendum eſt eam intelligi de re abſente, vt abſens eſt, adeo vt dicatur ſenſus externus non verſari, nec verſari poſſe, etiam per diuinam potentiam, circa rem abſentem, quia ſi rem abſentem percipiat, illam percipit ſub ratione præſentis, ſeu quatenus habet ſe hîc, & nunc in tali loco, & in tali tempore, non autem ſub ratione abſentis.

Poſtrema conditio, ad obiectum ſenſus requiſita eſt, vt aptè commodéque cum ipſo ſenſu coniungatur, in moderata ſcilicet diſtantia ſtatuatur, per idoneum medium percipiatur, aliáque obtineat de quibus actum eſt in Logica ad libros poſteriorum analyt. ſermone de ſcientia.

MEMBRVM SECVNDVM.

*Quotuplex ſit ſenſus obiectum.*

Diuiditur primò obiectum ſenſus in ſenſibile per accidens, & ſenſibile per ſe. Senſibile per accidens eſt ipſa ſubſtantia quæ non ſentitur niſi per accidentia. Senſibile verò per ſe illud eſt, quod non ex occaſione alterius, ſed per ſe ſub ſenſus cadit, vt color, ſonus, &c.

Secunda diuiſio, vel potius ſubdiuiſio, eſt ſenſibilis per ſe, in ſenſibile proprium, & ſenſibile commune Senſibile proprium illud eſt quod ab vno tantum ſenſu externo percipitur, vt color à viſu, ſonus ab auditu, & ſic de cæt. Dico ab vno tantùm ſenſu externo, nihil enim vetat proprium obiectum vnius ſenſus externi, verbi gratia, colorem percipi à ſenſibus internis fantaſia, & imaginatiua, vt omnes vident. Senſibile verò commune non eſt illud quod à ſenſu communi percipitur, vt malè creditur voluiſſe Auerroës, quia ſenſus communis etiam propria omnium ſenſuum externorum obiecta, putà colores, ſonum, & alia percipit, quæ propterea ſenſibilia communia non dicuntur: nec etiam eſt illud, quod ab omnibus planè ſenſibus externis percipitur, cùm figura quæ ſtatuitur ſenſibile commune omnibus ſenſibus, videlicet olfactu, non ſentiatur, ſed eſt illud quod ſaltem duobus ſenſibus externis percipitur.

Tertiò iuxta numerum quinarium ſenſuum externorum diuiditur ſenſibile per ſe in quinque ſpecies, in viſibile, audibile, odorabile, guſtabile, & tangibile; quæ quinque ſenſibus externis reſpondent.

Quarto commune ſenſibile in quinque ſpecies diſtribuitur ab Ariſtotele ſecundo de anima, capite ſexto, textu ſexageſimoquarto, numerum, magnitudinem, figuram, motum & quietem.

Exactam autem eſſe hanc diuiſionem ex eo demonſtratur, quod nullum aliud ſenſibile commune recenſeri poſſit, quod ad vnum ex illis, tanquam ad generale caput reuocari nequeat: vnitas enim, quam recenſet Ariſtot. 3. de anima cap. 5. tanquam commune ſenſibile, ad numerum: cuius eſt principium, reuocatur: aſperum item, leue, acutum, obtuſum, quę ab Ariſtotele de ſenſu & ſenſibili, cap. 4 habentur communia ſenſibilia aptè ad figuram reducuntur, ſicut ad magnitudinem ſitus, diſtantia, propinquitas, diuiſio, æqualitas, inæqualitas, & ſi quę alia ſint, quæ à nonnullis perſpectiuis recenſentur, cum ſimili & diſſimili quę ad qualitatem referuntur.

Obijcies primò, numerus eſt ens rationis, ergo nullo ſenſu percipitur per ſe, ſicque non eſt aut commune, aut proprium ſenſibile.

Diſtinguo antecedens, numerus eſt ens rationis formalis, qui nihil eſt aliud quam ipſa vnio, & aggregatio multarum vnitatum ab intellectu facta concedo; materialis verò, qui non dicit ipſam plurium vnitatum collectionem ab intellectu factam, ſed res ipſas vnas quæ diſcretæ manent, nego; tantum poſteriori modo, & non priori, defendimus numerum eſſe commune ſenſibile, & à ſenſibus externis percipi, vt pluralitas percipitur in coloribus, ſonis, &c.

Secundò obijcies de motu, ſi ab aliquo ſenſu externo percipiatur motus, maximè à viſu: atqui ab illo nequaquã percipitur, ergo à nullo. Probatur minor: aut viſus percipit motum actione momentanea, aut ſucceſſiua; non momentanea, quia nihil motus exiſtit in inſtanti, quod videri poſſit: non quoque ſucceſſiua, quia viſio eſt actio momentanea, non ſucceſſiua, ergo motus à viſu non percipitur.

Reſpondeo conceſſa maiori negando minorem, & ad eius probationem dico viſum percipere motum actione ſucceſſiua, nec aliter inſtantaneè operari, quàm vbi verſatur circa rem permanentem, & quæ totum ſuum eſſe in inſtanti habet, non autem quando fertur circa rem ſucceſſiuam & raptim fluentem, qualis eſt motus.

Denique obijcies de quiete, nulla priuatio eſt per ſe ſenſibilis: ſed quies eſt priuatio motus, ergo, &c.

Admiſſa maiori reſpondeo ad minorem, quietem bifariam ſumi, primò communiter pro ſola priuatione motus, quo pacto non ſentitur per ſe, nec proinde eſt per ſe ſenſibilis: ſecundò pro permanentia rei ſub forma obtenta, quo pacto eſt aliquid reale ſenſu perceptibile, non tantùm per accidens, ſed per ſe.

Adde quod non videtur incommodum, vt quies, quæ eſt priuatio, ſit ſenſibile aliquod commune, quia commune ſenſibile nullam debet ingerere ſpeciem in ſenſum, ſed ſolùm ſpeciem emiſſam à ſenſibili proprio modificare, quod ſequenti membro declarandum eſt.

## MEMBRVM TERTIVM.

*Vtrum ſenſibilia communia immittant in ſenſus diſtinctas ſpecies à ſpeciebus propriorum ſenſibilium?*

Affirmant Scotus in quartum diſt. 12. p. 3. Ægidius, Iandunus, & alij. Probabilius tamen cæteri negant, volúntque ſenſibilia communia nullã ſpeciem peculiarem ſenſui injicere, ſed tantum ſpeciem iniectam à ſenſibilibus propriis modificare, exemplóque mentem ſuam explicant: album, inquiunt, ſuam imprimit oculo imaginem, per quam oculus ipſe albedinem percipit, hæc verò ſpecies communi-

ſenſibili, putà magnitudine variè modificatur, aliterque habere ſe videtur ſi album fuerit pedalis tantùm magnitudinis, aliter ſi bipedalis, vel tripedalis, pariter ipſa in oculum iniecta albi ſpecies ob figurę rationem iure modificari dicitur, quia aliter apparet album, ſi rectæ, aliter ſi obliquæ: alteriúſue eiuſmodi figuræ fuerit.

Obijcies primò, ſenſibilia communia nullam ſpeciem ſenſibus imprimunt, ergo ſaltem per ſe non ſentiuntur.

Neganda eſt conſequentia, ſentitur enim commune ſenſibile per ſpeciem proprij ſenſibilis, quam modificat, v. g. figura per ſpeciem coloris quam modificat, & taliter facit colorem ipſû repræſentare: vnde cõmune ſenſibile non percipitur abſolutè per ſe primò, ſicut proprium, verbi gratia figura ſicut color, nec etiam per accidens, vt homo viſu percipitur, ſed medio modo ſcilicet per ſe, non primò, id eſt, non per ſuam ſpeciem, ſed per aliã à ſe modificatam.

Secundò obijcies, ſi ſenſibilia communia non percipiantur à ſenſibus niſi per ſpeciem propriorum ſenſibilium nunquam ſentientur, non perceptis propriis ſenſibilibus: atqui hoc falſum ergo & illud. Minor probatur; ſi turris eminus conſpiciatur, neque vt alba, neque vt nigra, aut alio colore affecta videbitur, ergo ſola eius quantitas magnitudo, quæ eſt ſenſibile commune, cernetur ſine vllo proprio ſenſibili.

Secundò, is ſentiret reſiſtentem cœli magnitudinem doloréque afficeretur, qui manum ipſi magno quodnam impetu allideret: non tamen per ſpeciem vllam proprii ſenſibilis, ergo ſola ipſa cœli magnitudo quæ ex prædictis eſt commune ſenſibile, poteſt ſentiri abſque vllo proprio ſenſibili.

Reſpondeo negando minorem. Ad primam eius probationem dico, turrim è remoto loco ſemper ſub aliquo colore videri, quiſnam verò ille ſit, propter diſtantiam oculum minimè diſtinctè percipere. Ad ſecundam dico manũ admotã cœlo per ſe nõ eſſe percepturam cœli magnitudinem, ſed obſtaculum inuenturam, quod eam vlterius progredi non permittet, ideóque non aliter quàm oculus per accidens percipit tenebras, quando nihil videt ſe videret, manus ipſa ſimiliter per accidens ſentiet cœli magnitudinem, quatenus cognoſcet ſe vlterius progredi non poſſe; quòd verò additur ipſam manum magno impetu cœli alliſam dolore affici, idcirco contingit quod comprimatur caro, eàque diuidatur; non quod cœlum vel per ſuam magnitudinem, vel per qualitatem aliquam tactilem ſibi hærentem, ipſum tactum, qui in manu reſidet, affecerit, ipſíque dolorem impreſſerit.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*Vtrum ſenſus errare poſſit circa ſenſibile commune & proprium.*

PRætermiſſa inani illa, & in Logicis refutata Democriti, & Stoïcorum opinione, qui ſenſum in perpetuo errore verſari affirmabant, & propterea omnem ſcientiam auferebant, quod ex ſenſibus ortum ducat; doctrina peripatetica breuiter aperienda eſt, ideóque.

Notandum tripliciter intelligi poſſe ſenſum errare circa ſuum obiectum: primò in ratione generica obiecti, vt ſi viſus audibile loco viſibilis perciperet: ſecundò in ratione ſpecifica, vt ſi viſus vnum colorem, album v g pro alio, puta nigro, videret: tertiò in applicatione loci & ſubiecti, vt ſi

idem viſus colorem in alio loco & ſubiecto percipiat, quam in eo, in quo à parte rei exiſtit. hoc poſito, ſit.

*Prima propoſitio.*

TRibus allatis modis, ſenſus errare poteſt circa ſenſibile commune: etenim primò in generica ratione decipitur, cùm indicem horologij quieſcere iudicat, cùm tamen moueatur; ſic enim vnum genus communis ſenſibilis, pro altero accipit, nempè quietem pro motu: peccat etiam in ratione ſpecifica, quando ingentem Solis magnitudinem totam terræ molem longè ſuperantem, tanquam paruam, & pedalem tantùm dijudicat.

Denique hallucinatur in Applicatione obiecti ad locum, & ſubiectum, vt cùm Solem occidentem terram contingere exiſtimat, à qua tamen plurimum remotus eſt.

*Secunda propoſitio.*

FAllitur ſẽſus circa ſenſibile propriũ in eius applicatione ad locum, & ſubiectum: nam viſus colorem rubrũ in vtrio exiſtentem nonnumquam diiudicat eſſe in pariete, quod eſt falli in applicatione obiecti ad locum, & ſubiectum.

*Tertia propoſitio.*

FAllitur quoque ſenſus circa obiectum proprium, in ratione ſpecifica obiecti: ſiquidem ſæpè viſus, verbi gratia vnam ſpeciem coloris pro altera apprehendit, rubrum pro viridi, vel flauo: Item guſtus dulcia iudicat eſſe amara, vt cernitur in ægrotantibus, idémque pluribus aliis exemplis poteſt demonſtrari, ergo, &c.

Confirmatur veritas non huius tantùm, ſed præcedentium propoſitionum: intellectus omnibus modis allatis ſenſum corrigit, ergo eum ſupponit errare.

*Quinta propoſitio.*

SEnſus nunquam fallitur circa ſuum obiectum ſpectatum ſecundum rationem genericam obiecti. Probatur; quęlibet facultas ita eſt determinata ad ſuum obiectum percipiendum, vt circa alterius facultatis obiectum verſari non poſſit: verbi gratia viſus ita eſt determinatus ad percipiendum viſibile, vt nuſquam aliud ſonum verbi gratia, vel ſaporem, percipere poſſit, idémque ſentias de aliis ſenſibus ergo, &c.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*Vtrum ſenſus circa plura ſimul verſari poſſit?*

REſpondeo affirmatiuè, probóque primò de ſenſu communi, qui vnus eſt ex internis ſenſibus: hic diuerſorum ſenſuum obiecta ſecernit; ergo illa ſimul percipere poteſt, ergo circa plura vt plura ſimul verſatur. Probatur ſecundo de ſenſibus externis: idẽ viſus poteſt varios colores, ſiue in eodem, ſiue in diuerſo ſubiecto exiſtentes ſimul cernere, vt in re picturata: & auditus varias diſtinctáſque voces, cõcordem Muſicæ concentum efficientes percipere: ſimúlque guſtus, & dulce, & amarum ſentire, vt in quibuſdam condimentis: idem dicendum de aliis. ergo fieri poteſt vt ſenſus externi verſentur circa plura ſimul.

Notandum verò eſt, cùm virtus diſperſa ſit ſe ipſa vnita minor, & pluribus intentus minor ſit ad ſingula ſenſus, plura illa obiecta quę ſimul à ſenſibus percipiuntur, minus diſtinctè cognoſci, quàm ſi ſigillatim apprehenderentur.

## ARTICVLVS QVARTVS.

*Vtrum vehemens ſenſibile lædat ſenſum.*

Pars

578

Pars affirmans eſt Ariſtotelis 2. de anima, cap. 2. & alibi, ipſáque experientia nota. Si quis enim nimium lumen oculis aſpexerit, & ad ſolem meridionalem fixos oculos diu detinuerit, ſæpè excæcatur. Compertum etiam eſt eos qui vehementiores ſonos audiunt, vt ſunt illi qui præſunt bombardis, nec non ij qui propè catadupa Nili habitant, vbi ex altis montibus ſummo fragrore Nilus præcipitat ſæpè obſurdeſcere idémque conſtat de aliis ſenſibus, ex quibus concluditur verè ſenſum lædi vehementiori ſenſibili.

Difficultas verò eſt quo pacto læſio illa oriatur in ſenſibus ob vehementioris ſenſibilis acceſſum: Cui reſpondet Ariſtoteles 1. de Anima cap. 2. ideo ſenſibile excellens ſenſibus inuertere, quia ſenſorium, ſeu organum ſenſus aliquam requirit temperiem, & qualitatum proportionem, quæ aduentu inſolentis cuiuſdam ſenſibilis perimitur.

Declaratur in ſingulis ſenſibus, ac primum in viſu, ſi enim plus æquo lucis accipiat oculus, cùm lux ſuapte natura ſit parens caloris, nouo & repentino caloris acceſſu ipſius temperies turbabitur, & ſic viſus non parum offendetur. In auditu idem patet quippe qui vehementem ſonum percipere nequit, niſi graui facta aëris commotione, qua intenſior calor progignatur, quã qui ad exquiſitã auditus tẽperiem quiratur. Pariter olfactus læditur grauioribus doribus, quia cùm illi calore fumidæ exhalationis quam peruehunt à corporibus odoriferis ad organum olfactus abundent, ſtatim turbant legitimum talis olfactus temperamentum. Denique guſtui & tactui nocent excedentia guſtilia & tactilia propter coloris, frigoris aliarúmque qualitatum exuperantiam, quæ in cauſa eſt vt temperies talium organorum, & facultatum euertatur.

Ex quo patet ſolutio cuiuſdam dubii quod à nonnullis proponitur, cur ſenſus vehementi ſenſibili offendatur, non item intellectus excedenti intelligibili, ſed potius è contrario rerum quas contemplatur cognitione, tanto magis ille perficiatur, quanto illæ ſunt præſtantiores: ſi quidem longè diſpar eſt ratio ſenſus & intellectus: quia ille eſt organo corporeo affixus, & ita turbata eius temperie, per vehemens ſenſibile læditur; hic verò non item, & propterea non læditur ob leſionem temperamenti organo debiti, imo cum illuſtria obiecta ad quorum cognitionem aſſurgit, non ingerant organo qualitatem nociuam, & eius temperiem turbantem, facilè quoque intelligimus, quare non lædatur intellectus rerum præſtantium cognitione, ſicut ſenſus vehementiori ſenſibili.

## *APPENDIX DE IPSA actione ſenſus.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*Quid ſit illa?*

QVi ſenſum facultatem paſſiuam eſſe docuerunt, conſequenter ſenſationem paſſionem eſſe & ſpecierum receptionem eſſe tradiderunt: è contra verò qui actiuitatem ſenſibus conceſſerunt, ſenſationem actionem eſſe voluerunt, & eam quidem quæ à ſenſu elicitur, vt viſio à viſu, & auditio ab auditu. Faciliùs dixeris ſenſationem bifariam poſſe accipi, primò adęquatè pro eo omni quod ſenſui tribuitur, quatenus eſt ſpecierum receptiuus, & actionis ſentiendi elicitiuus, & ita eſſe paſſionem, nempe ſpecierum receptionem, & actionem, ſcilicet elicitionẽ actus comprehendit. Secundò ſumitur



Digitized by Google

magis ſtrictè, & ſpecialiter pro ipſa actione quæ à ſenſu elicitur, quo pacto de illa hîc agimus, ſempérque ſumus acturi.

## SECTIO SECVNDA.

*Quomodo fiat ſenſatio, & per ſpecies intentionales?*

DIfficultas eſt quis ſit motus ſecundùm quem ſenſus ſuas actiones exerit, & an ad id indigeat rerum ſpeciebus & imaginibus: quæ difficultas vt perfectè enodetur, generalis ſermo de ſpeciebus intentionalibus inſtituendus eſt, vbi iſtarum ſpecierum neceſſitatẽ aſtruemus ad ſingulas ſenſuum operationes.

### QVÆSTIO PRIMA.

*De nominibus & varia acceptione ſpeciei intentionalis.*

SPeciei intentionalis nomine intelligitur qualitas aliqua vim habens repræſentandi obiectum alicui facultati, vt ſpecies intentionalis viſibilis, quæ de ſe viſui colorem vel lumen exhibere poteſt. Dicitur intentionalis, quod per eam facultas obiectum ſuum intẽdat percipere. Dicitur etiam ſimulacrum idolum, & imago rei, quòd ſcilicet illam ex dictis referre ac repræſentare debeat. Species intentionalis bifariam ſumitur, primò communiter, quatenus intelligibilem, quæ intellectui in ſuis operationibus inſeruit, & ſenſibilem, quæ ſubſeruit ſenſibus, cõprehendit: ſecundò ſpecialiter pro ſola ſpecie intẽtionali ſẽſibili, vti hoc loco.

### QVÆSTIO SECVNDA.

*De exiſtẽtia ſpecierũ intentionaliũ ſenſibiliũ.*

#### ARTICVLVS PRIMVS.

*An ſint neceſſariò admittendæ ſpecies intentionales ſenſibiles.*

NEgant Durandus in 2. q. 26. diſt. 3. Ochamus in 2. diſt. quæſt. 17 & pauci alij. E contrario verò & longè probabilius affirmant D. Thomas prima parte q. 55. art 1. Scotus in 2. diſt. 3. q. 10 & 11. D. Bonauentura ibidem art. 4 q. 1. omnèſque Peripatetici ſuum Ariſtotelem ſecuti, qui paſſim has ſpecies & obiectorum imagines in ſenſibus requirit; præſertim 2. de Anima cap. 12.

Rationibus eadem ſententia confirmatur. Prima hæc eſt: Ratio cur ſeipsũ videat oculus obiecto ei ſpeculo non poteſt aſſignari, niſi recurratur ad ſpecies intentionales, quæ ex oculo emiſſæ ad ſpeculum, à ſpeculo ad oculum reflectuntur, vt iis conſignatus oculus ſeipſum videre queat, neceſſariò igitur admittendæ ſunt ſpecies intentionales. Secundò idem patet in ſenſu interno, qui rem abſentem quaſi præſentem clauſis oculis intuetur, non ob aliam cauſam, quàm quia talis rei imago hauſta eſt, & iam in interno ſenſu retinetur. Tertio, quando obiectum diſtat à potentia non poteſt in illam agere, & ipſam immutare, niſi per aliquid cum ea coniungatur, quia omnis actio fit per contactum; atqui illud non poteſt eſſe aliud quàm ſpecies, quæ emiſſa ab obiecto in ipſa potentia recipitur, illícque ipſum obiectum repræſentat, dan-da igitur eſt ſpecies intentionalis. Denique conſtat experientia oculum per inſpicilia cõcaua acutius videre, cuius rei alia cauſa reddi nõ poteſt, niſi quod in centro magis vniantur ſpecies, & ad repræſentandum reddantur efficaciores: quemadmodum ſolares radios in cauitate vitri magis coïre compertum eſt, ergo, &c.

Obiicies primò Ariſtotelem libro de ſenſu & ſenſibili Empedoclem reprehendere, quòd aſſereret viſionem fieri per ſimilitudinem receptionum: ergo ex mente Ariſtotelis fictitias eſſe ſpecies intentionales in ſenſibus.

Reſpondeo negando conſequentiã,

Digitized by Google

loco enim citato tantùm reprehendit Ariſtoteles Empedoclem, quòd potẽtiam nihil agere defenderet, ſed eam merè paſſiuam eſſe aſſereret, docétque non ſufficere vt ſpecies in potentiis recipiantur, ſed vltra requiri attentionẽ ipſarum potentiarum, vt actiones eliciantur.

Secundò, ita arguit Durandus ſuprà, quod repræſentat cognoſcitiuæ potentiæ aliud, debet eſſe ab ipſa primò cognitum, alioquin ſenſus per aliquid ſibi incognitum duceretur in alterius rei notitiam, quod abſurdũ eſt: atqui ſpecies quæ ponuntur ad obiecta repræſentanda non cognoſcuntur ab ipſis ſẽſibus ſecundùm contrariam opinionẽ, ergo ſunt inutiles & commentitiæ.

Reſpondeo negando maiorem. Rationem adfert D. Thomas q. 10. a. 1. quia non oportet nos id cognoſcere, quo aliud innoteſcit, ſed id in quo innoteſcit, ſicuti in ſtatua Cæſarem dignoſcimus: ſpeciem autem intentionalẽ eſſe tantùm id quo, non in quo percipitur obiectum.

Nonnulli etiam obiiciunt duo accidentia ſolo numero diſtincta, nempè duas ſpecies intentionales fore in eodem ſubiecto, quod abſurdum eſt.

Sed breuiter reſpondendũ ex Logica quæſt. de relatis, hoc non eſſe abſurdũ, quia duæ illæ ſpecies habent diuerſos effectus formales, & diuerſa obiecta repræſentant; ſicut duæ paternitates in eodem patre admittuntur, quibus ad duos filios referatur.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*De cauſa efficiente ſpecierum intentionalium ſenſibilium.*

QVæritur à quónam producantur ſpecies intentionales ſenſibiles:

Breuiter reſpondeo produci ab obiectis in medio benè diſpoſito, & intra ſphæram actiuitatis eorum conſtituto, quod exẽplo ſolet illuſtrari: ſicut ignis intra ſphærã ſuã vim habet producendi calorem in ſubiecto idoneo, & corpus luminoſum diffundendi lumen, ita etiã putandum eſt obiecta ſenſibilia vim habere ad producendas ſuas ſpecies in ſubiectis aptè diſpoſitis intra eorum ſphæram conſtitutis, & ſic colores in medio diſpoſito ſuam ſpeciem producere, ſapores ſuam, & ſic de cæteris.

Obiicies qualitates ſecundæ non ſunt per ſe actiuæ, ſed plurima obiecta ſenſibilia, puta odores, ſunt ſecundæ qualitates, ergo per ſe non agunt, & ita ſuarum ſpecierum cauſæ efficientes eſſe nequeunt.

Diſtinguo maiorem, qualitates ſecundæ non ſunt per ſe actiuæ ad producendas ſibi ſimiles in ſpecie qualitates, eſto; ad producendas verò ſuas imagines, & ſpecies, nego, quo pacto obiecta illa ſenſibilia agere contendimus, ex quo intelligitur quàm rectè cenſuerit Albertus Magnus 2. de Anima cap. 4. ſpecies ab obiectis eſſentialiter differre: verbi gratia ſpeciem coloris ab ipſo colore, tum quod obiecta ipſa non ſint actiua ad producendos effectus in ſpecie ſimiles, ſed tantùm ad ſuas imagines producendas, tum quia duorum contrariorum obiectorũ, & quæ in eodem ſubiecto ſimul manere non poſſunt, ſpecies in eodem ſubiecto recipi queunt, verbi gratia ſpecies nigri & candidi in eodem oculo.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De ſubiecto ſpecierum intentionalium ſenſibilium.*

QVæritur in quo ſubiecto recipiantur ſpecies intentionales ſenſibiles? Reſpõdeo recipi, & in medio quod interiacet inter obiectum ipſum, & facultatem ſenſitiuam, & in ipſo organo ſenſitiuæ facultatis cùm,



Digitized by Google

enim ſpecies tranſmittantur ab obiectis in facultates, vt illas ad hoc, vel illud obiectum determinent, cum ipſiſque iungantur ad producendam ſenſationem, ex probabiliori ſententia illæ eſſe debent non tantum in medio, per quod tranſmittuntur, ſed in ipſo quoque ſenſus organo, in quo cum facultate effectiuè concurrant ad producendum ſenſationem cum nihil operetur in quo nullo pacto eſt,

## QVÆSTIO TERTIA.

*De eſſentia ſpecierum intentionalium ſenſibilium.*

Opinio fuit quorundam ſpecies intentionales ſenſibiles eſſe corpuſcula quædam ab obiectis emiſſa. Sed hi magnificè hallucinantur, primó, quia multæ ſpecies in eodem ſubiecto, & loco reperiuntur: v. g. multæ ſpecies viſibiles in eodem oculo quod corporibus circa penetrationem, quæ naturaliter dari nequit, conuenire non poteſt

Secundò, quia ſi illæ ſpecies eſſent corpuſcula ab obiectis emiſſa, continua illa emiſſione ipſa obiecta paulatim minuerentur & minora fierent, quod experientiæ aduerſatur.

Probabilior igitur ſententia negat ſpecies intentionales ſenſibiles eſſe corpora, ſtatuítque eſſe qualitatem primæ ſpeciei, nempé habitus, quia inclinant potentias ad percipienda obiecta ſibi per ipſas exhibita, cum illiſque concurrunt ad exercendos proprios actus, ſicut cæteri habitus, tam intellectus quàm voluntatis. Ex quo facilè intelligis ſpecies intentionales non eſſe formales repręſentationes obiectorum, ſed tantùm efficientes, quia ſunt habitus efficienter concurrentes ad producendos actus & formales repræſentationes: tum quia facultates poſſunt illis ſpeciebus conſignari, & tamen non habere formales obiectorum ſimilitudines & in actus non prorumpere, vt patet primò in viſu, qui ſæpè & interdiu, & per noctem non aduertente anima recipit multarum rerum ſpecies, quas tamen non videt, itémque in ſenſibus internis, qui licet à longo tempore multarum rerum ſpecies ſuſceperint, per eas tamen ſpecies res ipſas non ſemper actu percipiunt, vnde quia ſpecies intentionalis non exprimit obiectum, ſed tantùm imprimitur facultati ad efficiendam obiecti repræſentationem, vocatur ſpecies impreſſa: é contrario veró, quia formalis reprę́ſentatio obiectum ipſum exprimit, & eſt vera eius imago, expreſſa ſpecies nũcupatur.

## QVÆSTIO QVARTA. ET POSTREMA.

*De affectionibus ſpecierum intentionalium ſenſibilium.*

### ARTICVLVS PRIMVS.

*Vtrum ſpecies intentionales ſenſibiles ſint diuiſibiles, vel non?*

Communis ſententia eſt ſpecies intentionales ſẽſibiles eſſe in diuiſibiles in repræſentando, & diuiſibiles in eſſendo: eſſe indiuiſibiles in repræſẽtando ex eo manifeſtum eſt, quod pars quælibet earum æqué bené totum obiectum repræſentet, ac tota ſimul ſpecies: v. g. quælibet pars ſpeciei viſibilis non minùs referat oculo totum colorem, quàm ſi tota ſpecies fuiſſet in eo recepta.

Eas veró ſpecies eſſe in eſſendo diuiſibiles, probatur: quod educitur ex poteſtate ſubiecti diuiſibilis, illud debet eſſe in eſſendo diuiſibile, vt probauimus agendo de affectionibus animæ in communi: atqui ſpecies intentionales ſenſibiles educuntur ex potentia ſubiecti diuiſibilis, putà medii & organi in quib⁹ recipiuntur, ergo, &c.

Digitized by Google

Deinde non eſt probabile eandem ſpeciem coloris totam eſſe in toto mũdo, & totam in quolibet parte, eandémque eſſe in ſingulis hominum oculis qui talem colorem intuentur: ergo illa ſpecies non eſt ſecundum entitatẽ indiuiſibilis, ſed diuiſibilis.

Confirmatur, non eſt alia ratio cur fracto ſpeculo facies quæ vna apparebat, duplex videatur, niſi quia duæ illæ partes in diſtinctis & diſſitis ſubiectis exiſtentes reflectuntur, quaſi eſſent duplicis faciei & non vnius tantùm, ergo ſpecies eiuſmodi in eſſendo diuiſibiles eſſe debent.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*Vtrum ſpecies intentionales ſenſibiles ſuſcipiant magis & minus?*

Reſpõdeo affirmatiuè. Species enim illæ interdum fortiores, interdum debiliores exiſtunt: nonnunquam expreſſius, nonnunquam obſcurius repræſentant obiectum, quod eſt intendi vel remitti.

Obiicies, obiectorum intenſionis & remiſſionis expertium ſpecies debent eſſe pariter intentionis & remiſſionis expertes: atqui nonnulla ſunt ſenſuum obiecta, putà quantitas, & figura, quæ neque intenduntur, neque remittuntur, ergo, &c.

Reſpondeo, conced. maiorem de obiectis propriis ſenſuum, negando verò de communibus, qualia ſunt quãtitas, & figura. Ratio eſt, quia obiecta communia ſentiuntur tantùm per ſpecies propriorum à ſe modificatas, proindéque cùm ſpecies propriorum intẽdantur, & remittantur poſſunt obiecta communia ſentiri per ſpecies intenſionis, & remiſſionis capaces, quantumuis illa ipſa nec intenſionem, nec remiſſionem ſuſcipiant.

## ARTICVLVS POSTREMVS.

*An ſpecies intentionales ſenſibiles etiam à ſenſibus percipiantur?*

Quæſtio eſt, an verbi gratia ſpecies coloris ab oculo videatur, non ſecus ac color ipſe: cuius quæſtionis aientem partem plerique ſuſtinent, ſed non eodem modo. Scaliger enim exercit 99. contra Cardanum aſſerit non obiecta percipi, ſed eorum ſpecies: etiam illas quæ in organo exiſtunt. Alij verò exiſtimant ſpecies quidem obiectorum percipi, verbi gratia ſpecies colorum ab oculo, non tamen eas quæ ſunt in organo ſenſuum, ſed eas quæ in medio reſident.

Nihilominus in ſcholis communior ſententia ſemper fuit, ſpecies nullo pacto à ſenſibus percipi Probatur primò, quia nihil viſu verbi gratia, percipitur niſi coloratum, vel luminoſum, ſpecies verò viſibiles nec ſunt coloratæ, nec luminoſæ, ſed tantùm coloris & luminis repræſentatiuæ.

Secundò, quia alioquin ſenſus in perpetuo errore verſaretur, quod iudicaret ſe non obiecti ſpeciem, ſed obiectum percipere.

Tertiò quia ſenſus percipit obiectum cum ſua diſtantia, quod non fieret ſi ſolam obiecti ſpeciem, & non obiectũ ipſum perciperet cùm talis ſpecies ab ipſo non diſtet.

Obiicies primò, interpoſito vitro quodcúmque vltra illud intuemur videtur eodem affectum colore, nec tamen verus ille color eſt, ergo tantum erit ſpecies, & imago coloris quæ viſum terminabit, & ſic ipſa ſpecies ſenſibilis percipietur.

Reſpondeo negando conſequentiã, color enim qui videtur in rebus vltra vitrum exiſtentibus, in illis re vera nõ



Digitized by Google

eſt, ſed eſt ipſius vitri color, quem tamen viſus in alio ſubiecto cernere ſe iudicat, quod mirum videri non debet, cùm ſuprà diximus ſenſus plerumque errare in applicatione ſubiecti ad locum, & ſubiectum.

Rurſus obiicies, quando nos videmus in ſpeculo, noſtram tantùm poſſumus ſpeciem percipere, ergo ſpecies ipſa ſenſu dignoſcitur.

Reſpondeo negando antecedens, nos enim ipſos, & non noſtram imaginem in ſpeculo intuemur, quatenus ipſa noſtra imago vſque ad ſpeculum progreſſa, ob eius reſiſtentiam retrograditur, & ad oculum reflectitur, cuius rei indicium eſt, quòd nos ipſos in ſpeculo videamus in æquali diſtantia illi, qua nos ab ipſo ſpeculo diſtamus, ſi optimum fuerit illud ſpeculum.

## SECTIO SECVNDA.

*De ſenſibus externis.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*De illis generatim.*

### ARTICVLVS PRIMVS. ET SECVNDVS.

*De nomine ſenſus externi, & exiſtentia.*

NOmen patet, dari conſtat, numerus eſt quinarius pro quinario organorum numero, & quinque diuerſis obiectis formalibus, de quibus infrà. Hoc autem ordine numerantur, viſus, auditus, odoratus, guſtus, tactus.

Obiicies: guſtus non diſtinguitur à tactu, ſed eſt tantum aliqua tactus ſpecies, ergo non ſunt quinque ſenſus externi.

Diſtinguendum eſt antecedens, guſtus non diſtinguitur à tactu latè & cōmuniter ſumpto, concedo; ſtrictè & propriè, nego: quia hoc poſteriori modo ponitur tactus tanquam diuerſa facultas à guſtu ob diuerſum obiectum formale, vt ſtatim dicemus.

Rurſus obiicies, ſi quinque eſſent ſenſus externi, illi in ſingulis animalibus exiſterent, ſed aliter ſe res habet, nam talpæ viſu carent, itémque balænæ, apud Plin lib. 9 cap 61. ergo, &c.

Reſpondeo negando ſequelam maioris, quamquam enim anima ſentiens in omnibus animalibus exiſtat, non tamen in illis omnibus effundit ſuas omnes facultates, quia in illis omnibus non reperit organa diſpoſita, verbi gratia in talpa organum viſus: quare vt quinarium ſenſuum externorum numerum retineamus, ſatis eſt quòd in aliquo animali illi quinque ſenſus reperiantur, & in nullo plures.

### ARTICVLVS TERTIVS.

*De eſſentia ſenſus externi.*

SEnſus externus ſine dubio eſt facultas animæ ſenſitiuę, externo organo corporeo affixa, vt viſus oculo, & auditus auribus; & ſic de aliis. Quod ſtatuo contra Galenū libro 6. & 7. de Placitis Hippocratis & Platonis, alióſque Medicos, qui opinantur externos ſenſus non eſſe potentias organis ingenitas, illiſque permanenter inhærentes, ſed eſſe virtutes quaſdam è cerebro fluentes, per modum irradiationis, & tamdiu organis affixas, quandiu earum durant operationes. Sicque Petrum dormientem, nec videndi, nec audiendi, facultates obtinere, ſed eas quoties videt & audit, è cerebro delabi.

Porrò noſtra concluſio contra Medicos probatur primò, ſi omnes ſenſus manarent à cerebro, tanquam à principio, eò vegetiores eſſent, quò ipſi propinquiores: ſicut lux eò intenſior eſt, quò propinquior eſt corpori luminoſo, à quo profecta eſt: atqui contrarium ipſimet Medici fatentur, docent enim tactum in extremis manus digitis vegetiorem eſſe, quàm in reliquis brachij partibus, quanquam extremi-

Digitized by Google

tates ipſæ digitorum manus ſint longè remotiores à cerebro, quàm aliæ brachij partes, ergo, &c.

Secundò, ſi ſenſus illi à cerebro manarent, nec eſſent virtutes organis ingenitæ, & eis perenniter affixæ, vnicus tantum diceretur eſſe ſenſus, à quo omnes illæ actiones procederent, quod eſt abſurdum, & ſuprà à nobis impugnatū.

Obiicies, obſtructa via per quam cerebrum influit in ſenſus externos, omnis eorum confeſtim ceſſat operatio, quod in ſomno contingit, ergo ſenſus nihil ſunt aliud, quàm virtutes à cerebro fluentes.

Neganda eſt cōſequentia, quòd enim obſtructa via qua cerebrum in ſenſus externos influit, ipſi externi ſenſus illico ſua obire munia deſinant, non ex eo fit, quòd in organis non ſunt ipſæ ſenſitiuæ facultates, ſed ex eo, quòd perenni ſpirituum animalium influxu indigeant, qui quidem impeditur obſtructis meatibus illis, per quos deriuari ſolebant.

## ARTICVLVS QVARTVS.

*De affectionibus ſenſuum externorum.*

### MEMBRVM PRIMVM.

*An ſenſus externi ſint eiuſdem ſpeciei in ſingulis animalibus?*

Reſpondeo affirmatiuè, neque enim diſtinguenda ſunt entia ſine cauſa, quæ hîc nulla eſt, maximè cùm in quocúmque animali reperiantur ſenſus exteriores, quæ ſemper circa eadem obiecta formalia verſantur.

Obiicies, nonnullos ſenſus perfectiores eſſe in quibuſdā animalibus, quàm in aliis, ergo ſpecies diſtingui. Probabis antecedens, ex eo quod illi ſenſus exteriores videantur in aliis animantibus, quam in ipſo homine perfectiores, vt patet ex illo vulgato.

*Nos aper auditu, lynx viſu, ſimia guſtu,*
*Vultur odoratu precellit, aranea tactu.*

Reſpondeo conceſſo antecedenti negando conſequentiam, hęc enim maior perfectio accidentalis eſt, orta ex diuerſitate diſpoſitionum in organis quæ diſtinctionem ſpecificam non inducit.

### MEMBRVM SECVNDVM.

*Vtrum ſenſus externi ſua obiecta ſine vllo medio percipere queant?*

Aliter quæſtio proponitur, an ſenſibile immediatè poſitum ſupra ſēſum ſentiri poſſit, verbi gratia, color poſitus immediatè ſupra oculum percipi valeat. Ad commodam huius quæſtionis ſolutionem duplex diſtinguendum eſt in ſenſatione medium, vnum externum, internum alterum: internum eſt certa quædam animalis pars ipſi adhærens & vnita, vt cutis reſpectu tactus, quamquam & alij negant hoc medium in tactu, proinde ac in guſtu reperiri, externum verò mediū eſt aliquid extra ipſum animal exiſtēs interceptum, inter ſenſibile & ſenſum, quomodo aër eſt interceptus inter corpus coloratum, & viſum. Quâ poſitâ diſtinctione, fit.

*Prima propoſitio.*

Quamquam multi ex ſenſibus ſua obiecta aliquo interiecto medio externo percipiant, vt viſus, & auditus intermedio aëre, per quem propagantur viſibilium, & audibilium ſpecies, non tamen omnes ſenſus tali medio externo indigent: nam primò tactus qualitates tactiles in cute receptas, vt calorem & frigus, ſine vllo alio externo corpore intercepto percipit, idémque in guſtu cernitur, qui ſapores nullo corpore externo interiecto, ſed cum cibo ſupra linguam poſito guſtat, & ita de olfactu, ergo, &c.

*Secunda propoſitio.*

SAlrem in viſu, auditu, olfactu internum medium requiritur, vt ſua obiecta ſentiant. Docet Ariſtoteles cap. 6. vbi generatim ait ſenſibile ſupra ſenſum poſitum non facere ſenſationem, ideóque innuit medium aliquod ſaltē internum, vt ſenſus exerat ſenſationē; quod ad minus intelligi debet de tribus iſtis ſenſibus, viſu, auditu & olfactu: quicquid ſit de guſtu & tactu, de quibus (vt iam ſignificauimus) mediū exigant néc ne, controuertitur.

Aliis affirmantibus, eò quòd ſit cutis aliqua organorū eiuſmodi in qua ſenſatio non fiat, ſed quæ ſolum inſeruiat ad ſuſcipiendas ſenſibiles obiecti ſpecies, & vſque ad eam organi partem tranſmittendas, in qua fit ſenſatio. Aliis è contrario, & quidem maiori probabilitate negantibus, eò quod exiſtiment obiecta talium ſenſuum, nempe qualitates tactiles, & ſapores immediatè in organis recipi, in quibus fit ſenſatio: imò licet cutis exterior eſſet medium internum tactus, in eáque non fieret tactio, ſaltem negari non poteſt quin tactilis qualitas, putà calor, ſupra carnem in qua fit ſenſatio immediatè poſita, ſentiretur, & dolorem inferret, in quo caſu nullum eſſet medium, ne quidem internum, in tactu: idem proportione de guſtu dici poteſt.

## MEMBRVM TERTIVM.
*Quis ſit ordo inter ſenſus externos?*

REſpondeo originis & neceſſitatis ordine omnium primum eſſe tactum, tum quòd ſit fundamentum vitæ conſiſtátque in temperie primarum qualitatum, qua diſſoluta confeſtim animal perire neceſſum eſt, tum quòd ſit ad digdoſcendum primæ alicuius qualitatis exceſſum vt temperetur, ne inter itum afferat: huic ſuccedit guſtus, guſtum ſequitur olfactus, olfactum auditus, omnium poſtremus eſt viſus.

Ad dignitatis ordinē totum eſt inuertendum: primum honoris gradum vendicat ſibi viſus; tum iure exquiſitiſſimi organi cui affixus eſt, tum meritò nobiliſſimi obiecti quod ſortitur, tum demum propter ſuam ad agendum efficaciam. Hunc ſequitur auditus, auditum odoratus, odoratum guſtus, omnium infimus manet tactus.

## MEMBRVM QVARTVM.
*Vtrum ſenſus externi percipiant ſuorum obiectorum priuationes.*

SEnſus queſtionis eſt quomodo viſus, verbi gratia, percipiat tenebras, & auditus ſilentium.

Reſpondeo nullo pacto percipere, quia non ſunt obiecta ſenſibilia, verbi gratia, tenebræ obiectum viſibile, ſed tantùm percipi à ſenſu interno, qui quatenus cognoſcit externum ſenſum feriari, ſtatim concipit, vel obiectum eſſe abſens, ſicque eius exiſtere priuationem, vel potentiam male habere.

## MEMBRVM POSTREMVM.
*Vtrum ſenſus externi ſuas ipſas actiones percipiant?*

SEnſus eſt, an verbi gratia, viſus viſionem videat, & auditus audiat auditionem?

Reſpondeo negatiuè, probóque: ſenſus nihil poteſt percipere niſi ſenſibile atqui actiones ſenſuum non ſunt ſenſibiles: verbi gratia, viſio non eſt viſibilis, ſolum enim lumen & calor viſibilia ſunt, cuiuſmodi non eſt viſio, ergo &c.

Dices ſenſus quidem externos non percipere ſuas actiones actione directa, ſed reflexa.

Verùm

Digitized by Google

582.

Verum iſtud facilè impugnatur, tum, quia proprium eſt intellectus ſeſe reflectere: tum quia actio illa reflexa ſenſus eſt neceſſariò ſenſatio, verbi gratia, actio viſus eſt neceſſariò viſio, adeóque ſemper verſari debet circa ſenſibile, puta viſio circa viſibile, qualis non eſt ipſa ſenſus operatio, verbi gratia viſio. Ex quo deducitur apparens ratio cur intellectus per actionem reflexam ſuã priorem operationem poſſit intelligere: non item ſenſus, quia nempe quælibet intellectio eſt ens intelligibile, proindéque aptum vt ab intellectu cognoſcatur, at verò actio ſenſus nullo pacto eſt ſenſibilis, vt dictum eſt, vnde fit vt nulla actione reflexa percipi queat.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*De ſenſibus externis in particulari.*

## ARTICVLVS PRIMVS.

*De viſu.*

### MEMBRVM PRIMVM.

*De nomine & varia acceptione viſus.*

Generatim viſus bifariam ſumitur, primò vniuerſaliter pro omni facultate, non tantùm ſenſitiua, ſed etiã intellectiua in quo ſenſu dicunt Theologi beatos in patria videre Deum, quia ſcilicet diuinam eius eſſentiam intelligunt: ſecundò ſimul ſpeciatim, & propriè pro vna ex facultatibus externis animæ ſentientis, quæ circa viſibile, vt viſibile eſt, verſatur, quomodo hîc ſumimus.

### MEMBRVM SECVNDVM.

*De Exiſtentia viſus.*

Viſum dari nemo negabit niſi cęcus; in quo exiſtat ſubiecto vt cumque conſtat, nempe in oculo: vtcumque dico; quia cùm multæ ſint in oculo partes, in quanam illarum exiſtat non omnino conuenit, ideóque priuſquam hac de re aliquid ſtatuatur, de mira illa oculi fabrica pauca pręmittemus.

Notandum igitur eſt in oculo varias partes deprehendi, tres humores, quinque tunicas, ſeptem muſculos, & duos neruos, de quibus ſigillatim & ordine dicendum eſt.

Quod ſpectat ad humores, primus vocatur *cryſtallinus*, qui centrum oculi in orbem conformati obtinet; & quia cryſtallum ſeu glaciem pelluciditate æmulatur, *cryſtallinus & glacialis* dictus eſt: ſecundus *vitreus ſeu albugineus dicitur*: vitreus quidem, quod conſiſtentiam & colorem vitri fuſi atque recocti referat: albugineus verò quod oui albo ſit ſimilis: tertius ab aquę ſimilitudine, *aqueus* nuncupatur. Quod ſpectat ad tunicas, intima, eò quòd vt ſpeculum luceat, *ſpecularis* dicta eſt; & quia ſumma ſua ſubtilitate aranearum telas refert, *aranea* dicta eſt, éſtque illa quæ humorem cryſtallinum vndequaque ambit: proximè ſuccedit illa quæ *reticularis* nuncupatur quia plurimis exiguis venis intertexta retis ſpeciẽ præ ſe fert: tertia *vuea* eſt, quòd vuæ folliculo ſit ſimilis; quarta eſt *cornea*, ſic dicta, quòd ſua pelluciditate & duritie cornu in tenuiſſimas laminas ſecti effigiem exhibeat. Poſtrema à colore, *alba* dicitur; & quia eius beneficio totus oculus cõſiſtit & cohæret, *adnata*, & *adhærescens* dicta fuit.

Qnantum eſt de muſculis, ſeptem communiter admittuntur, illi omnes in eum finem à natura introducti, vt aſpectum ad motum conuertant ſi vnũ excipias qui eſt ad ſuſtinendum illigandúmque oculum: vnus ad dexterã, alter ad læuam trahit, tertius ſurſum, quartus deorſum mouet, reliqui duo circumferunt.

Denique quod ſpectat ad neruos, qui optici ſeu viſorij dicuntur, illi à Me-



Digitized by Google

dicis afferuntur à cerebro manantes, alter à dextra parte, alter à ſiniſtra, eo modo vt paululum progreſſi coëant, tum poſtea, priuſquam oculos ſubintrent, diſſocientur: ſunt autem illi optici neaui, tanquam ductus quidam per quos rerum ſpecies in oculo receptæ ad communem ſenſum deferuntur, & per quos mittuntur à cerebro ſpiritus animales, ad viſionem eliciendam requiſiti. His de oculi fabrica prælibatis

Aſſerimus primò contra nonnullos viſum non reſidere in toto oculo, ſecundùm omnes ſuas partes conſiderato, cuius concluſionis veritas ex eo perſpicua eſt, quod dum aliquid volumus intueri, verſus illam partem oculos voluamus, quod minimè eſſet neceſſarium ſi viſiua facultas in toto oculo reſideret.

Aſſerimus ſecundò viſum reſidere in oculo, contra Auicennam, & conſequenter viſionem non fieri in congreſſu neruorum opticorum, quia Veſalius de fabrica humani corporis cap. 4. lib. 4. aſſerit Patauij diſſecuiſſe hominem cuius nerui optici nequaquam erant coniuncti, ſed diuiſi, & tamen hominem iſtum res intueri non deſiiſſe.

Confirmatur, quia malè diſpoſito & læſo oculo, læditur & viſus, ergo, &c.

Aſſerimus tertiò viſionem fieri in humore cryſtallino, & ideo in eo viſiuam facultatem reſidere: quod ex eo probatur: quòd talis humor exiſtat in medio oculorum, ſicque valdè nitens, & præterea eo læſo amittatur videndi facultas, licet alij humores integri remaneant.

Ocurres, ergo quemadmodum duplex eſt iſte humor in duplici ſcilicet oculo, ita & obiecta geminata videbuntur, ſi in eo viſio fiat & maneat.

Reſpondeo negando conſequentiã: quemadmodum ſonus non duplex & geminatus in duabus auribus percipitur, ita etiam vnus color vel vnum lumen ſemper videbitur, licet recipiatur in cryſtallino humore duplici.

## MEMBRVM TERTIVM, ET QVARTVM

*De eſſentia & affectionibus viſus.*

Eſſentia viſus ex dictis de eſſentia animò ſentientis facultatum, ſatis eſt nota, addita enim propria eius differentia, quod ſcilicet viſus ſit ad videndum natus, ſtatim intelligimus ipſum eſſe facultatem animæ ſentientis in organo externo reſidentem, ad videndum deſtinatam.

Affectiones viſus variæ ſunt, vt quod omnium ſenſuum ſit nobiliſſimus, vt admiranda ſui organi, nempe oculi, fabrica, promptitudo quoque & virtus ad agendum, aliáque ſimilia teſtantur: item quòd nobiliſſimum obiectum habeat, & ad nobiliſſimum finem tendat: quæ omnia vt diſtinctius intelligantur, quædam dubia de obiecto & actione viſus proponemus.

## DVBIVM PRIMVM.

*Quod ſit adæquatum viſus obiectum.*

Certum eſt eſſe viſibile, vt viſibile eſt, quia in nullam rem viſus ferri poteſt, niſi viſibilis rationem obtineat. Sed difficultas eſt quid ſub viſibili contineatur, an ſimul lumen & color, an verò ſolus color, non tamen lumen.

Reſpondeo breuitur non tantum colorem eſſe viſibilem, ſed & lumen ipſum, quicquid alij controuertant: cùm non color quidem tantùm, ſed & lumẽ ipſum videatur, vt patet in cæleſtibus corporibus, & Iride, quæ oculo cernũ-

Digitized by Google

583

tur; quamuis nullo ſint affecta colore, ſed ſolo lumine perfundantur.

Hoc autem diſcrimen inter colorem & lumen maximè notandum eſt, quòd color ita ſit obiectum viſus, vt ex parte medij tenere ſe non poſſit, lumen verò è contra, & ſit obiectum viſus quatenus illo percipitur, & etiam ſe teneat ex parte medij, quatenus ipſum medium colluſtrare debet vt viſio fiat, quæ non fit in tenebris. Quęrunt hîc ex occaſione aliqui, vtrum quando color ab oculo percipitur, debeat etiam lumine colluſtrari, & ita lumen ſe teneat ex parte medij & obiecti.

Verùm facilè eſt ipſo viſus iudicio concludere, ſi illa hypotheſis admittatur, colorem qui percipitur illuſtratũ eſſe debere, etſi ex illius parte lumen ſe teneat. Plures aliæ ſunt de lu mine difficultates, quę hoc ſecundo dubio comprehenduntur.

## DVBIVM SECVNDVM.
### *De lumine.*

Rogabis primò quid ſit lumen, ſed prius notaueris idem inter lucem & lumen diſcrimen ſtatui ac inter cauſam & effectum, quoniam lux communiter dicitur luminis parens, & lumen, fœtus lucis. Quo notato ſit.

*Prima propoſitio*

Lvmen non eſt ſubſtantia. Probatur primò, nulla ſubſtantia intenditur & remittitur, ex dictis in Categ ſed lumen intenditur & remittitur, vt ſenſibus patet, ergo, &c.

Secundò, nulla ſubſtantia eſt per ſe ſenſibilis, vt diximus, ſed tantum quatenus tegitur accidentibus: atqui ex ſuperioribus lumen per ſe ſub ſenſum cadit, nempe ſub viſum, ergo, &c.

Denique lumen neque eſt ſubſtantia incorporea, quia nullo perciperetur ſenſu; neque corporea, quia cùm transfunditur per media corporea ad organum viſus, daretur naturaliter penetratio corporum, ergo, &c.

*Secunda propoſitio.*

Lvmen non eſt tantùm qualitas intentionalis, ſed ſpecies intentionalis. Ita D. Thom. 1. parte. q. 67. art. 3. contra Scotum in 2 diſt. 13. q. vnica, qui exiſtimat lumen eſſe tantùm lucis ſpeciem in medio productam, cuius beneficio lux in ipſo oculo cernitur. Probatur hęc propoſitiò, ſpecies & qualitas intentionalis eſt id tantũ quo mediante ſenſibile percipitur à ſenſu, ipſa verò minimè ſentitur, vt ſuprà diximus; atqui etiam ſentitur lumen, ex dictis, ergo, &c.

*Tertia propoſitio.*

Lvmen eſt qualitas quædam pertinens ad tertiam ſpeciem qualitatis, putà patibilem qualitatem. Hæc propoſitio conſtat ex his quæ in Categ. de patibili qualitate diximus: diximus enim illam eſſe quæ paſſionem infert ſubiecto, vt calor, frigus, color, odor, cæteræque ſenſibiles qualitates, de quarum numero non poteſt non eſſe lumen.

Obiicies, nulla realis & ſenſibilis qualitas immediatè ſupra ſenſum poſita, maximè ſupra auditum, & olfactum ſẽtitur: atqui lumen ſupra viſum poſitum ſentitur, vt in his potiſſimum deprehenditur, qui læſis oculis ſe ſemper aliquod lumen intueri putant, ergo, &c.

Reſpondeo negando minorem, quãdo enim lumen intuemur, datur ſemper ſaltem internum mediũ per quod videatur; nec, vt optimè obſeruauit doctiſſimus Cardinalis Toletus in ſecundum de anima q. 17. lumen quod videtur, eſt illud quod in oculo ſuſceptum eſt, ſed aliquid externum, vel il-



Digitized by Google

lud quod eſt in palpebris, ſi clauſis oculis percipiatur.

*Poſtrema propoſitio.*

LVmen non malè definitur ab Ariſtotele. 2. de anima, cap. 7. *Actus perſpicui interminati, quatenus perſpicuum eſt.* Hæc propoſitio tantùm explicatione indiget, vt eius veritas appareat. Primò itaque lumen dicitur *actus*, quod ſit forma quædam accidentaria ſubiectum actuans, ſiue perficiens. Dicitur ſecundò, perſpicui interminati, ſeu diaphani, vel tranſperantis, vel pellucidi, quia hæc omnia pro vno eodémque accipiuntur: quæ particula vt explicetur.

Notandum primò interminatum dici, quod non exteriori tantum ſuperficie lumen ſuſcipit, ſed illud omnino imbibit, ita vt ſe aſpectu penetrari ſinat, vt ſunt vitrum, aër, aqua, aliáque corpora, per quæ lumen ad oculum menat.

Notandum ſecundò perſpicuũ aliud eſſe potentia, aliud actu: potentia perſpicuum vocari, quod licet nullo lumine perfundatur, ad illud tamen imbibendum poteſtatem retinet: verbi gratia aër in media nocte, & profunda caligine: perſpicuum verò actu illud dicitur, quod ſe toto lumen recipit, vt cùm idem aër radiis ſolaribus eſt colluſtratus. His notatis quando dicimus lumen eſſe actum perſpicui, perſpicuũ in actu ſumendum eſt, vt ſit ſenſus, lumen eſſe actum corporis actu tranſparentis, quatenus tranſparens eſt. Aliter definitur lumen, *qualitas realis, materialis, patibilis, in medio exiſtens.* Dicitur primò *qualitas*, vt ſcias eam non eſſe ſubſtantiam. Dicitur realis vt à ſpecie intentionali ſecernatur: tertiò *materialis*, vt intelligas eam educi ex poteſtate ſubiecti: quartò *patibilis*, vt diſtinguatur ab aliis ſpeciebus qualitatibus. Denique dicitur *in medio exiſtens*, tum ad differentiam lucis, quæ in corpore lucido eſt, non in medio; & coloris, qui cùm obiectum viſus eſſe poſſit, mediũ tamen eſſe nequit.

Rogabis ſecundò vtrum lumen in momento diffundatur, ſeu an illuminatio fiat in inſtanti: communis ferè omniũ ſententia eſt affirmãs, ſed minimè vera (meo iudicio.) Quare vt veritatem aſſequamur. Reſpondemus primò fieri poſſe vt illuminatio ſucceſſiuè peragatur, ratione ſcilicet ſucceſſiuæ applicationis corporis luminoſi ad varias partes medij lumen recipiẽtis, vt cùm Sol per continuum motum localem varias aëris partes illuminat. Reſpondemus ſecundò illuminationẽ poſſe fieri ſucceſſiuè ex parte ipſius luminis quod ſucceſſiuè producitur.

Probatur, lumen multis conſtat gradibus, ita inter ſe ſubordinatis, vt ſecundus ſupponat primum, tertius ſecũdum, & ſic de cæt. vt patet ex dictis de elementis, ergo non poteſt lumen produci in inſtanti.

Reſpondemus tertiò illuminationẽ ſucceſſiuè fieri ſi habeatur ratio ſubiecti magnitudine quadam præditi. Probatur, quia licet illuminatio ſit alteratio perfectiua, & non localis motus, fit tamen per priores & poſteriores partes, etiam ex aduerſariorum opinione, ita vt Sol verbi gratia exoriens prius colluſtret viciniores ſibi partes, quàm remotiores, ergo non fit illuminatio in inſtanti.

Negant aduerſarij conſequentiam, quia illa eſt tantũ naturæ & non temporis prioritas, ſecundum quam pars vicinior lucido corpori illuminatur ante remotionem, cùm nullum in ſubiecto contrarium reperiatur quod impediat inſtantaneam luminis traiectionẽ per viciniores & remotiores partes.

Digitized by Google

Verùm hæc reſponſio facilè refellitur, licet nullum ſit poſitiuum contrarium, quod traiectionem alicuius formę impediat per magnum aliquod ſpatium, illa tamen traiectio non deſinit fieri ſucceſſiuè, eò quòd fieri debeat priùs per viciniores partes, quàm remotiores, vt patet in motu ſucceſſiuo, quem in vacuo fieri poſſe diximus: ergo etiam ſi lumen nullum habeat ſpatium, quia tamen traiicitur per partes viciniores magni alicuius ſpatij antequam traiiciatur per remotiores, ſemper dicetur ſucceſſiuè per totum medium & ſubiectum diffundi, & propagari.

Rogabis tertiò quomodo lumen videatur, an in corpore perſpicuo, an verò poſtquã ad corpus aliquod opacum reſiliit? Reſpondeo videri etiam in corpore perſpicuo, videmus enim aërem & aquam, ipſóſque cælos non quidem ratione coloris, quia nullo afficiuntur, ſed ratione luminis quo induuntur, quę tamen ſunt corpora perſpicua.

Rogabis poſtremò an lumen videatur per ſpeciem intentionalem, an ſine ſpecie?

Reſpondeo videri poſſe ſine ſpecie, probóque, ſpecies intentionalis deſideratur tantùm vt coniungat obiectum cum potentia, ſed, lumen quod eſt obiectum viſus, ſatis coniungitur cum viſu, per lumen quod in pupilla recipitur, ergo ſpecies intentionalis, &c.

Occurres, ſi lumen immediatè in pupilla recipiatur, immediatè videbitur, quod negauimus.

Reſpondeo neg. conſecutionem, lumen enim illud quod exiſtit in pupilla, non eſt illud quod videtur, ſed illud per quod tanquam per inſtrumentum aliquid aliud externum percipitur.

## DVBIVM TERTIVM.

*De colore.*

Rogabis primò quid ſit color? Reſpondeo non malè definiri vt ſit *extremitas corporis perſpicui terminati, vim habens immutandi perſpicuum actu.*

Quę definitio ex duplici Ariſtotelis definitione colligitur. Prior habetur ſecundi de anima cap. 7. *color eſt id quod mouet actu diaphanum, ſiue perſpicuum*, trãſlucidum, tranſparens Altera ex lib. de ſenſu & ſenſibili deſumitur, *color eſt terminus ſeu extremitas corporis perſpicui definiti & terminati.*

Porrò ad explicationem huius definitionis; Notandum eſt perſpicuum terminatum illud dici, quod ratione ſuæ denſitatis non ſinit ſe à lumine vndequaque penetrari, & illud ineptum eſt, vt ſit viſus medium, quia per medium tranſire debent rerum viſibilium imagines ad viſus organum Perſpicuũ verò definitum & interminatum illud vocari quod nõ ſiſtit aſpectum, nec impedit quominus vlterius videndo cõmeet, & illud eſt proprium viſus medium. Hinc facile deducere eſt ſenſũ noſtræ definitionis vt *color dicatur eſſe extremitas corporis, puta parietis, in qua quidem extremitate ſubſiſtit aſpectus vim habens immutandi perſpicuum interminatũ, vt ſunt cælum, ignis, aër & aqua.* Dicitur habens vim immutandi perſpicuum, non faciendi; ad diſtinctionem luminis quod faciat actu perſpicuum, & nõ tantùm immutat, ſicut color per traiectionem ſuæ ſpeciei per ipſum perſpicuum ad organum viſus.

Rogabis ſecundò, an calor re à lumine diſtinguatur?

Reſpondeo affirmatiuè, probóque, illa diſtinguuntur reipſa quę ſunt in diuerſis reipſa ſubiectis atqui calor & lu-

men ſunt in diuerſis reipſa ſubiectis, ille in perſpicuo terminato, hoc vero in perſpicuo interminato, ergo, &c.

Nec dicas abſente lumine colorem oblitescere, tantum enim occultatur, minimè verò deperditur.

Rogabis tertio, quæ ſit coloris diuiſio? Reſpondeo optimè diuidi colores in extremos, & medios extremi ſunt candor, & nigror, medij verò planè innumerabiles, quorum alij magis ad vnum extremum, alij magis ad aliud accedunt.

Rogabis quartò, an colores medij dicantur per partipationem extremorum, an actu & formaliter ex extremis componantur, ſicut tepor ex calore & frigore.

Reſpondeo negatiuè, ſed eſſe tantùm quaſdam qualitates ſimplices, extremos colores virtualiter includentes; quod paſſim docet Ariſtoteles, alioquin oporteret rem prius fieri albam, vel nigram quàm medij alicuius coloris, quod tamen eſt contra experientiam, cum videamus multa cùm primum oriuntur, eſſe medij alicuius coloris, nec vllo extremo prius affici, vt arbores, herbæ, &c.

Obiicies, pictores permixtione colorum extremorum medios efficere, ergo medios colores dici per participationem extremorum.

Reſpondeo ad antecedens, medios illos colores qui pictorum opera ex mixtione extremorum exurgunt non eſſe propriè medios, quia talis mixtio non eſt per inductionem extremorum eorum in eandem ſubiecti partem, ſed per iuxta poſitionem partium ſubſtantialium extremos colores participantium.

Rogabis poſtremò, quæ ſit colorum origo? Reſpondeo hanc dubiam ſemper extitiſſe, nec ab vllo ſatis fuiſſe hactenus exploratam. Hoc tamen probabiliter dici poſſe, quod ad colorum generationem iſta omnia concurrant primæ qualitates elementorum, cum perſpicuitate, opacitate & lumine, quæ omnia coniunctim eſſe requiſita ex eo patet, quod licet in cælis reperiantur opacitas, perſpicuitas, & lumen, illi tamen nullum verum colorem ſortiantur, propterea quod in illis nulla eſt primarum qualitatum actio, quæ ſimul permiſceat lucē cum denſitate & perſpicuitate, quod tamen eſt neceſſariū.

## DVBIVM POSTREMVM.

*De fine viſiuæ facultatis, ſcilicet viſione, quomodo illa fiat.*

PErſpectiui cum Empedocle, *Stoïcis*, & Platonicis aiunt, viſionem fieri emiſſis ab oculo radiis quibus actu reddatur viſibile, vt ab oculo percipiatur, poſtquam illi radij, vel lux quæ ex oculo emicuit, ad ipſum oculum regreſſi ſunt.

Sed hæc ſententia à tota ſchola peripatetica æquiſſimè refellitur, primò quia non eſt credibile ex tam exigua pupilla tantum exilire lucem, vt obiectum ingentis magnitudinis, vt potè cœlum, colluſtret, illúdque faciat viſibile.

Secundò, quia lux illa ex oculo egreſſa, ad obiectum, verbi gratia cælum perducta vſque ad oculi pupillam reſilire non poteſt, cùm ſolares radij longè ſint validiores nec tamen à terræ denſitate repercuſſi, ad mediam vſque aëris regionem reflectantur.

Tertio, quia non tam celeriter videtur fieri poſſe illa lucis ab oculo egreſſi ad obiectum, & ab obiecto ad oculum reflexio, quam viſio peragitur, quippe quæ promptiſſima eſt, imo inſtantanea:

Digitized by Google

ergo non ſit viſio emiſſis ab oculo radiis.

Itaque relinquitur, vt cum prædicta familia Peripatetica duce Ariſtotele 2. de anima cap. 7. & aliis in locis concludamus viſionem fieri per intus ſuſceptionem imaginum, ab obiecto in oculum immiſſarum, quæ ſententia cùm ex alterius refutatione, tum ex dictis de ſpeciebus intentionalibus relinquitur probata: illo enim loco probauimus ſpecierũ intentionalium neceſſitatem, quę maximè in viſu deprehenditur, qui nunquam percipit ſuum obiectum ſibi præſens, ſed ſubſtantialiter remotum, proindéque tantùm per ſuam ſpeciem præſens.

Obiicies primò Ariſtotelem ſect. 2. problem. probl. 10. docere ideò contractis palpebris nos melius prũptiúſque videre, quia radius exiliés ex oculo per anguſtum ſpatium collectior eſt, & validior, ergo ex ſententia Ariſtotelis viſionem fieri emiſſis ab oculo radiis.

Reſpondeo ad antecedens, vel Ariſtotelem de ſuo more hîc non locutum fuiſſe ex propria mente, ſed ex recepta ſuo tempore perſpectiuorum ſentẽtia, vel id non tam aſſerendo quàm dubitando protuliſſe, quod fere ſemper in problematis facere conſueuit.

Rurſus obiicies, ſi per intus ſuſceptionem imaginum, & non per emiſſiodem radiorum ab oculo viſio fieret, cùm aër ſit plenus ſpeciebus, & imaginibus rerum viſibilium, etiam viſus ea quæ à tergo ſunt poſſet contueri, quod planè abſurdum eſt.

Reſpondeo negando conſecutionem, etenim obiecta viſibilia non agunt in facultates, nec ſpecies ſuas immittunt niſi per lineam rectam, ſi fuerint ante ipſum oculum: vel per lineam reflexã, ſi fuerint retro, & ſpeculum obiiciatur, à quo ad oculum ſpecies reſiliant. Hæc de viſu, nunc auditum bonis auribus audiamus.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*De Auditu.*

## MEMBRVM PRIMVM. ET SECVNDVM.

*De nomine & exiſtentia Auditus*

NOmen auditus ſatis auditur: an ſit auditus omnibus affirmantibus & experientibus nemo niſi ſurdus nõ audit, quærendum hîc tantum ſemper eſt in quo ſubiecto recipiatur.

Reſpondeo recipi in auribus: quoniam autem variæ ſunt aurium partes, in qua illarum reſideat audiendi facultas, fiátque auditio, obſcurum adhuc manet, quod vt manifeſtum fiat ſicut ſuprà de oculo, ſic aurium fabrica aperienda eſt.

Notandum igitur primò, id quod ſunt oculis ſuperciliorum pili, id eſſe auriculas auditui, vt quemadmodum ſuperciliorum pili à natura conceſſi ſunt, & ſupra oculos poſiti, vt ſi quid à capite in ipſos oculos difflueret reciperent: ſic auriculæ fuerũt auditui propoſitæ, vt incidentia prohiberent.

Notandum ſecundò aures tam interiores, quàm exteriores cartilaginoſas eſſe, & mediocriter molles.

Notandũm tertiò, aures inſtar labyrinthi obliquis flexibus abundare, ne forte ſonus recto impetu, affatímque intrò ſubiens auditum læderet, quod non tantùm de exterioribus velim intelligi, ſed etiam de interioribus, & meatu, qui licet admodum amplius caúſque ſit, tortuoſus tamen & cochleæ & anfractui ſimilis eſt.

Notandum quartò, quaſi ex naturæ conſilio & prouidentia, intra ipſam aurium interiorum cauitatem viſcoſum

quendam humorem reſidere, vt ſi fortè beſtiola quædam, vel quippiam noxium incideret in eo, ueluti viſco inhæreſceret, atque caperetur.

Notandum quintó intra meatum illum & foramen auris interioris aliquã membranam reperiri, quam vocant tympanum auris, eò quod admodum tympani diſtenta ſit.

Notandum ſextò, huic auris tympano tria implicari oſſicula, primũ malleoli, ſecundum incudis tertium denique parui trianguli figuram referens.

Notandum vltimò, vltra hanc membranam & auris tympanum aliam eſſe adhuc cauitatem, ſiue alium meatum, qui cochlea à nonnullis appellatur in quo innatus aër continetur. Vltra hũc ſecundum meatum duo alij adiunguntur, vnus qui à ſimilitudine labyrinthi labyrinthus dicitur, quem ſequitur alter, qui à nonnullis pariter cochlea, ab aliis foramen appellatur, vltra quem apparet neruus aliquis auditorius è cerebro deſcendens, per quem tum ſpiritum ſpiritus animales ad tympanum auris deferuntur, tum ſonorum ſpecies ad communem ſenſum tranſeunt. His omnibus diligenter notatis quęrenti in quánam auris parte auditus inſideat.

Reſpondeo cum Ariſtotele, lib. de partibus animalium cap. 10. & 2. de anima, cap. 8. auditionem fieri, & auditum reſidere in aëre congenito in ſecundo meatu concluſo, & tympano auris cõprehenſo ne foras expiret, néue externis pateat iniuriis.

Hanc propoſitionem veriſſimili ratione demonſtrat Galenus 8. de vſu partium, cap. 6. quia facultas in ea parte exiſtere debet, quæ aptior eſt ad ſoni imagines recipiendas, cuiuſmodi eſt ille aër inſitus auribus, cùm magna ex parte per aërem ſoni tranſuehantur.

Obiicies, aër ille eſt animatus, alioquin non erit audiendi facultate prædıtus, ergo ineptus eſt ad ſonorum imagines, vel ſaltem non magis aptus quam alia auris pars.

Neganda eſt conſeq. vt enim aër innatus ſit aptus ad recipiendas ſonorum imagines, & habeat audiendi facultatem, non requiritur vt ſit eiuſdẽ naturę cum aëre elementari, ſed ſufficit quòd ſua tenuitate & ſubtilitate cũ eo aliquam cognationem & conuenientiam habeat, & certè maiorem quàm vlla alia auris pars: quod ſanè eſt verum.

## MEMBRVM TERTIVM. ET QVARTVM.

*De eſſentia, & affectionibus auditus,*

Eſſentia auditus nota eſt; quippe qui ſit ſenſus externus ad ſonos percipiendos à natura conceſſus, in quo à reliquis ſẽſibus ſecernitur. Supereſt vt de illius affectionibus agamus, & prætermiſſa eius dignitate, de qua ſuprà, de eius tantum obiecto ſcilicet ſono diſſeramus nonnulláque dubia proponamus, & ſolita breuitate, & facilitate ſoluamus.

## DVBIVM SECVNDVM.

*Quid ſit ſonus.*

Viſum eſt nonnullis ſonum eſſe motum corporum ſeſe collidentium, ſed meritò refelluntur, quia ſonus diffunditur ad eas partes ad quas motus non poteſt peruenire; tum quia motu ſonus efficitur, ſonus autem á ſeipſo effici non poteſt tũ quia motus aliquis datur ſine ſono. vt cæleſtis, tum demũ quia motus eſt ſenſibile commune, quod à pluribus ſenſibus percipitur, ſonus verò ſenſibile propriũ ad ſolum auditum pertinens.

Placuit aliis ſonum quidem non eſſe formaliter motum, ſed eius terminum,



Digitized by Google

eámque produci. Sed contra per motum localem præciſè nihil producitur, niſi vbi, non igitur ſonus.

Præciſè dixi, vt intelligamus, licet per motum localem non producatur ſonus, tanquam illius terminus eum tamen conſequi, vi alterius actionis ad generandum ſonum ex natura ſua tendentis, quæ ſonatio (niſi malè ſonaret vocabulum) poſſet appellari.

Omnium communiſſima & probabiliſſima ſententia eſt, ſonum eſſe qualitatem tertiæ ſpeciei, nempè patibilem, cùm ipſe paſſionem inferat ſenſui, nempè auditui, vt per ſe notum eſt.

Obiicies, nulla qualitas patibilis eſt ſucceſſiua: atqui ſonus eſt ſucceſſiuus, ergo, &c.

Maior neganda eſt, fieri enim poteſt vt aliqua qualitas patibilis ſucceſſiuè, ſaltem per accidens, producatur, ratione ſcilicet ſucceſſiui motus, & ſine quo conſeruari non poſſet; quo ſenſu ſonus à nobis dicitur ſucceſſiuus.

## DVBIVM SECVNDVM.

*De ſubiecto ſoni.*

QVæritur an ſonus recipiatur in corporibus ſonantibus, an verò in corpore interiecto: aëre, verbi gratia.

Reſpondeo de facto non recipi in corporibus, ſed in corpore intercepto ſiue ſit aër, ſiue aliquod aliud corpus.

Probatur, ſi ſonus in corporibus ſonantibus, & non in intercepto corpore ſuſciperetur, non eſſet neceſſariũ vllum medium corpus interceptum ad ſonum edendum: modò duo ſolida corpora inter ſe colliderentur: atqui hoc falſum, quia alias ipſa corpora cæleſtia quæ ſe contingunt, & rapidiſſima vertigine circumuoluuntur, ſonum ederent. Itémque ſonus in vacuo fieri poſſet, quod vtrúmque communiter habetur falſum, ergo, &c.

## DVBIVM TERTIVM.

*De medio ſoni.*

NOtandum eſt nos medii nomine id intelligere per quod ſonus: ſiue eius ſpecies ad noſtras aures deuehitur. Quo notato.

Reſpondeo non tantùm aërem, de quo nulla eſt difficultas, ſed etiam aquam ſoni medium eſſe, cùm videamus piſces ſub aquis natantes, ſonos percipere, iiſque terreri, & propterea audita piſcatorum voce fugere: vnde & ipſi piſcatores diligenter ſilentium ſeruant.

## DVBIVM QVARTVM.

*Quomodo propagetur, & diffundatur ſonus per medium.*

DVobus modis poteſt ſonus per medium diffundi, primò per eſſe reale, ſecundo per eſſe intentionale, ideſt, per ſuam ſpeciem intentionalem audibilem. Nonnulli uoluerunt ſonum vſque ad aures per medium aërem, vel aquam ſecundum eſſe reale diffundi. Alij è contra aſſerunt producto ſono per colliſionem corporum non vlterius propagari ſecundum eſſe reale, ſed dumtaxat ſecundum eſſe intentionale, & per ſuam ſpeciem: pro hac controuerſia dirimenda, ſit.

*Prima propoſitio.*

NOn eſt dubium quin ſonus ad aliquam diſtantiam ſecundum eſſe reale diffundatur.

Probatur, ibi eſt ſonus ſecundum eſſe reale, vbi eſt aëris colliſio: atqui non eſt probabile vnius tantùm particulæ aëris colliſionem fieri, ſed veriſimilius eſt vna parte colliſa vicinam

frangi & in ea ſonum edi ad certam aliquam diſtantiam, ergo, &c.

*Secunda propoſitio.*

AD omnem diſtantiam non propagatur ſonus ſecundum eſſe reale: etenim vix cadit ſub intellectum quomodo aër qui primò percutitur, tantam virtutem habere poſſit, vt ſe diffundat realiter, id eſt, alium aërem percutiendo & frangendo ad tantam diſtantiam, ad quam auditur ſonus.

Notandum verò hîc eſt, ſpeciem intentionalem ſoni quæ diffunditur, ſequi naturam ipſius ſoni, atque adeò quemadmodum ſonus eſt ſucceſſiuus, ita ſpeciē eius eſſe ſucceſſiuam, ita vt priores ſoni partes prius ſuas ſpecies diffundant quàm poſteriores.

## DVBIVM QVINTVM.

*De Voce.*

NOn eſt hîc neceſſe repetere quæ diximus in Logica in libro de interpretatione de voce: quærimus tantùm quid ſit, & quomodo formetur.

Quod ad primum ſpectat, vox definitur ab Ariſtotele 2. de anima, cap. 8. *ictus aëris aſpiratione attracti, qui ab anima in pulmonibus exiſtente, cum quadam imaginatione, & deſiderio aliquid ſignificandi efficitur.* Quod ad alterum attinet notandū eſt ſex potiſſimum inſtrumenta concurrere ad vocis formationem, pulmones, muſculos thoracis, & intercoſtales, aſperam arteriam, laringem, epiglottidem, ſeu lingulam quandam ſummam laringis oſtium ne quid cibi potúſvè per id illabatur, tegentem, & gurguſtionem.

Pulmones attrahendo aërẽ in ſeruiūt, inde ſpumoſæ cuiuſdam & mollis naturæ ſūt, cuius beneficio nūc ſe dilatāt, nūc ſe contrahunt Muſculi thoracis & intercoſtales virtute motrice, qua pollēt, aërem comprimūnt, diuerberant, & cōpellūt ad aſperā arteriā, ad cuius laringem cùm peruenerit oppoſitu epiglottidis retinetur, ibique & in gurguſtione alliſus ſonat, ac vocem effingit, quæ non fuiſſet efformata, ſine oppoſitione ipſius epiglotidis, propterea totus aër ſine vlla percuſſione, & colliſione exiuiſſet.

Porrò ad eam vocem modulandam præ cæteris partibus conferunt gurguſtio & epiglottis, quia in alijs partibus aër frangitur, & temperatur, variéque percutitur, ex qua percuſſione varij ſoni & vocum inflexiones exiſtunt.

Cæterum præter hæc inſtrumenta aliqua alia requiruntur, vt vox fiat articulata, lingua, palatum, dentes, & labia: lingua quidem quatenus aërem à cauitate arteriæ pulſum, & in amplitudinem oris incidentem variè frangit, ac pro verborum varietate diſpergit, ac diſtribuit: palatum quatenus cauum eſt, proindeque ad eius latera vocis ictus diu congeminantur: Dentes quatenus concentu quodam ictum linguæ recipiunt: labia denique quia ex eorum compreſſione, & diductione verborum ſyllabarúmque omnis oritur diſtinctio.

## DVBIVM POSTREMVM.

*De voce reflexa, ſeu Echo.*

DE Echo non fabulas, ſed vera Phyſicæ dogmata inquirimus: breuiter dicimus Echo eſſe ſonum reflexum qui oritur cùm ſonus in aliquod corpus concauum, politum, & ſolidum impingens non ſecus ac pila reflectitur ibique auditur, quod ſi in eius modi diuerſa corpora cōcaua & ſolida incidat variis vicibus audietur ſonus, quod multis in locis reperitur.

Potiſſimum in Echo Charantonia quę eſt in fundo & laribus æquiſſimi regiarum. Rationum præſidis, D.D. Ballif,

Digitized by Google

cuius laudibus prædicandis optarem plus linguarum, & vocis, quàm habeat multilinguis ipſa vocis filia Echo: tanta enim ipſius comitas, & humanitas, vt ſilendis gratiarum ſine tenus natus eſſe videatur: quod dicebat comicus Antiphon apud Athenæum. Dubitatur an quando reflectitur ſonus, vt fiat Echo, ipſe ſonus reſiliat ſecundum eſſe reale, an verò tantum ſecundum eſſe intentionale.

Verùm facilè reſpondeo vt ſuprà, quemadmodum cùm fit ſonus partim ad auditum ſecundum eſſe reale propagatur, partim ſecundú eſſe intentionale ſolùm: ſi nimiâ fuerit diſtantia interiecta inter auditum & locum in quo primò ſonus auditus eſt: ita quando fit Echo ad aliquam diſtantiam poſſe ſonum reflecti ſecundum eſſe reale, & ad ampliorem ſecundum ſolum eſſe intentionale.

Obiicies, ſi in Echo fiat ſoni reflexio ſecundum eſſe reale, nulla vox articulata in ipſo Echo audietur, quia tantùm percipietur ſonus ille in aëre factus, qui vox articulata eſſe non poteſt.

Neganda eſt conſequentia, tum quia vox articulata primò in ore edita vim habet ſeſe propagandi ſecundum eſſe reale ad aliquam diſtantiam, ita vt illa pariter fiat articulata, proindéque, & talis eſſe poterit poſt reflexionẽ, ſaltem ad aliquam diſtantiam; tum quia ſpecies vocis articulatæ, quę ſimiliter reflectitur in Echo, vocẽ ipſã articulatam efficienter repræſentare poteſt.

## ARTICVLVS TERTIVS.

### *De Olfactu.*

### MEMBRVM PRIMVM.

#### ET SECVNDVM.

*De eius nomine & exiſtentia.*

Neminem latet germana odoratus ſeu olfactus ſignificatio, vt quod ſit externus aliquis ſenſus odoribus percipiendis deſtinatus: nec etiam vlla extat de eius exiſtentia dubitatio. Hic tantum inueſtigandum eſt in quo ſubiecto recipiatur.

Reſpondeo in naſo, in qua verò parte non conuenit; propterea naſi partes, ſaltem præcipuæ, aperiendæ ſunt.

Notandum igitur, in ſuperiori extremitate narium duo occurrere tubercula mamillis ſimilia, quæ ob id *Caruncula mamillares* nominantur, ſed quibus os quoddam bipertitum à natura conſtitutum eſt multis patens foraminibus, duóſque inſignes habens meatus, & ab ea quam habet cum cribro & ſpongia ſimilitudine, & *cribrum & os ſpongioſum* nuncupatur. Denique in duabus oſſis ſpongioſi partibus exporrecta eſt quędam tunica, cum ea continuata, quę ad linguam, aſperam arteriam, & palatum extenditur. Quibus ita poſitis Galeni ſententia eſt 8. vſu partium cap. 6. odorandi facultatem in interioribus cerebri partibus, ſeu ventriculis reſidere.

Sed meritò refellitur, quia cerebri ſubſtantia inepta eſt ad obeunda externorum ſenſuum munera, cùm vix tactu polleat, vt benè animaduertit Auerroës. Alij in oſſe carunculis mamillaribus ſubiecto conſtituerunt odoratum. Sed perperàm; cùm oſſa ob terreſtrem ſuam concretionem aut nullo pacto, aut certè vix ſentiant.

Meritò igitur dicimus cum Philoſophis & Medicis olfactum reſidere in carunculis mamillaribus; cuius rei non improbabilis ratio affertur, quod eo tantum fine videatur natura illas mamillares carunculas ſpiritibus

repleuiſſe & vaporoſas feciſſe, niſi vt facile ab odoribus alterari poſſent, & eorum ſpecies recipere.

## MEMBRVM TERTIVM.

## ET QVARTVM.

*De eſſentia & affectionibus odoratus.*

NIhil peculiare hîc dicendum occurrit de eſſentia odoratus. quod non ſatis intelligatur ex ſuperioribus, pręmiſſa quoque eius dignitate, & officiis, dumtaxat circa eius obiectum, ſcilicet; odorem, occupabimur.

Rogabis igitur primò quid ſit odor? Reſpondeo ſic definiri: *Odor eſt qualitas ſecunda patibilis ex mixtione ſicci ſuperantis humidum, per actionem caloris, ad immutandum odoratum.* Dicitur primò, *qualitas* contra Theophraſtũ, Galenum & alios, qui falsò dixerunt odorem eſſe ſubſtantiam quandam tenuem, ſcilicet fumeam exhalationem corporis odoriferi, falsò inquam: quia ſi odor eſſet ſubſtantia nimirum fumea exhalatio iam non eſſet per ſe ſenſibilis, quoniam ex prædictis ſubſtantia per ſe non ſentitur. Additur, *ſecunda*, ad diſtinctionem primarum qualitatum, & vt intelligamus ex earum mixtione oriri. Adiicitur *ſicci prædominantis & ſuperantis humidum.* ad diſtinctionem ſaporis, qui magis in humido conſiſtit.

Obiicies, in eadem cibi parte reperiuntur ſimul ſapor, & odor, ergo vel in odore non debet prædominari ſiccitas, vel in ſapore non ſuperat humiditas, alioquin in eadem ſubiecti parte ſimul prædominarentur ſiccitas, & humiditas.

Reſpondeo negando antecedens, etenim ſi contingat eundem cibum & odorem & ſaporem exhibere, conſtabit neceſſariò partibus ſiccioribus & humidioribus atque ſecundum ſicciores efflabit, ſecundùm verò humidiores ſapores emittet.

Rogabis ſecundò, quotuplex ſit odor? Reſpondeo generatim eſſe duplicem, alium gratum & ſuauem alium tetrum & ingratum: ille eſt qui magis aëream naturam participat, fitque ex partibus ſuauibus & benè coctis: qui verò fœtor communiter appellatur ex partibus indigeſtis oritur. Præterea odorũ, tam ſuauium, quàm tetrorum, non ſecus ac colorum ſaporúmque variæ ſunt ſpecies, quas tranſlatiuis deflexíſque à ſaporum differentiis exprimimus, vocamúſque perinde ac ſapores, acutos acerbos, graues, ſuaues & ſimilibus nominibus.

Rogabis tertiò quodnam ſit odoris ſubiectum? Reſpondeo eſſe corpus mixtum in quo prædominatur ſiccitas, etenim odoris generatio tantum fit ex permixtione primarum qualitatum, prædominante ſiccitate, vt dictum eſt, quæ quidem mixtio in ſolo corpore mixto locum habere poteſt.

Rogabis quartò quodnam ſit medium per quod diffunditur odor. Supponendum, per duplex eſſe mediũ quod à corpore odorifero ad nares defertur, aërem ſcilicet & aquam, quod expreſſe docuit Ariſtoteles 2. de anima cap. 9. De aëre res certa eſt, cùm animalia terreſtria & volatilia per aërem odores captent. De aqua oſtenditur, odor eſcarum ad piſces in mediis aquis exiſtentes diffunditur, vnde & ipſi piſces ad eiuſmodi eſcas multum diſtantes accurrunt, ergo per aquam etiam diffunditur.

Sed difficultas adhuc remanet quo pacto per ipſũ medium, aërem ſcilicet

& aquam, odor propagetur, an ſimul cum ſubſtantia odoréque, an verò ſine illa per ſuum eſſe reale, vel intentionale quæſtio vt dirimatur, ſit.

*Prima propoſitio.*

SÆpe diffunditur odor ſimul cum ſubſtantia odorifera, vel cum aliqua ſubſtantia fumea è re odorifera exhalata.

Probatur, res odorifera aſſidua expiratione & ex halatione odoris flacceſcit & diminuitur, vt videre eſt in pomo quod odoris ſui emiſſione paulatim comminuitur & marceſcit, ſed aliunde id prouenire non poteſt quàm ex eo quòd odor cum ſubſtantia tenui fumea odorifera egrediatur, ergo, &c.

*Secunda propoſitio.*

NOn ſemper odor emittitur cum fumea exhalatione, ſed ſine illa per medium propagari poteſt: tum quia fumea exhalatio non poteſt ad tantã diſtantiam tam celeriter ferri quam odor percipitur, vt patet in vulturibus aliiſque auibus, quæ odoribus incitatæ cadauera ad multa milliaria diſtãtia inquirunt: tum quia fumea exhalatio, cùm ſit leuis, ſurſum commeat, odor verò in loco etiam inferiori ſentitur.

*Vltima propoſitio.*

NOn eſt difitendum odorem diffũdi ad aliquam medij diſtãntiam ſecundum eſſe reale, ſi quidem experimur illam medij partem quæ proxima eſt, corpori odorifero benè olere, etiã ipſo remoto corpore odorifero, & ipſo odore cerebrum aggrauari, quod non fit ſine realibus odoribus. Dixi ad aliquam diſtantiam, ſi quidem cùm aliquando odor plurimum diſtans percipiatur tunc ad illãm omnem diſtantiã non diffunditur ſecundum eſſe reale, proindéque tantum ſecundum eſſe intentionale.

## ARTICVLVS QVARTVS.

### *De Guſtu.*

### MEMBRVM PRIMVM ET SECVNDVM.

*De nomine & exiſtentia guſtus.*

NOmine guſtus intelligitur ſenſus internus ad ſapores percipiendos ordinatus, & quòd illos quotidie percipiat factũ eſt vt eius certiſſima ſit exiſtẽtia. Certũ etiam eſt eius ſubiectum eſſe linguã, in iis quæ linguã habent vel aliquid linguæ proportione reſpõdens in iis quæ carẽt lingua, vt ſcribit Ariſtoteles in libris de hiſtoria animalium cap. 13. & alibi.

Quę verò pars linguæ ſit huius ſenſus ſubiectum ſtatuendum eſt, ideóque notandum primò duos neruos à cerebro ad linguam vſque deriuari, qui per mediam eius partem, & per ramulos quoſdam ad eiuſdẽ linguæ latera, imò etiam ad palatum diffunduntur.

Notandum ſecundò ſupra eiuſmodi neruos diſtentam occurrere carnem ſpongioſam, poroſam, & humidam, duplici cute obtectam. His duobus notatis.

Toletus in tertium de anima, qu. 2. concluſione, prima, ſuſtinet guſtandi facultatem eſſe per totam linguam diffuſam, id eſt tam per neruos, quàm per carnem ſpongioſam quæ ſententia reuera non eſt improbabilis maximè cùm ſuprà dixerimus obiecta guſtus & tactus poſſe ſentiri, quando cum ipſis ſunt immediatè coniuncta, quod non fieret ſi guſtandi facultas non reſideret in illa carne ſpongioſa, ſed tantum in neruis ſub illa contentis. Communior tamen ſententia eſt guſtum tantum eſſe in neruis per linguam & palatum diſperſis præſertim verò in linguæ cuſpide, eò quod eius partes nerui molliores ſint, ideóque ad ſapores percipien-



Digitized by Google

Negant multi, quorum alij duos tactus conſtituunt, vnum calidi & frigidi, alterum ſicci & humidi, vt Ægidius; vel vnum doloris, & alterum titillationis, vt Auicenna: alij quatuor, primum quatuor primarum qualitatum, ſecundum grauitatis & leuitatis, tertium voluptatis, quartum titillationis.

Longè tamen probabilius eſt vnicũ eſſe tactum per omnes animalis partes fuſum.

Probatur, ab vnitate obiecti formalis vnitas cuiuſlibet facultatis deſumitur, atqui vnicum eſt obiectum formale tactus, nempe tangibile, quatenus tangibile, ſicut idem eſt obiectum intellectus, nempe intelligibile, quatenus intelligibile, ergo, &c.

Occurres hanc rationem nihil probare, quia alioquin diceremus non dari niſi vnum ſenſum, qui circa ſenſibile vt ſenſibile eſt, in communi verſaretur.

Reſp. negando paritatẽ, quòd enim diuerſi ſenſus conſtituantur, eſt quia habent ſpecialia ſua obiecta formalia inter ſe diſtincta, vt viſus viſibile, auditus audibile, & ſic de cæteris, quod non reperitur in tactu, in quo non datur niſi vnum tangibile, quatenus tangibile eſt, ſub quo non conſtituuntur varia obiecta formalia variis tactibus conuenientia.

## DVBIVM SECVNDVM.

*De obiecto tactus.*

Certum eſt obiectum tactus eſſe tãgibile. Certum etiam eſt ſub tangibile contineri quatuor primas qualitates, quia tactu maximè ſentiuntur. Difficultas tantum eſt, an nihil præter primas qualitates ſit proprium ipſius tactus obiectum: vbi.

Notandum eſt ſermonem tantum eſſe de obiecto proprio, & quod à ſolo tactu percipitur, non autem de obiecto communi, & quod à pluribus ſenſibus percipitur. Quo poſito ad difficultatem.

Reſpondeo affirmatiuè ſolas primas qualitates pertinere ad proprium tactus obiectum, alias verò omnes ſecundas, quas recenſet Ariſtoteles 2. de generatione, cap. 2. text: 8. graue, leue, durum, molle, & cæt. ſupra allata eſſe ſenſibilia communia, & non à ſolo tactu percipi.

Sed grauior difficultas eſt de voluptate & dolore, an etiam tactu percipiãtur: ſed adhibita diſtinctione facilè ſoluetur, voluptas enim & dolor tribus modis vſurpari poſſunt, primò pro cauſa voluptatis & doloris, ſcilicet pro perceptione ſenſibilis alicuius, vel moderati & naturæ conſentanei, vel vehementioris & naturę temperiem lędentis, quo pacto pertinent ad tactũ, ab illóque ſentiuntur: ſecundò pro ipſa apprehenſione vel conuenientię, vel diſconuenientiæ illius ſenſibilis quod perceptum eſt, & ſic pertinent ad ſenſum internum: tertiò pro oblectatione vel moleſtia appetitus ſenſitiui de tali re, quæ ipſi tanquam conueniens, vel diſconueniens fuit propoſita, & ita sũt actiones ipſius appetitus ſenſitiui, non autem tactus.

Hactenus de externis ſenſibus.

## SECTIO TERTIA.

*De ſenſibus internis.*

## QVÆSTIO PRIMA. ET SECVNDA.

*De nomine & exiſtentia ſenſus interni*

Qvod ſenſus internus habeat internum organum, & in cerebro reſideat ſenſus internus dictum eſt: circa eius exiſtentiam quædam breuiter ſoluamus.

Digitized by Google

## ARTICVLVS PRIMVS.

*An detur ſenſus internus?*

REſpondeo affirmatiuè, multæ enim operationes, tam in hominibus quàm in brutis reperiuntur diſtinctæ ab actionibus, cùm intellectus & voluntatis, tum etiam ſenſuum externorum, vt quod ouis percepto lupo eum iudicet eſſe inimicum, ideóque fugiendum. Mitto quod ligatis ſenſibus externis, tam homines, quàm brutæ animantes varia ſibi effingant, quę nonniſi ad aliquem ſenſum internum pertinere poſſunt.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*Quot dentur ſenſus interni?*

ALij vnicum admittunt, qui in diuerſis partibus pro diuerſa earum diſpoſitione diuerſas edat operationes. Alij duos tantum, ſenſum communē & phantaſiam. Alij tres: ſenſum communem, phantaſiam & memoriam. Alij quinque, ſenſum communem imaginatiuam, æſtimatiuam, phantaſiam, & memoriam. Alij denique quatuor, quorum ſententiam vt probabiliorem lubentius amplectimur, & quibuſdam propoſitionibus declarabimus.

*Prima propoſitio.*

NEceſſariò admittendus eſt cōmunis ſenſus.

Probatur, ſolet natura quantum poteſt multitudinem ad vnitatem reuocare: ergo conueniens fuit vt omnes ſenſus externos aliquo pacto in vnum cōiungeret, in quem veluti in centrum ab organis ſingulorum ſenſuum tanquam à circumferentia ſenſibilium imagines confluerent, colorum ab oculis, ſonorum ab auribus, odorum à naribus, ſaporum à lingua, & tactilium qualitatū à toto corpore.

Confirmatur ligatis ſenſibus externis experimur nos eorum omnium obiecta percipere, colores, ſonos, odores, &c. imò & bruta animalia, idem præſtare nemo negat; ergo debet dari ſenſus aliquis, íſque internus, qui has omnes imagines recipiat, & ille eſt communis.

*Secunda propoſitio.*

PRæter ſenſum communem admittenda eſt neceſſariò phantaſia, à communi ſenſu diſtincta. Probatur experientia: Pręter actionem ſenſus communis, quæ eſt cognitio ſenſibiliū omnium, itémque cognitio diſcriminis quod inter ipſa intercedit, experimur nos habere alias operationes ab iis prioribus diſtinctas, nóſque multa fingere, res cōponere diſiūctiſſimas, & cōiūctiſſimas diſiungere, ergo alius ſenſus internus dari debet, nempè phantaſia.

*Tertia propoſitio.*

ADmittenda præter phantaſiā æſtimatiua, ab illa diſtincta. Probatur, ille ſenſus eſt neceſſariò admittendus, tanquam diſtinctus à phantaſia, qui diuerſas omnino habet operationes à phantaſia, diuersáque obit munera: ſed æſtimatiua eſt eiuſmodi, ergo, &c. Probatur minor: operatio phantaſiæ eſt perceptio ſenſibilium, ſiue præſentiū, ſiue abſentium & earum copulatio: æſtimatiuæ verò iudicium de rebus perceptis, & coniunctis ſpecierum ſēſatarum, ſeu aliquo ſenſu, ſiue interno, ſiue externo, perceptarum, cum ſenſatis, vt pote lupi cum inimico ad percipiendum lupum inimicum, item vnio ſenſatarum cum non ſenſatis, matris cum delectabili vt formet matrem delectabilem: atqui operationes illæ ſunt diuerſæ, ergo, &c.

Confirmatur, videmus multos plurimum valere phantaſia, minimè verò æſtimatiua, ſeu benè imaginari, malè verò iudicare, ſignum igitur eſt ipſas eſſe potentias inter ſe diſtinctas.

*Quarta*

Digitized by Google

*Quarta propoſitio.*

PRæter ſupradictos ſenſus internos quartus neceſſariò eſt admittendus, nempe memoria.

Probatur, ſenſus ille eſt neceſſariò admittendus qui æſtimatiuas ſpecies in ſe recipit, ſiue ſenſatas, ſiue non ſenſatas, illáſque etiam præteritas percipit, quia id tam in nobis, quàm in brutis deprehendimus: in nobis clarũ eſt, in brutis oſtenditur, quia ouis poſt viſum lupum, & per æſtimatiuam iudicatum inimicũ, poteſt de illo poſtea, vt inimico cogitare, ſiue inter vigilandum, ſiue inter dormiendum, & in ſomniis: atqui memoria ſenſitiua eſt eiuſmodi, vt omnes admittunt, ergo, &c.

Confirmatur: multi ſunt fortis imaginationis, & communis æſtimationis & iudicij, debilis tamen memoriæ, ergo memoria eſt à phantaſia & æſtimatiua diſtincta.

Dices æſtimatiuam idem præſtare, ac phantaſiam, quemadmodum enim phantaſia coniungit ſenſata cum ſenſatis, ita & æſtimatiua, ergo inter ſe non diſtingui.

Neganda eſt conſequentia, licet enim æſtimatiua tanquam ſuperior facultas poſſit obire munus phantaſiæ, tanquam inferioris: quia tamen phantaſia nequit exercere officium æſtimatiuæ, ſeu ſpecies ſenſatas cum non ſenſatis coniungere, ideo ſemper inter ſe diſtinguuntur.

Alij etiam quaternarium hunc ſenſuum internorum numerum alio modo colligunt, ſcilicet ex quatuor diuerſis organis quibus inſident, ſed minus efficaciter quàm ex diuerſis actionibus: quoniam nihil vetat eandem facultatem eſſe in diuerſis organis, cùm tactus ſit per omnes organicas corporis partes diffuſus.

*Quinta propoſitio.*

PRæter quatuor internos ſenſus aſſignatos nulli alij ſunt admittendi. Probatur: omnia munera internorum ſenſuum ad quatuor illos ſenſus opportunè fuerunt reuocata, ergo omnes alij ſenſus interni ſunt ſuperuacanei.

Obiicies, nos omiſiſſe munus reminiſcentiæ, à munere memoriæ, & ſine controuerſia à munere omnium ſenſuũ internorum diſtinctum, ergo reminiſcentiam eſſe quintum ſenſum internũ. Probatur antecedens, munus memoriæ eſt rerum præteritarum recordatio, reminiſcentiæ verò non quæuis ſimplex recordatio rei præteritæ, ſed talis quę fieri debeat in aliquo in memoria reſeruato, quomodo aliquis diceretur habere reminiſcentiam depoſitionis annuli in aliquo loco, ſi poſt obliuionem huius loci cogitaret ſe heſterna luce annulum depoſuiſſe, & poſtea reuolueret ea omnia loca quibus tali die interfuerat, ſicque tandem iis omnibus locis exploratis deueniret in notitiam eius loci, in quo annulum depoſuerat, ergo munera reminiſcentiæ diſtincta ſunt à muneribus memoriæ?

Reſpondeo diſtinguendo antecedẽs, munera memoriæ diſtinguuntur à muneribus reminiſcentiæ, accidentariò, quatenus plura ad reminiſcendũ quàm ad memorandũ requirũtur conc. eſſentialiter quaſi à diuerſis modis eſſentialibus procedent, nego, ſiquidem actiones memoriæ & reminiſcentiæ eodem modo fiunt ex recordatione, ſcilicet rerum præteritarum, cum hoc ſolo diſcrimine, quod memoriæ actio ſit nuda recordatio rei præteritæ, actio verò reminiſcentiæ recordatio rei præteritæ, ſed beneficio alicuius quod in memoria aſſeruabatur, quæ duæ actiones ab eadem facultate eſſe poſſunt.



Digitized by Google

## ARTICVLVS SECVNDVS.
*De ſubiecto ſenſuum internorum.*

ARiſtoteles 3. de anima cap. 2. reponit ſenſum communem in corde tanquam in centro omnium externorũ ſenſuum. Verum magna conſenſione eum oppugnant Medici, acerrimè propugnantes non tantum communem sẽſum, ſed reliquos ſenſus internos in cerebro reſidere. Probatur primò ex eo quod læſo cerebro, vel tollantur omnino, vel ſaltem grauiter offendantur illi ſenſus interni.

Probatur ſecundò, in eo reſident ſenſus interni, à quo manant ſpiritus animales, ſeu illi qui ſunt neceſſarij ad functiones ſenſuum, ſiue exteriorum, ſiue interiorum: atqui omnes ſpiritus animales manant â cerebro, & per neruos ab ipſo cerebro oriundos ad ſenſus externos profluunt, vt anatomicæ artis profeſſores conſtantiſſimè docent: ergo, &c.

Adhuc difficultas eſt in qua parte cerebri exiſtant, an in membranis, quibus cerebri ſubſtantia continetur, quæ *Meninges* dicuntur, an verò in ipſa medulla cerebri?

Reſpondeo exiſtere in medulla, vt docet Galenus lib. 7. de placitis, quod inde patere docet Collegium Conimbricenſe in cap. 3. 2. de anima qu. 1. art. 4. quia mollitudo aquea medullæ cerebri plurimum accommodata eſt internorum ſenſuum functionibus.

Rurſus dubitatur in quanam cerebri parte quiuis iſtorum ſenſuum reponatur. Supra dictum Collegium Conimb. citato loco, ſicut duos tantum admittit internos ſenſus, communem ſenſum & phantaſiam, ita duas tantum ſenſuum internorum ſedes in cerebro conſtituit, vnam communis ſenſus in anteriori parte, alteram phantaſiæ in reſiduis partibus: Nos ad noſtram sẽtentiam accommodatiùs & communi Medicorum opinioni conformiùs, quatuor cellulas in cerebro conſtituimus, in quibus quatuor illi ſenſus reponuntur, primam ſenſus communis in anteriori parte, quam ſedes phantaſiæ ſequitur, tum æſtimatiuæ, poſtremo memoriæ, quo ordine ſpecies ab obiectis externis per externos ſenſus excipiunt, nempe ſenſus communis immediatè, eo medio phantaſia, tum æſtimatiua, poſtremò memoria.

## ARTICVLVS QVARTVS.
*An omnes ſenſus interni in ſingulis animalibus exiſtant.*

QVæcùmque ſtatuemus certiſſima ſunt: primò ſenſum communem reperiri in omnibus animalibus, tum quia in omnibus illis reperitur ſomnus, quo eorum vires fractæ reficiantur, cùm tamen ſomnus ex Ariſtotele in lib. de ſomno & vigilia ſit affectio ſenſus communis. tum quia nulla ſunt animalia quæ non delectentur ſuis operationibus, quod fieri non poſſet ſine aliquo ſenſu communi.

Secundò, certum eſt phantaſiam, ſaltem imperfectam quæ circa præſentes fertur, omnibus animalibus cõuenire, quia in ſingulis datur appetitus, vel aſſequendi quod bonum eſt, vel fugiendi quod malum eſt, appetitus verò ille ſupponit phantaſiam ſaltem imperfectam, quæ illi obiectum præſens proponat ſub ratione conuenientis, vel diſconuenientis.

Tertiò certum eſt phantaſiam perfectam, prout percipit res etiam abſentes, & pari iure æſtimatiuam & memoriam non reperiri in omnibus animalibus, quia non omnia res abſentes percipiunt; nec præteritarum recordãtur, vt patet in muſca quæ ſæpè ad

eum locum redit à quo eiecta eſt.

## QVÆSTIO TERTIA.
### ET QVARTA.
*De eſſentia & affectionibus ſenſuum internorum.*

QVid ſit ſenſus internus in communi, & quid quilibet eorum in particulari ſatis intelligitur ex ſuperioribus, agendum tamen eſt de affectionibus ipſorum ſenſuum internorum.

### ARTICVLVS PRIMVS.
*De affect. ſenſus communis, ſomno & vigilia.*

ROgabis primò quid ſit ſomnus? Poëticè eſt imago mortis:

*Stulte, quid eſt ſomnus gelidæ niſi mortis imago?*

Philoſophicè ex oppoſita vigilia facilè intelligetur. Vnde cùm vigilia ſit omnium externorum ſenſuum, aut ſaltem aliquorum ſolutio & libertas, è cõtrà ſomnus erit ligatio omnium ſenſuũ externorum, ad animalium ſalutem & quietem inſtituta. Ex quo patet plura ad ſomnum requiri quàm ad vigiliã, nam ad vigiliam ſufficit vt ſaltem reliqui externi ſenſus ſint ſoluti, ſomnus verò deſiderat omnium ſenſuum externorum ligationem, ita vt ſi vnus nõ fuerit conſopitus, ſed in opus & actionem incumbat, non iam ſomnus, ſed vigilia ſit.

Diximus ad ſalutem & quietem animalium, quia plerúmque contingit vi alicuius morbi acutiſſimi omnes ſenſus obtorpeſcere, vt videre eſt in iis qui lethargo laborantes penè mortui, & omnibus ſenſibus orbati iacent, & tamen hæ ſenſuum feriæ ſomnus dici non poſſunt, cùm non ſint ad ſalutem animalis à natura inductæ, ſed ad eius perniciem aliunde inuehantur.

Rogabis ſecũdò, quæ ſit cauſa efficiẽs ſomni? Reſpondeo eſſe vapores, qui à ſtomacho aliiſque partibus ad cerebrũ per venas tranſmittantur.

Probatur, ſomnus contingit, quando ſenſus externi ita ligantur, vt non amplius in actione verſari poſſint, ergo cauſa illa ſomni rectè cenſebitur à qua talis ſenſuum externorum ligatio orietur: atqui oritur ab illis vaporibus qui cùm peruenerunt ad cerebrum, eius natiuo frigore concreti, obſtruunt viã illam ſitam ad aditum ſenſus communis, per quem meant à cerebro ad ſenſus externos ſpiritus animales, ſine quibus nihil agere poſſunt externi illi ſenſus, ergo, &c.

Confirmatur, ratio cur infantes, & phlegmatici ſomniculoſi habeantur, ſenes verò & melancholici peruigiles, non eſt alia niſi quia hi ſiccitate abundant, illi verò humore fumeo, & vaporibus pluribus, vt plurimũ ſunt repleti, ergo legitima cauſa efficiẽs ſomni ſunt vapores ad cerebrum deducti.

Confirmatur ſecundò, ob inediam multi inſomnes noctes ducunt, è contra verò cibo repleti facilè ſe ſomno tradunt, quia cibi inòpia vapores negat, ſuppeditat copia.

Obiicies, ſi vapores eſſent cauſa ſomni, quomodo fieret vt ſtomacho cibis repleto aliquando vigilaremus, exinanito verò dormiremus?

Reſpondeo hoc totum contingere per accidens, & primò quòd pleno ſtomacho vigilemus ratio eſt, quia ſubſunt impedimenta, quæ vel in ventriculo euaporationem, vel in cerebro vaporum concretionem ad prædictam ſenſuum viam occludendam impediãt. Quod verò vacuo ſtomacho aliquando dormiamus cauſa eſt, quia retractis ad cerebrum, & cor ſpiritus, vigilia, id eſt ſenſuum libertas, impeditur, proindéque ſomnus inducitur.

Rurſus obiicies, ſi vapores eſſent



Digitized by Google

cauſa ſomni, non fieret ſomnus niſi obſtructis meatibus per quos ad ſenſus externos ſpiritus animales deferũtur: at hoc dici non poteſt, quia laſſitudine, cantus ſuauitate, tenebris & ſilentio inducitur ſomnus, nec tamen illis vllus vapor procreatur, quos obſtruātur meatus per quos transferũtur à cerebro ad ſenſus externos animales ſpiritus, ergo vapores non ſunt cauſa efficiens ſomni.

Neganda eſt conſecutio maioris, ita enim facimus vapores cauſam ſomni præcipuam, vt etiam interdum aliunde proficiſci non negemus, ſcilicet ex non tranſmiſſione ſpirituum ad ſenſus externos, & eorum reuocatione ad cerebrum & cor, quia cùm ſpiritus illos per vim expultricem ad externos ſenſus, cor & cerebrum, mittant, eoſdem per attractricem reuocare poſſunt: ſic autem vt cerebrum & cor nullos ad externos ſenſus ſpiritus mittant, eóſque ſi miſſi ſunt, retrahant cauſis aſſignatis; laſſitudine ſcilicet, ob quam non valet cerebrum, vel potius expultrix virtus ipſi inſidens nouos ſpiritus trãſfundere, quibus reſtauretur eorum iactura, qui nimio labore conſumpti sũt, ſed potius eos qui reſidui ſunt ad ſe reuocant: ſuauitate verò cantus, tenebris, & ſilentio, quia his exiſtentibus anima remiſſius operatur per sẽſus externos ideóque pauciores tranſmittit ſpiritus, quibus ipſi externi ſenſus in opus incumbunt, patitúrque, vt tandẽ illi ſpiritus, qui emiſſi ſunt intus remeent, & retineantur, viáque per quam traiiciebantur occludatur, qua occluſa ſpirituum influxus prohibetur, proindéque ſomnus, & ſopor inducitur.

Rogabis tertiò, an ſomnus ſit in omnibus animalibus? Reſpondeo affirm. cum Ariſtotele lib. de ſomno, & vig. cap. 4. probóque, nullum eſt animal quod diurnis vigiliis, & aſſiduo labore non defatigetur, ergo indiget ſomno, quo fractæ & debilitatæ vires reficiantur.

Rogabis quartò, an ſomnus fuiſſet in ſtatu innocentiæ? Negant alij, eo quod ſomnus ſua natura inſtitutus ſit ad animalium quietem, & virium reſtaurationem, cuius nulla fuiſſet neceſſitas in ſtatu innocentiæ, quia tunc homines nec vllo fuiſſent labore fatigati, nec vllam virium iacturam paſſi.

Alij commodiùs diſtinguunt, dicúntque illum ſomnum eſſe ablegandum, qui ex laſſitudine, vel morbo oriretur, quia nihil horum in ſtatu innocentiæ fuiſſet: illum tantum eſſe admittendum, quem dulcis alimenti euaporatio induxiſſet, non ad virium iacturam reſarciendam, ſed ad oblectationem & ſinceram voluptatem percipiendam.

Rogabis quintò, quæ ſit cauſa expergefactionis ſeu ceſſationis à ſomno. Ad huius quæſtionis ſolutionem notandũ eſt, ceſſationem à ſomno eſſe duplicem, vnam violentam, alteram naturalem & ſpontaneam: violentam dari, quando animal aliena vi, interpellatione ſomnum ſuum interrumpit, alteriúſque clamoribus ſenſus ſoluere & inuigilare incipit, ſpontaneam verò fieri, quando animal poſt aliquám moram ſponte ſua abſque vlla externa violentia à ſomno reſurgit.

Si agatur de expergefactione, & ceſſatione à ſomno violentia, dicendum eſt illam hoc modo fieri: cùm ingens clamor, & tumultus circa dormientem excitatur, anima à pulſu ſoni, & auditoriæ ſpeciei, ſtimulata beneficio quorumdam ſpirituum, quos probabile eſt in organo audiendi remanſiſſe, ad ipsũ audiendi actum concurrit, clamorémque dignoſcit, primò quidem obſcu-

rius,& quaſi per vmbram, mex clarius & diſtinctius, provt magis ac magis excitatur, tum ipſa anima maiorem conatum faciens, per vim expultricē cerebro inexiſtentem ſpirituum copiam immittit, quibus ſic erumpentibus ſenſus communis aditus viæque & meatus ad ſenſoria ſenſuum externorū tendentes plenius aperiuntur, ſtatimque ad munera ſua obeunda idonea redduntur: inde fit vt is qui ſomno ligatus erat, illico inuigilare incipiat. Si verò ſermo ſit de expergefactione naturali, & ſpontanea, eius cauſa eſt conſumptio vaporum qui obſtruebant meatum per quem animales ſpiritus diffluere ſolēt. Conſumptio verò illa potiſſimum fit, cùm vi caloris naturalis alimenti decoctione, calor & ſpiritus robuſtiores ad externa organa diffunduntur, tollūtque obſtructionem à vaporibus factā, & ita liberam relinquunt externis ſenſibus operandi facultatem.

Rogabis ſextò, vnde fiat vt Galli certo noctis tempore expergēfiant & canāt. Varia hac de re placita refert Scaliger exercit. 239. in Card. quibus præmiſſis aliorum magis probabiles ſententias breuiter recenſebo.

Democritus apud Ciceronem 2. de natura Deorum arbitratur gallum media nocte expergiſci, quod per vniuerſum corpus diſtributo cibo quiete ſatiatus ſit, & mirificè recreatus.

Alij illum galli cantum reuocarunt in peculiarem Solis influxum, dixerūtque Gallum ſolarem eſſe auem, & ob id fieri vt media nocte à ſomno reſurgat, canátque quaſi plenetæ ſuo congratulaturus.

Alij denique & magis conuenienter dicunt ideo gallum ferè ſemper circa mediam noctem à ſomno excitari, & canere, quod talem habeat naturam, taléque temperamentū, ratione cuius, vt potè prēcalidi ordinariè circiter mediam noctem ſoluatur ſenſus, qui prius ligabatur, ipſe gallus euigilare, & quodam naturæ inſtinctu cantum & alarum plauſum edere ſoleat.

Rogabis ſeptimò quare ſomnus ſit matutinis horis iucundior? Reſpondeo quia redeuntis Solis propinquitas ingenerat halitus quoſdam ſoporem inducentes, & obſtructionem meatus à cerebro ad ſenſus externos efficientes, qua poſita obſtructione illico prouocatur ſomnus.

Rogabis poſtremò quæ ſit cauſa multarum rerum quæ inter dormiendū accidunt, vt quod quis gaudeat, triſtetur variiſque paſſionibus afficiatur, obambulet, conſcendat ſcalas, viiſque periculoſiſſimis incedat, æquali ſecuritate ac ſi vigilaret.

Quod attinet ad gaudium, triſtitiā aliaſque pertuabationes, quibus animal inter dormiendum agitatur, Reſpondeo cauſam eſſe phantaſiam & æſtimatiuam, quæ, cùm per ſomnum non ligentur, ſolent ſibi varia effingere, alia gaudium, alia triſtitiam, ſimileſque perturbationes ingenerantia: vnde fit vt appetitus ſenſitiuus, qui phantaſiæ & æſtimatiuæ ſubeſt, à rebus per tales facultates propoſitis variè, tum dolore, tum gaudio afficiatur. Quod ſpectat ad ambulationem, quæ aliquando dormientibus accidit. Reſpondeo cauſam eſſe, quod antea, dum vigilarent, loca, per quæ migrarant, notauiſſent, & quomodo per illa eſſet progrediendum, quorum quidem ſpecies phantaſiæ relictæ ipſis dormientibus, quomodo incedere debeant, oſtendunt. Hinc eſt quod ſi per ignota loca incederent, ſtatim in varia offendicula impingerent.



Digitized by Google

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*De affectionibus phantaſiæ & æſtimatiuæ, ſcilicet de ſomniis.*

Rogabis primò quid ſit ſomnium? Reſpondeo eſſe apparitionem exhibitam per ſenſum internum, in iis qui ſomno conſopiti ſunt.

Rogabis ſecundò quęnam ſit cauſa efficiens ſomnii? Reſpondeo non eſſe intellectum, cùm etiam in brutis ſomnia inueniantur, quamquam non diffiteamur inter ſomniandum intellectum operari & diſcurrere, variáque præſtare; quorum obliuio plurimum diſplicere ſolet: nec etiam ſenſum communem, cùm ſomnium accidat in ſomno, quo exiſtente tam externi ſenſus quàm cõcommunis ſenſus ſunt ligati, ſed eſſe phantaſiam & æſtimatiuam; quæ variis ſpeciebus excitatę varia ſibi effingunt.

Porrò probabile eſt ſomnia hoc modo oriri: quæcúmque ſenſus communis apprehendit, percipiunt etiam phantaſia, & æſtimatiua? imò & plura alia, cùm multa imaginentur, & efforment: prætereà omnium eiuſmodi rerum ſpecies, tam eas quę à communi ſenſu traditæ ſunt, quàm alias de nouo concitatas in ſe conſeruant, ex quibus inter dormiendum varia ſibi efformare poſſunt, vnde plerúmque multa noua extranea & portentoſa animo obuerſantur, nempe propter vapores & ſpiritus qui inordinatè & tumultuosè in cerebro diuagantes ſimulachra, ſiue ſpecies obturbant, commiſcent, hebetant; tum etiam quia anima ipſa, quaſi otioſa ad vſum ſpecierum ſegniter ſe applicat minúſque ſe ad vnum conuertit, quo fit vt aliena multa & minimè inter ſe cohærentia coniungat: & modò hęc, modò illa apprehendat: & ſic ex iiſdem imaginibus diuerſimodè compoſitis, non ſecus ac ex iiſdẽ litteris variè coagmẽtatis, diſſimiles formas ſibi fingat.

Rogabis tertiò quotuplex ſit ſomniũ. Nonnulli quinque ſomniorum genera excogitant ſomnium abſolutè dictum, quod dicunt eſſe quidpiam figuris tectum, quod ſine interpretatione intelligi non poteſt, quale fuit ſomnium Nabuchodonoſoris Regis, & alia plura quæ memorantur tam in ſacris litteris, quàm prophanis: in ſomnium, cùm id quod fatigauerat vigilantem, ingerit ſe dormienti: phantaſma cùm dormiens arbitratur ſe vigilare, & varias, variéque diuagantes formas aſpicere ſe putat: viſũ cùm id quod viderat quis eodem modo accidit & oraculũ cùm in ſomnis aliqua ſancta grauiſque perſona, vel etiam Deus aliquid euenturum, vel non euenturum, faciendum, vel euitandum nuntiat.

Aliter diuiduntur ſomnia; in diuina, dæmoniaca, naturalia, & animalia Diuina ſunt quę nobis immittuntur ſiue à Deo immediatè, ſiue à bonis Angelis intermediis, tum vt rerum latentium & futurarum notitiam impertiat, tum vt honeſtum aliquem & pium affectum in nobis excitet: oriuntur autem ſomnia, illa, vel nouarum ſpecierum impreſſione, vel compoſitione & coordinatione earum quę antea nobis inerãt, inſuper & communicatione noui luminis, quod ipſe ſolus Deus ( neque Angeli poſſunt ) in animam hominis transfundit.

Dęmoniaca autem ſunt, quæ à dęmonibus immittuntur, eodem modo ac ab Angelo bono, ſed oppoſito fine, ſcilicet vt omnes terreant, obſcœnis cogitationibus ac voluptatum illecebris contaminent, nouáque ſuperſtitione induant.

Naturalia ea ſunt, quæ ex corporum affectione, & temperamento eueniunt: ſic naturale ſomnium dicitur ſi melancholici triſtia ſomnient; bilioſi rixas,

Digitized by Google

inimicitias, iurgia:ſanguinei, ignis incendia, Martis clades: & pitituoſi ſeu phlegmatici aquæ potus, natationes, pluuias, &. alia id genus.

Animalia denique ſomnia dicuntur quæ verſantur circa ea, in quibus animal fuit antea occupatum, & quorum ſpecies adhuc recenter impreſſa eſt,quę & facilè repræſentat ipſa obiecta, antea percepta. Animalia etiam dicuntur ſomnia rerum & perſonarum, erga quas odio vel amore vehementer afficimur, quo pacto cantores ſe canere, ſcribę ſe ſcribere, auari pecuniam congerere, liberales, opes profundere arbitrantur.

His duabus diuiſionibus addi poteſt tertia ſomniorum in interna & externa. Interna ſunt quę habent cauſam internam, ſiue corpus, cùm ex eius tantũ diſpoſitione oriuntur, ſiue animam, cum naſcuntur ob præuiam aliquam cognitionem:externa ſunt quæ habent cauſam externam puta Deum, & intelligentias ſiue bonas ſiue malas.

Rogabis quartò, an liceat ex ſomniis aliqua præſagire? Epicurus nec nõ & Tullius lib. de diuinatione omnino artem diuinandi & præſagiendi ex ſõniis de medio ſuſtulerunt; è contrario verò Stoïci eidem non parum momenti & authoritatis arrogarunt, arbitrãtes omnia ſomnia aliquid protendere diſtinguit Ariſtoteles, quædam ſomnia eſſe rerum ſigna, alia cauſas, alia fortuito caſu euenire. De primo tantum genere difficultas eſſe poteſt.

Dicuntur autem ſomnia eſſe ſigna tã præteritorum, quàm præſentiũ, quàm futurorum:præteritorum quidem,quia ſæpè contingit ea nobis per ſomnia repræſentari, in quibus per diem fueramus occupati, vnde cum quis ſomniat rixas tale ſomnium dicitur ſignũ rixarum: quas præterito die habuit:præſẽtium, vt cùm aliquis ſomniat ſe aliquid dulce, puta mel, vel ſaccarum comedere,ſignum enim eſt tunc delapſam eſſe pituitam à cerebro ad linguã, guſtúmque & communem ſenſum eſſe aliqua ratione ſolutos, vt & ſaporem ipſius pituitæ perciperent,& perceptæ ſpeciem ad phantaſiam tranſmitterẽt: futurorum denique non quidem omnium, ſed neceſſariorum,& naturaliũ, quę aliquam habent connexionem cũ cauſa naturali, quomodo ſi aliquis ſõniaret ſe in luto verſari, ſignificare poſſet morbum grauiſſimum ſibi acceſſurum, quia ſignum eſſet organum imaginationis læſum eſſe, & prauo aliquo craſſóque humore affectum, qui niſi adhibitis medicamentis depellatur,talem morbum eſſet allaturus. Eodem modo qui ſomniat ſe eſſe in aquis, futuram aquam præſagire videtur, quoniam indicat aërem plenum eſſe vaporibus in cerebrum illapſis,qui breui in pluuiam reſoluentur.

Dixi, *non omnium futurorum*,quædam enim ſunt ſupernaturalia, vt reſtitutio viſus cæco, & ſimilia, quorum nulla certa explicatio ex naturæ principiis ſumi poteſt,ſed tantum ex Dei reuelatione, qui ea nouit. Idem iudicium eſſe debet de futuris contingentibus liberis, quia cùm à ſolo Deo cognoſcãtur,nulli per ſomnium innoteſcunt,niſi fuerint ipſi diuino inſtinctu & afflatu patefacti.

Rogabis quintò vtrum ſomnia fiant cum libertate? Reſpondeo negatiuè, quia nec quando volumus,ſomniamus, nec pro arbitrio à ſomniis abſtinemus: ſed hæc naturaliter obueniunt, cauſámque habent naturalem,vt expoſuimus.

Obiicies tertij Regum cap. 5. petitionem Regis Salomonis quam habuit inter ſomniandum, ita Deo placuiſſe, vt ſingulare ſapientiæ munus ei largi-

Digitized by Google

tus ſit, ergo fuiſſe liberam.

Reſpondeo ad anteeedens cum D. Th. 1. 2. q. 115. art. 3. D. Bonauent. & aliis. Salomonis petitionem non fuiſſe Deo gratam quòd habuiſſet in ſomniis, ſed ob aliam poſtulationem eiuſdem rei, quam per diem habuerat, ex qua illa inter dormiendum orta fuerat.

Rogabis ſextò, vtrum qui ſomniat ſe ſomniare, verè ſomniet? Reſpondeo negatiuè, probóque ſomniare eſt opus phantaſiæ vel æſtimatiuæ: at qui ſomniat ſe ſomniare, non agit per phantaſiam, aut æſtimatiuam, ſed per intellectum, quia talis actio eſt reflexio ad ſolum intellectum pertinens, ergo, &c.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*An compoſitio, diuiſio, diſcurſus in ſenſibus internis reperiantur?*

NOtandum primò compoſitionem, diuiſionem & argumentationem poſſe eſſe, vel de terminis vniuerſalibus, vt hæc propoſitio (idem de aliis iudicandum) *Omnis homo eſt animal*: vel de ſingularibus, vt, *hic canis eſt inimicus*.

Notandum ſecundò ſenſus internos ſpectari poſſe bifariam, primò ſecundũ ſe, & vi ſua, quatenus nullum habent auxilium à facultate ſuperiori, ſcilicet intellectu, quales reperiuntur in brutis: ſecundò quatenus cum illis ratio coniungitur, quæ per eos potius operatur, quàm ipſi ſine illius miniſterio: quomodo ſe habét in hominibus. Hinc fit vt nullo pacto miſceatur ratio cum ſenſibus internis, quando quærimus an compoſitio, diuiſio & diſcurſus in iis locum habeant: de iis tantum agemus, quatenus reperiuntur in brutis.

*Prima propoſitio*

SEnſus communis neque componit, neque diuidit, neque diſcurrit. Patet tum conſenſu Philoſophorum, tum ex eo quod communis ſenſus duntaxat obiecta ſenſuum externorum particulatim percipiat, de illis verò nihil affirmet aut neget, ſed in ſuperiorem facultatem remittat.

Nec obſtat quod ipſa obiecta ſenſuũ externorum communis ſenſus dicatur diſtinguere, quod vix intelligi poteſt ſine affirmatione aut negatione: ſi quidem communis ſenſus materialiter tantùm diſcernit obiecta ſenſuum externorum, quatenus illa particulatim percipit, non autem formaliter, quaſi vnum neget de alio, verbi gratia ſonũ de lumine ſed id alteri facultati relinquit.

*Secunda propoſitio.*

COmpoſitio & diuiſio reperiuntur in phantaſia & æſtimatiua.

Probatur, phantaſia & æſtimatiua proponunt obiectum appetitui ſub ratione conuenientis, vel diſconuenientis, ſicque illum mouent vel ad proſecutionem talis obiecti, vel ad fugam, ergo debent neceſſariò conuenientiam componere cum obiecto, verbi gratia conuenientiam cum cibo ſumendo, vel diſconuenientiam cum fugiendo, putà cum lupo. Pariter cũ in phantaſia vel æſtimatiua præcipit appetitui, vt aliquid refugiat, verbi gratia vehemẽtius frigus, alterum proſequatur, verbi gratia delicatiorem potum, ſatis vnum diuidit ab alio, nempe frigus à potu: ergo, &c.

Obiicies, compoſitio & diuiſio ſunt operationes intellectus, ergo non poſſunt reperiri in phantaſia & æſtimatiua.

Diſtinguo antecedens: compoſitio & diuiſio ſunt operationes ſolius intellectus, ſi ſint de rebus vniuerſalibus, quarum cognitio ad ſolum intellectum pertinet, concedo; ſi de particularibus nego, qualem compoſitionem & diui-

ſionem

Digitized by Google

594

ſionem in phantaſia & æſtimatiua admittimus.

*Tertia propoſitio.*

DIſcurſus locum habere non poteſt in ſenſibus internis. De ſenſu communi res eſt certa, paritérque de memoria: de phantaſia verò & æſtimatiua probatur: vt facultas aliqua poſſit diſcurrere & ratiocinari debet neceſſariò cognoſcere ratiocinationis principia, quæ ſunt, *dici de omni, dici de nullo*, ex dictis in Logica, ſed phantaſia & æſtimatiua eiuſmodi leges & principia tenere non poſſunt, cùm terminis vniuerſalibus conſtent *de omni, de nullo*, qui ſenſuum notitiam fugiunt, ergo, &c.

Obiicies, vidimus plerumque bruta animalia vnum ex alio colligere, verbi gratia canem in triuio poſitum exploratis duabus viis, per quas leporem haud tranſiiſſe iudicat, ſtatim ad tertiã ſine vlla exploratione ſe transferre, quaſi inferat per duas illas non tranſiuit, ergo per hanc tertiam, itaque diſcurſus in phantaſia & æſtimatiua locũ habere poteſt.

Negandum eſt antecedens, tum quia dubium eſt exemplum canis ibi allatũ, tum quia ſi id pręſtet ipſe canis, pręſtabit ſolo peculiari naturæ ſuę inſtinctu, ſine diſcurſu & ratiocinatione, quatenus beneficio ęſtimatiuę coniunget ſpeciem ſenſatam viarum exploratarum, cum non ſenſata tranſitus leporis per tertiam viam, non exploratam, ſicque illam proponet appetitui, vt imperet virtuti motrici motum congruentem ad proſecutionem ipſius leporis.

## SECTIO QVARTA.

*De appetitu ſenſitiuo.*

DE appetitu ſenſitiuo multa in Moralibus diximus agẽdo de paſſionibus, quædam breuiter addenda ſunt ordine conſueto.

### QVÆSTIO PRIMA.

*De nomine & varia acceptione appetitus.*

APpetitus nomine ſignificatur facultas quædam animæ quæ fertur in bonum ſibi propoſitum, duobúſque modis vſurpatur, primò latè pro vt diuiditur in rationalem ſeu voluntatẽ, & irrationalem, ſeu ſenſitiuum: ſecundò preſsè pro ſolo appetitu ſenſitiuo, quo pacto diximus in Ethicis perturbationes recipi in appetitu, ſcilicet ſenſitiuo, & nos de eo tantùm ſic accepto hoc loco diſſerimus.

### QVÆSTIO SECVNDA.

*De exiſtentia appetitus ſenſitiui.*

DAtur appetitus ſenſitiuus, vt patet ex variis eius perturbationes: ſolum eius quęritur ſubiectum.

Nonnulli appetitum iraſcibilem in corde, & concupiſcibilem in iecore conſtituunt: alij, & probabilius, vtrumque appetitum in corde reponunt, hoc potiſſimum ducti argumento quod vtriúſque perturbationes & effectus in tali parte vigeant, & ſentiantur: ira enim eſt furor ſanguinis circa cor, ſpes efficit palpitationem, & languorẽ, & lætitia dilatationem, triſtitia conſtrictionem, & ſic de reliquis.

Notandum verò eſt licet vtérque appetitus in corde recipiatur, non tamen in eadem parte, ſed in locis aliquantum diſcreteis: ſi quidem vtérque appetitus diuerſam temperiem exigit, iraſcibilis, affluentiam caloris & ſiccitatis: concupiſcibilis verò abundantiã caloris & humiditatis. Diuerſa autem illa temperies eidem parti conuenire nequit. Hinc cùm maior ſit humoris copia in parte dextra quàm ſiniſtra, imò hæc ſiniſtra ſiccitate abundet, inferunt appetitum concupiſcibilem in dextro cordis cornu, iraſcibilem verò in ſiniſtro reſidere. Ex his inferre licet



Digitized by Google

contra Gabrielem appetitum concupiſcibilem & iraſcibilem non diſtingui tantùm formaliter, qua de re nulla difficultas eſt, ſed etiam realiter, tum quia ſubiecto differunt, tum quia vnius actio impedit actionem alterius, verbi gratia actio odij, quod eſt appetitus concupiſcibilis actio, actionem audaciç, quæ eſt paſſio appetitus iraſcibilis, vt videre eſt in cane qui per audaciā in cibum præſentem, & ab aliquo cuſtoditum, fertur, retrahitur verò per odium quod concipit, eo quod aliquē deprehendat à quo percutiatur baculo.

## QVÆSTIO TERTIA, ET QVARTA.

*De eſſentia & affectionibus appetitus ſentientis.*

ESſentia patet ex dictis ſect. 1. præcipua affectio eſt eius diſtinctio à ſenſibus internis, potiſſimùm à phantaſia & æſtimatiua quænam illa ſit Reſpondeo eſſe realem, etenim ſicut intellectus à voluntate reipſa differt, eo quod ſit facultas facem præferens voluntati, illámque regens ac illuminās preuia ſua cognitione: ſic eadem debet eſſe diſtinctio inter phantaſiam, æſtimatiuam & appetitum ſenſitiuum cùm pariter appetitus ſenſitiuus ducatur & illuminetur à phantaſia, vel æſtimatiua.

Confirmatur: illæ facultates realiter diſtinguuntur, quç ſunt in ſubiectis realiter diſtinctis: atqui ſenſus omnes interni & appetitiui ſunt in diuerſis reipſa ſubiectis, illi in cerebro, hi in corde, vt liquet ex dictis, ergo, &c.

## SECTIO POSTREMA.

*De virtute motrice animalium.*

ROgabis primò, quomodo fiat ille motus localis in animalibus? Reſpondeo inter alias duas potiſſimum requiri conditiones Prima eſt, vt dum vna pars mouetur, altera quieſcat; ſecus, tardior erit motus, quod experiētia notum eſt: etenim ſi homo vnum pedem mouere velit, alter debet eſſe conſiſtens, etſi cieatur manus, cubitus non admodum agitabitur idémque non in homine tantùm, ſed omnibus aliis animalibus cernere eſt.

Secunda eſt, vt ex naturæ præſcripto animalia à parte dextra motum incipiant, quod multis indiciis oſtenditur, primo, quia pars dextra fortior eſt ſiniſtra, nec aliam ob cauſam, quam quod ſit ad motum obeundum deſtinata, tum quia claudi ſiniſtro pede facilius ambulant, quàm dextro, quia ſcilicet retineant partem dextram à qua motus validior proficiſcitur: tum denique quia progreſſura animalia ſolent priùs firmare partem ſiniſtram, illámque pretendere cùm motum inchoant, nempe vt ipſa conſiſtente à dextra parte currere incipiant.

Rogabis ſecundò, quæ ſit diſtinctio inter virtutem motricem animalis, & inter appetitum ſenſitiuum?

Reſpondeo eſſe realem, quicquid nōnulli contrà dicant, Probóque: facultas motrix ſuis actionibus fatigatur, non item appetitus ſenſitiuus, ergo ſignum, eſt inter ſe realiter diſtingui.

Secundò, facultas motrix per totum corpus diffuſa eſt, appetitus verò ſentiens in corde reſidet, ergo debent reipſa diſtingui.

Rogabis tertiò, quç ſit virtus illa motrix, cuius interuentu perenniter cor, pulmones, & arteriæ motu conſtrictionis & dilatationis cientur.

Reſpondeo, eſſe vim aliquam peculiarem iis partibus inſidentem, per quam tali motu agitantur, eámque eſſe diſtinctam, cùm ab appetitu: quia hoc ligato, & nihil agente, vt noctu inter-

Digitized by Google

dum contingit, non deſinit motus iſtarum partium exerceri tùm etiam à virtute motrice, à qua manat progreſſiuus animalium motus, ab vno loco ad alium: primò, quia motus progreſſiuus eſt arbitrarius & ſubiicitur directè appetitui, non item motus cordis pulmonum, & arteriarum cùm ſit perpetuus & naturalis: deinde quia virtus motrix, à qua proſſiuus motus oritur per totum corpus diffuſa eſt, vt diximus, non item hæc virtus motrix à qua eſt cordis, pulmonum, & arteriarum motio, ſed tantùm cordi pulmonibus, & arteriis inſidet.

Hæc de Anima ſenſitiua.

# DISPVTATIO VLTIMA.

## *De Anima rationali.*

### SECTIO PRIMA.

*De nomine Animæ rationalis.*

CVM anima humana communem animæ notionem includat, eius notatio ex notatione animæ in communi videtur deducenda. Itáque cùm anima in cōmuni. ex vi ſui nominis ſit primū vitæ principium, anima humana propriè dicetur primum vitæ principium in homine, ſeu primum principium operationum vegetandi, ſentiendi, & intelligendi.

### SECTIO SECVNDA.

*De exiſtentia Animæ rationalis.*

### QVÆSTIO PRIMA.

*An detur, & quomodo procreetur.*

QVòd anima rationalis exiſtat, ęquè certo tenendum eſt, ac hominem exiſtere, cùm homo per animam rationalem conſtituatur: quo verò pacto procreetur, non tantum apud Ethnicos Philoſophos. ſed etiam apud illos quibus cæleſtis diſciplinæ radius affulſit, controuerſia eſt: Tertulliani ex D. Aug. de hæreſibus cap. 86. & Luciferiani ex libro de Eccleſiaſticis dogmatibus, dixerunt animam rationalem per virtutem ſeminalem, quam traducem appellabant, procreari.

Sed hæc ſententia meritò refellitur hac ratione, impoſſibile eſt, vt virtus materialis producat ſubſtantiam ſpiritalem: atqui virtus ſeminalis eſt ſine dubio materialis, & anima rationalis ſine dubio ſpiritalis, ergo &c.

Auicenna & alij poſt eum creari quidem animas rationales conceſſerunt, ſed non à Deo immediatè, verùm Angelis intermediis. At pariter hic error exploditur, quia licet non repugnet creationem alicui creaturæ principaliter competere, ex innumeris tamen ſcripturæ ſacræ teſtimoniis cōſtat nulli adhuc creaturæ, ne quidem Angelo, hanc creandi potentiam fuiſſe conceſſam.

Platonici arbitrati ſunt creationem animarum longè præceſſiſſe earum infuſionem in corpora, & in pœnam peccati eas animas fuiſſe in corpora tanquàm in carceres detruſas.

Aſt iure hoc dogma reiicitur, quia animæ naturale eſt vniri corpori, cùm ſit eius forma proindéque probabile non eſt Deum prius creaſſe animas, quàm migrarent in corpora.

Secundò, quia otioſa fuiſſet anima rationalis ante ſuam in corpus infuſionem, quia nihil egiſſet. Dicunt Platonici eam ſibi ſcientias comparaſſe; ſed hoc ipſa experientia refellit, cùm experiamur nos ſcientias magno ſtudio & pertinaci labore adipiſci, ex quibus



Digitized by Google

relinquitur, vt anima rationalis à Deo immediatè creetur, & creata in corpus infundatur.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*Vtrum Anima rationalis ſit immortalis?*

PRopoſitio eſt affirmatiua, eáque de fide propter expreſſa Scripturæ ſacræ teſtimonia ex infinitis propemodùm ſelecta Gen 17. vbi Iacob deflens mortem, quam filio ſuo Ioſepho putabat obtigiſſe, ſic loquitur, *deſcendam ad filium meum lugens ad Infernum*: Id eſt in Patrum limbum, ex communi Doctorum omnium interpretatione. Exod. 3. *Ego ſum Deus patris tui: Deus Abraham, Deus Iſaac & Deus Iacob*: quæ quidem verba Chriſtus Dominus referens D. Matth. cap. 22. addit, *Non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum*, intellige ſecundum animas Eccleſ. 22. *Reuertatur puluis in terram ſuam, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Sapientiæ 3. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis*, & cap. 4. *Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*: itémque cap. 5. *Iuſti in perpetuum viuent, & apud Deum eſt merces eorum* 2. Machab. cap. 12. *Sancta ac ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare vt à peccatis ſoluantur.* Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem occidere non poſſunt*: & aliis in locis penè innumeris.

Accedit Eccleſiæ definitio, quæ habetur in quinta ſynodo generali art. 13. & apertiſſimè traditur in Concilio Lateran. ſub Innocentio decimo ſeſſ. 8. vbi hæc habet: *Damnamus & reprobamus omnes aſſerentes animam intellectiuam mortalem eſſe, aut vnicam incunctis hominibus, & hoc in dubium vertentes, &c.*

Fauet denique vnanimis omnium Patrum & Doctorum conſenſus, quibus quidem repugnare temerarium eſt.

Nec vim faciunt verba illa quæ habentur Eccleſ. 3. *Vnus eſt interitus hominis & iumentorum*: ſi quidem, vt benè animaduertit D. Thomas 1. parte q. 75. art. 6. ibi loquitur Sapiens in perſona impiorum, qui omni cura de futuræ vitæ ſtatu depoſita, tantum de præſentis vitæ voluptatibus cogitant: vel dicas Salomonem loqui de interitu quantum ad corpus, & vitam animalé, non verò quantum ad animam rationalem. Eadem etiam propoſitio fuit veterum Philoſophorum, Platonis, Socratis & Pythagoræ.

De Ariſtotele dubitatur, alij enim dicunt eum nihil apertè ea de re declaraſſe, ſed rem totam verborum ambagibus, & ſermonis perplexitate obuoluere voluiſſe, ne ſibi infinitum actu neganti, & mundum ab æterno conſtituenti repugnare videretur.

Alij abſolutè negant eam animæ immortalitatem agnouiſſe. Probabilius tamen eſt verè notam fuiſſe Ariſtoteli humanæ animæ immortalitatem, quod variis teſtimoniis eius facilè demonſtratur 1. Eth. cap. 11 vbi ſic habet, *conferre quid proſperi amicorum ſucceſſus defunctis videntur, ſimilique modo etiam & infortunia*: primi de partibus animalium, cap. 1. vbi probat Phyſicam non debere agere de omni anima ſcilicet rationali, quæ eſt de genere rerum intelligibidiū, & abſtractarum à materia, proindèque immortalium: ſecundi de anima textu 2. vbi ſic loquitur de intellectu, *Videtur genus animæ aliud eſſe, & ſolum poſſe ſeparari, ſicut perpetuum à corruptibili*, & pluribus aliis in locis.

Obiſcies primò apud Ariſtotelem, 1. de anima textu 13. anima quæ nullam habet operationem independentem à materia & corpore, non eſt ſeparabilis à corpore, ideóque materialis eſt, ſed ſecundum Ariſtotelem, 2. de anima

text. 29. anima humana non habet operationem independentem à corpore, quia omnis illa operatio pendet à phantaſmate, quod ſine ſenſu, atque adeò ſine corporis negotiatione non eſt, ergo, &c.

Reſpondeo negando minorem, docet enim tantùm Ariſtoteles animam non habere operationem independentem à corpore, id eſt, à ſenſu, & phantaſmate de obiecto ſenſibili, non tamen de quocumque obiecto generatim: vel quamdiu eſt in corpore, non autẽ cùm ſeparata eſt à corpore.

Obiicies ſecundò, ex 3. de anima text. 22. intellectus paſſiuus eſt corruptibilis, ergo iudicio Ariſtotelis anima rationalis eſt mortalis.

Reſpondeo ad antecedens, Ariſtotelem per intellectum paſſiuum intelligere æſtimatiuam, quam certum eſt eſſe corruptibilem.

Obiicies 3. ex 2. Phyſic. text. 22. forma non poteſt ſeparari à materia, niſi ratione, ſed anima rationalis eſt forma, ergo, &c.

Reſpondeo ad maiorem, Ariſtotelẽ vel loqui tantùm de forma materiali, vel de gradu formæ in communi, ſecundum quem non habet vt poſſit à materia ſeparari, aliàs id ſingulis formis conueniret, non autem de forma materiali, qualis eſt anima rationalis.

Denique propoſitionem neceſſariam rationes confirmant. prima, anima ſi eſſet mortalis, & extingueretur extincto corpore, fruſtra illi eſſet à natura conceſſa æternæ beatitudinis cupiditas, ſed hoc dici nequit, quia nihil natura fruſtra facit, ergo, &c.

Secunda ratio: nullum eſt bonum in hac vita quod mentem noſtram implere & ſatiare poſſit, vt probauimus in Moralibus, ergo anima noſtra debet eſſe immortalis, vt in illo æterno, & nunquam intermorituro æuo conquieſcat.

Tertia, anima eſt ſpiritalis, ergo immortalis: conſequentia patet, nam quod eſt ſpiritale, nec habet materiam quæ eſt principium corruptionis, nec ex eius potentia educitur, proindéque corrumpi non poteſt. Probatur antecedens primò ex ſacris litteris in quibus paſſim anima vocatur ſpiritus, Eccleſ. 12. *Spiritus redeat ad Deum. Luca 13. In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*: & pluribus aliis in locis. Probatur ſecundò idem antecedens: facultates animæ rationalis, puta intellectus, & voluntas, ſunt omnino ſpiritales, feruntur enim in obiecta ſpiritalia, ergo anima à quo profluunt debet quoque eſſe ſpiritalis.

Quarta ratio ex hac tertia deducitur, per ſolam creationem anima producitur, cùm ſit immaterialis, ergo non poteſt corrumpi ad corruptionem ſubiecti, proindéque eſt immortalis.

Quinta, ſi anima non eſſet immortalis, fruſtranea eſſent bona opera, fruſtráque admonitiones ad bene viuẽdũ inſtituerentur, cùm bonorum operum præmia non in hac vita, ſed in alia expectemus.

Accedit quod quemadmodum ille Phidias nobilis effigiem ſuam non niſi in ſcuto Mineruæ pretioſiſſimo quod æternum fore putabat, includere voluit: ita etiam non decuit Deum ſuam imaginem imprimere in re tam vili, & futuli, qualis eſſet anima rationalis, ſi mortalis & caduca eſſet.

Obiicies primò, ſi anima rationalis eſt immortalis quare quiſque inſtantẽ mortem timet?

Reſpondeo, horrorem illum naſci ex appetitu ſenſitiuo, qui dolorem ex ſeparatione animæ à corpore reformidat; vel etiam ex appetitu rationali,



Digitized by Google

quando exitura anima graue peccatorum onus perſentit: non autem quando anima nihil ſibi conſcia è corpore ad cælum migratura egreditur: ſic enim ſolutionem à corpore cupit, iuxta illud D. Pauli, *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*.

Rurſus obiicies, ſi anima eſſet immortalis, & permaneret à corpore ſeparata, fore tunc in ſtatu violento, cùm eſſentialiter ſit forma corporis, at hoc abſurdum eſt, cùm ex Ariſtotele 2. de cælo text. 18. nullum violentum ſit perpetuum, ergo, &c.

Reſp. ad conſequentiam maioris, animam à corpore ſeparatam futuram aliquo pacto in ſtatu violento ratione ſui appetitus naturalis, quia ſemper propendebit in corpus cuius eſt forma: non autem ratione ſuæ entitatis & eſſentiæ, quia hæc eſt independens à corpore, quomodo ſumitur violentum ab Ariſtotele, quando negat aliquod violentum eſſe durabile, ſcilicet pro eo quod eſt extra locum, in quo tantùm conſiſtere poteſt.

## QVÆSTIO TERTIA.

*De numero & multitudine animarum.*

Prima ſententia eſt Auerroïs, vnica tantum eſſe animam intellectiuam, quæ ſingulis hominibus aſſiſteret, corũ tamen corpora non informaret.

Secunda eſt Pythagoræorum & Platonicorum qui eaſdem animas ab vno corpore migrare ad aliud aſſerebant, & ideo pauciores animas, quàm corpora admittebant.

Tertia, & veriſſima eſt, tot dari animas rationales, quot corpora humana: quam breuiter duplici propoſitione explicamus.

*Prima propoſitio.*

Non datur vna tantùm anima ſingulis hominibus aſſiſtens.

Ita definitur in Concilio Lateran. ſupra citato pro immortalitate animæ.

Accedit ratio, nam aut illa anima per totum vniuerſum eſſet diſperſa, aut in vno certo loco concluſa: primum dici non poteſt, nam totum vniuerſum eſſet homo, cùm conſtaret corpore & anima rationali: ſi dicatur ſecundum, vlterius inquiro, vel locus iſtius animæ omnibus hominibus aſſiſtentis eſt totũ ſpatium, in quo exiſtunt homines, cõprehenſis etiam partibus interiectis, in quibus nullus eſt homo, vel eſt tantum ſpatium in quo manent homines, non comprehenſis partibus interiectis: ſi primum, ſequitur prædictum incommodum, totum illud ſpatium eſſe hominem: ſi poſterius, vel anima erit diuiſa à ſe, ſicut multi homines à ſe diuiduntur; vel vna in pluribus locis diſcretis à ſe diſtantibus: quorum vtrúmque ſatis apparet eſſe falſum.

Confirmatur, quia ſi eadem eſſet anima numero in ſingulis hominibus, omnes homines eſſent vnus numero homo, ſicut ſi eſſet tantum vna ſpeciei anima, vna tantum eſſet animati ſpecies, quod tamen abſurdum eſt.

*Secunda propoſitio.*

Non datur migratio animarum ab vno corpore ad aliud, ſeu Pythagoræorum & Platonicorum metempſychoſis, tum quia nulla ratio eſt cur anima in aliquo corpore exiſtens, eorum non recordaretur quæ pertuliſſet & intellexiſſet in alio corpore, tum quia homines diuerſis temporibus exiſtentes eſſent vnus homo, quoniam eadem anima conſtarent: tùm demum quia eadem anima eaſdem numero requirit diſpoſitiones, vt introducatur, quæ naturaliter redire non poſſunt.

Ex hac duplici propoſitione ſequitur iuxta definitionem Concilij Lateran. tot eſſe animas quot corpora, hócque tanquam de fide tenendum eſſe.

Digitized by Google

## SECTIO TERTIA.

*De eſſentia animæ rationalis.*

Anima rationalis aliud nihil eſt quàm forma ſubſtantialis humani corporis.

Dubitant tamen aliqui an ſit forma aſſiſtens, vel informans.

Verùm ex fide conſtat eſſe formam informantem, id enim habetur definitum Concilio Lateranenſi & Viennenſi ſub Clemente 5. vt refertur in Clementina vnica de ſumma Trinitate, capitulo *Porrò*: *Quicunque pertinaciter aſſerere præſumpſerit quod anima rationalis non ſit forma corporis humani, per ſe & eſſentialiter, tanquam hæreticus eſt cenſendus.* Accedit ratio, tum quia anima rationalis eſt internum, & naturale principium actionum homini propriarum, intellectionis ſcilicet, & volitionis: proindéque debet eſſe interna, eſſentialis, & informans: tum quia alioquin homo eſſentialiter non diceretur rationalis nec per rationale eſſentialiter diſtingueretur, quod abſurdum eſt, ergo anima rationalis eſt forma informans.

Obiicies, anima nequit cum corpore coniungi, ergo non poteſt eſſe eius forma informans. Probatur antecedens: ſi quid ſit per quod anima rationalis coniungi queat cum corpore, vel erit ſubſtantiale, vel accidentale: non ſubſtantiale, quia diſſoluta vnione anima aliquid ſuæ ſubſtantiæ deperderet; non quoque accidentale, quia tunc anima non eſſet ſubſtantialiter, ſed accidentariò tantum vnita corpori, ergo nihil eſt per quod anima vniri poſſit cum corpore.

Reſpondeo negando antecedens, ad eius probationem, dico animam vniri corpori per aliquid ſubſtantiale, nempè per ſuam ſubſtantiam cum habitudine quadam ſibi interna ad corpus ipſum debitè diſpoſitum. Nec hinc ſequitur diſſoluta vnione animam aliquid de ſubſtantiæ perdere, manet enim ſemper tota ſed tantùm ſequitur habitudinem illam ſubſtantialem amittere corpus ſufficienter diſpoſitum ob receſſum ipſarum diſpoſitionum.

## SECTIO QVARTA.

*De affectionibus animæ rationalis.*

### QVÆSTIO PRIMA.

*An omnes animæ rationales ſint æqualis perfectionis.*

Notandum eſt primò duobus modis animas poſſe dici æquales, primò ſecundùm eſſentiam, ſecundò ratione proprietatum naturalium.

Notandum ſecundò proprietates rationalis animæ eſſe in duplici differentia, alias immateriales quæ conſequuntur gradum intellectiuum, vt intellectus & voluntas: alias materiales & organicas, quæ dependent ab organis corporeis, & ſequuntur gradum vegetandi, & ſentiendi, vt ſunt omnes vegetatiuæ & ſenſitiuæ facultates. Quibus ita notatis, ſit.

*Prima propoſitio.*

Omnes animæ rationales ſecundùm ſuas eſſentias ſunt æqualis omnino perfectionis.

Probatur: omnia indiuidua eiuſdem ſpeciei ſunt æqualis perfectionis in eſſentia, ſed omnes animę rationales ſunt eiuſdem ſpeciei indiuidua; alioquin homo non vnius eſſet, ſed diuerſæ ſpeciei ab alio, quod communior veriórque ſententia non recipit, ergo, &c.

*Secunda propoſitio.*

Omnes animę rationales ſunt æqualis perfectionis ſecundùm proprietates naturales ipſas conſequentes & immateriales, putà intellectum &

Digitized by Google

cæci & ſurdi à natiuitate de coloribus & ſonis per eiuſmodi ſpecies congenitas ſcientias comparare, de illiſque iudicium ferre, quod experientiæ aduerſatur.

Rogabis ſecundò quónam pacto producantur iſtæ ſpecies intelligibiles?

Reſpondeo, variam eſſe hac de re ſententiam, nam primò aliqui defendunt phantaſma, ſeu ſimulacrum obiecti ſenſibilis, in phantaſia receptum aliqua ſibi ab intellectu agente communicata luce colluſtratum, poſtea producere ſpeciem intelligibilem in intellectu. Sed hæc ſententia nulla ex parte probatur: & primò refellitur quantum ad id quod ſtatuit exilire ab intellectu in phantaſma lucem aliquã: nam aut lux illa erit corporea, aut incorporea: ſi corporea, non poteſt intelligi, quomodo ab intellectu, qui eſt potentia ſpiritalis producatur: ſi incorporea, in phantaſmate recipi non poteſt, & ſic illud eleuare ad ſpeciem intelligibilem in intellectu producendã.

Refellitur quoque hæc ſententia ſecundùm alterum, quod habet phantaſma colluſtratum efficienter concurrere ad productionem ſpecierum intelligibilium in intellectu, etenim quantumcúmque illuſtretur phantaſia, ſemper eſt corporea, & intra materialis naturę cancellos cohibita, ideóque nullam rem ſpiritalem, qualis ſpecies intelligibilis, poteſt efficienter producere.

Secunda ſententia eſt intellectum ſimul & phantaſma producere ſpeciem intelligibilem, intellectum quidem tanquam pręcipuam cauſam, phantaſma verò tanquam minus pręcipuam & inſtrumentalem ipſius intellectus.

Verùm hęc ſententia pariter exploditur, quia ſi phantaſma eſſet inſtrumentum naturale intellectus ad producendam ſpeciem intelligibilem, deberet ab eo intellectus aliquid recipere, quod tamen fieri non poſſe diximus.

Optima igitur ſententia eſt ſpeciem intelligibilem produci à ſolo intellectu agente, per phantaſma determinato, quæ ſententia ſic explicatur. Poſtquam ſpecies ſenſibilis per ſenſum externum ad communem ſenſum, à communi ſenſu ad phantaſiam meauit, factúmque eſt phantaſma, tunc anima quæ vbique corpori præſens eſt, per intellectum incipit elicere ſpeciem intelligibilem, & illam intellectui patibili imprimere, vt ea conſignatus ſuã exerceat operationem. Atque præſens ſententia tum ex aliarum confutatione confirmatur, tum etiam ex eo quod nullum ex ipſa ſequatur incommodum.

Rogabis tertiò, quid ſint ſpecies intelligibiles?

Reſpondeo eſſe qualitates ſpiritales ab intellectu agente fabricatas, vt ipſi obiecta intelligibilia repræſentent, illúmque ad agendum determinent.

Occurres, res ſpiritalis nequit repræſentare rem corpoream; ergo ſi ſpecies intelligibilis ſit ſpiritalis, non poterit repræſentare rem corpoream.

Reſpondeo diſtinctione antecedentis, res ſpiritalis nequit repræſentare rem corpoream formaliter, ſicut imago Cæſaris ipſum repræſentat, concedo; efficienter verò, nego: quo pacto tum ſpecies ſenſibiles, tum intelligibiles ſua obiecta repræſentant. Inſtabis, ſi ſpecies ſpiritalis efficienter repræſẽtet rem corpoream, quid ni & ſpecies corporea rem ſpiritalem repræſentabit?

Reſpondeo, quia ſpecies ſuperioris ordinis, vt eſt intelligibilis reſpectu ſenſibilis optimè referre poteſt, ſaltem efficienter, ea quæ ſunt inferioris ordinis, non tamen vice verſa.



Digitized by Google

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De conuerſione intellectus ad phantaſmata.*

SEnſus eſt, an ſit neceſſarium intelligentem ſeſe conuertere ad phantaſmata, illáque ſpeculari, poſtquam ex ipſis ſpecies intelligibiles eruit? Reſpondeo affirm. quod duplici indicio videtur manifeſtum. Primò, quia ſi cerebrum læſum fuerit, & ſenſus interni in eo reſidentes offenſi, intellectus etſi ſpeciebus intelligibilibus conſignatus in ſuis operationibus turbatur, non alia de cauſa, quàm quia intellectus ad intelligendum exigit conſortium phãtaſmatum, ad quæ ſeſe conuertat. Alterum indicium eſt quod experientia cõſtet, quotieſcúmque rem aliquam ſiue materialem, ſiue immaterialem cognoſcere volumus, non nobis efformare ac repræſentare materialia quædam idola, & ſimulacra in quibus id intueamur, quod intelligere intendebamus.

## ARTICVLVS QVARTVS.

*De termino intellectionis, ſeu verbo mentis.*

COnſtat omnium conſenſione duplex eſſe verbum: alterum oris, ſeu vocale, quod & externum nuncupatur: alterum cordis, ſeu mentale, quod & internum vocitatur, éſtque priori præferendum, cùm eatenus tantum verbũ oris verum ſit, quatenus, verè nobis repræſentat animi verbum.

Rogabis vltra: vtrum producatur verbum per quamcúmque intellectionem?

Reſpondeo affirm. probóque primò, quia omnis actio realis denominatur à termino producto; ideóque cùm intellectio ſit realis actio, habebit aliquem terminum à ſe productum, nempe verbum.

Secundò, non magis repugnat calefactionem eſſe ſine calore, quàm intellectionem ſine verbo: quia tam verbum eſt terminus ad quem intellectionis, quàm calor calefactionis: atqui repugnat calefactionem eſſe ſine calore, ex dictis de motu, ergo, &c.

Denique verbũ nihil eſt aliud quàm ſpecies expreſſa, ſeu aſſimilatio obiecti ſed non datur actualis intellectio ſine eiuſmodi aſſimilatione, ergo nec ſine verbo.

Dices per actionem immanentem nihil produci ex 6. Eth. cap. 4. & 5. ergo cùm intellectio ſit actio immanens, per eam non poſſe produci verbum.

Neganda eſt conſequentia, docet enim Ariſtoteles loco in antecedenti citato, per actionem immanentem nihil externum produci; non autem internum, quale eſt verbum comparatione intellectionis.

Rogabis ſecundò, quomodo verbũ diſtinguatur ab obiecto?

Reſpondeo primò citra controuerſiam diſtingui ab obiecto externo realiter: quia verbum mentis tantùm reſidet in intellectu; externa verò obiecta, vt cælum, elementa, & ſimilia, extra intellectum exiſtunt, manéntque ab ipſo realiter ſeparata.

Reſpondeo ſecundò etiam citra omnem dubitationem non diſtingui realiter realitate maiori, ſed tantùm minori ab obiecto interno, intellectu videlicet: vel anima, quando intellectus ſe ipſum aut animam intelligit. ſi quidẽ licet intellectus & anima poſſint eſſe ſine verbo, quod arguit diſtinctionem realem minorem, non tamen verbum poteſt eſſe ſine intellectu & anima, quod requireretur ad diſtinctionem realem maiorem.

Rogabis tertiò quo pacto verbum diſtinguatur à ſpecie impreſſa ſeu intelligibili?

Reſpondeo realiter realitate maiori,

Digitized by Google

quod ſic probo: fieri poteſt diuina virtute vt intellectio ſit ſine ſpecie impreſſa, qualis eſt illa qua beati in patria Deum contemplantur, cùm enim illa ſpecies ſe habeat in genere cauſæ efficientis ad intellectionem, facilè poteſt à Deo ſuppleri, ac proinde cùm intellectio eadem reipſa ſit cum verbo mentis, verbum eſſe poterit abſque ſpecie impreſſa: poterit etiam ſpecies impreſſa intelligibilis eſſe ſine verbo, etenim ceſſante intellectione & verbo manet adhuc ſpecies illa impreſſa, ergo diſtinguuntur realiter maiori realitate verbum & ſpecies impreſſa.

## ARTICVLVS QVARTVS.

*De obiecto intellectus.*

### MEMBRVM PRIMVM.

*Vtrum ſolum ens reale ſit proprium, & adæquatum intellectus obiectum.*

Certum eſt intelligibile eſſe obiectum intellectus ſicut ſenſibile eſt obiectum ſenſus, ſed difficultas eſt vtrum etiam entia rationis ſub illo contineantur.

Reſpondeo affir. reuera enim noſter intellectus non tantùm percipit entia rationis per modum entium realium, vt malè fingunt plerique Thomiſtæ, ſed abſolutè ſecundum ſuas rationes, & prout diſtinguuntur ab entibus realibus, verbi gratia ens fictitium, prout eſt fictitium; priuationes, prout ſunt priuationes; & externæ denominationes, quà externæ denominationes.

### MEMBRVM SECVNDVM.

*An corporea ſubſtantia per ſe ſint de obiecto intellectus, & ab ipſo cognoſcantur.*

Reſpondeo affirmatiuè ſi quidem de illis datur ſcientia, proindeque ad intellectum pertinent, ab ipſoque cognoſcuntur. Tantum difficultas eſt quomodo illa ſubſtãtia materialis cognoſcatur, an per propriam ſpeciem, an verò tantum per ſpeciem accidentium, quibus afficitur. Negant multi ex Philoſophis ſubſtantiã ab intellectu cognoſci per propriam ſpeciem, voluntque tantùm intelligi per ſpeciem accidentium.

Contrarium tamen, tanquam probabilius, plures ſtatuunt, probantque ſimul euertendo contrariæ opinionis fundamentum: tota ratio, propter quam ſubſtantia materialis per propriã ſpeciem non percipiatur, eſt, quia ſenſibus per ſe non obiicitur, nihil verò eſt in intellectu quod prius non fuerit in ſenſu: ſed hæc ratio nulla eſt: ſiquidem noſter intellectus in obiecto ſenſus multas rationes communes, & generales apprehendit, quas nullus ſenſus percipit, quippe qui tantum circa ſingularia verſetur: nihil igitur obſtat quominus intellectus poſſit ſubſtantiam materialem per propriam ſpeciem intelligere.

Confirmatur hæc ratio, imaginatiua bruti ex vi ſpeciei ſenſatã poteſt elicere non ſenſatam, vt diximus ſuprà, ergo potiori iure intellectus, qui eſt facultas ſuperior, poterit ex ſpecie ſenſata accidentium elicere & formare non ſenſatam ſubſtantiæ materialis, his accidentibus ſubiectæ. Dices, quid igitur ſibi vult illud vulgò receptum in ſcholis Philoſophorum, nihil eſt in intellectu quod non fuerit priùs in ſenſu?

Reſpondeo diſtinguendum eſſe, nihil eſt in intellectu quod non fuerit prius in ſenſu, vel per ſe, vel per aliud, vel inchoatiuè vel completiuè, non autem ſemper per ſe, & completiuè: & ſecundum hoc ſubſtantia præfuiſſe in ſenſu dicenda eſt.

### MEMBRVM PRIMVM.



Digitized by Google

*Vtrum tam vniuerſalia quàm ſingularia, ſint de obiecto intellectui, ab illoque percipiantur.*

RESpondeo affirmatiuè, & primò, quod ſpectat ad vniuerſalia, expreſſa eſt Ariſtotelis ſententia 1. Phyſic. cap. 3. & 3. de Anima cap. 4. vbi hoc diſcrimen conſtituit inter intellectum & ſenſum, quòd ille vniuerſalia, hic verò tantùm ſingularia percipiat.

Quod verò attinet ad ſingulare, illud ab intellectu percipi probatur primò, intellectus corrigit ſenſum errantem circa ſingularia, ergo ipſa percipere debet, Secundò ſæpe numero format intellectus propoſitiones ex terminis ſingularibus: vt hic homo eſt Socrates, iſte Ariſtoteles, ergo ſingularia quoque ipſa intelligit.

Dubium dumtaxat remanet quomodo ipſa tam vniuerſalia quàm ſingularia cognoſcantur, an vniuerſalia per ſpeciem diſtinctam ab illa qua cognoſcuntur particularia, & vice verſa: duplici propoſitione hoc dubium ſoluemus.

*Prima propoſitio.*

VNiuerſalia poſſunt ab intellectu cognoſci per eandem ſpeciem, quâ repræſentantur ſingularia.

Probatur, ſpecies repræſentantes ſingularia omnes gradus ſuperiores illis eſſentiales referunt: verbi gratia ſpecies quæ repræſentat Petrum, per ſe & natura ſua refert, & quòd ſit ens, & quod ſubſtantia, corpus, viuens, animal, homo, Petrus: ergo ad hoc vt intellectus hos vniuerſales gradus percipiat, non indiget alia ſpecie ab ea quæ repræſentat entitatẽ ipſius ſingularis, ſed tantùm opus eſt fortiori attentione ad concipiendos gradus communes, relictis & præciſis conditionibus indiuiduantibus.

Dixi ex natura ſua, & per ſe, aliquando enim per accidẽs ob ſpeciei imperfectionem naſcitur vt ſola ſingularitas repræſentetur cum quibuſdam gradibus vniuerſalioribus, non autem percipiantur omnes vniuerſales gradus, v. g. genera propinqua, ſicuti quamuis per eandem ſpeciem albedo, & figura in aliquo ſubiecto putà in pariete exiſtentes percipiantur, naſcitur tamen plerumque ex ſpeciei imbecillitate, vt ſola albedo percipiatur, non item figura.

Obiicies, ſi per eandem ſpeciem cognoſcerentur vniuerſale & ſingulare, nõ poſſet cognoſci vniuerſale ante ſingulare; at conſequens falſum: ſi enim Angelus extitiſſet ante homines creatos, potuiſſet cognoſcere hominem in communi, nullum tamen in particulari, ergo, &c.

Reſpondeo abſolutè negando conſecutionem maioris, licet enim vniuerſalia non cognoſcantur per ſpecies acquiſitas, ante ſingularia, quia non acquiruntur illæ ſpecies niſi per ſenſus, qui tantum verſantur circa ſingularia, per ſpecies tamen infuſas contrarium poſſet accidere, quia illæ ſpecies tametſi ſingularium & vniuerſalium repræſentatiuæ, tamen in actu ſecundo repræſentarent vniuerſalia, quorum cognitio, vt potè abſtractiua, non pendet ab exiſtentia: ſingularia verò tantùm in actu primo, quorum cognitio, vt potè intuitiua, neceſſariò ab obiecti exiſtentia dependet.

*Secunda propoſitio.*

PEr eandem ſpeciem, qua cognoſcũtur vniuerſalia, ſingularia quoque cognoſcuntur; ſed cum hoc diſcrimine, quòd ſpecies quâ repræſentantur ſingularia, ſit ipſorum ſingularium vt ſingularia ſunt, non autem vniuerſalium, vt vniuerſalia ſunt, quia vniuerſalia non includunt differentias ſingu-

Digitized by Google

lares, ideóque eorum ſpecies nequit repræſentare ſingularia: ſpecies verò qua repræſentantur vniuerſalia non ſit vniuerſalium, vt vniuerſalia ſunt, ſed tantùm ſingularium quatenus vim habent repræſentandi vniuerſalia.

## MEMBRVM QVARTVM.

*Vtrum intelligentiæ ab intellectu cognoſcantur?*

RESponſio affirmatiua eſt, cuius veritas patebit infra in Metaphyſica ad ſermonem de Angelis.

Dubium remanet de modo quo ipſi Angeli ab hominibus cognoſcuntur, an per propriam ſpeciem, an verò per ſpeciem affectuum. Deinde an cognoſcantur cognitione diſtincta & perfecta, an verò confuſa tantùm & imperfecta. Quod ad primum attinet, reſpondeo Angelum ab humano intellectu per propriam ſpeciem cognoſci: licet enim non incurrat per ſe in ſenſus, ita tamen incurrit per ſuos effectus; vt ex iis facilè deducat intellectus ſpeciem non ſenſatam ipſius Angeli; ſicut imaginatiua, ex ſpecie ſenſata matris elicit non ſenſatam amabilis.

Quod vero ad alterum ſpectat, dico Angelum ab humano intellectu diſtincta & perfecta cognitione non cognoſci, ſed confuſa tantùm & imperfecta.

Ratio eſt, quia viſis Angelorum effectibus mens noſtra diſtinctum eorum conceptum & perfectum efformare nequit, ſed ſemper confusè & potiùs quoad quæſtionem an ſit, quàm quoad quæſtionem quid ſit, ſaltem quoad proprios & ſpecificos gradus: nam ex variis indiciis ſatis colligitur eos generatim incorporeos & ſpiritales eſſe debere, vt amplius videbitur in diſputatione de Angelis.

## MEMBRVM QVINTVM. ET POSTREMVM.

*De obiecto prius ab intellectu cognito.*

NOtandum primò cognitionem eſſe duplicem, alteram confuſam, alteram diſtinctam. Confuſa dicitur, quando aliquod totum cognoſcimus, nec tamen omnia eius eſſentialia attributa diſtinctè tenemus, ſed confusè tãtùm & permixtè. Diſtincta verò, qua aliquod totum ita diſtinctè & enucleatè percipimus, vt omnia eius attributa diſtinctè & enucleatè teneamus.

Notandum ſecundò prius cognitum ab intellectu duplex eſſe, aliud natura ſua, aliud nobis. Natura ſua illud dicitur, quod ordine naturæ prius eſt, & à ſenſibus remotus, contra verò illud dicitur eſſe notius nobis, quod eſt noſtris ſenſibus propinquius, id eſt in illos facilius incurrit: his duobus notatis ſit.

*Prima propoſitio.*

VNiuerſalia ſunt natura ſua notiora ſingularibus, & inter vniuerſalia quæ vniuerſaliora ſunt, minus vniuerſalibus. Probatur ex regula allata: illa ſunt priùs cognita natura ſua quæ ſunt natura priora, & à ſenſibus remotiora: atqui vniuerſalia natura ſua ſunt priora & à ſenſibus remotiora ſingularibus, & vniuerſaliora minus vniuerſalibus, ergo, &c. Atque præſens propoſitio tam de vniuerſalibus & ſingularibus ſubſtãtiarum, quàm accidentium intelligi debet, par enim vtrobique ratio eſt, nec vlla legitima diſparitas poteſt aſſignari.

*Secunda propoſitio.*

TAm in ſubſtantiis, ſiue materialibus, ſiue immaterialibus, quàm in accidentibus, ſingularia ſunt nobis notiora vniuerſalibus.

Probatur, ea dicuntur notiora nobis, quæ ſenſibus ſunt propinquiora, & prius ſub illos cadunt, priúſque repræſentantur intellectui: atqui in omnibus



Digitized by Google

ſubſtantiis, & accidentibus ſingularia ita ſe habent: neque enim vniuerſalia per ſe veniunt in ſenſus, ſed tantùm per ſingularia, nec per propriam ſpeciem in intellectui repræſentantur, ſed per ſpeciem ipſorum ſingularium, vt diximus, ergo, &c.

Obiicies, quando eminùs aliquod indiuiduum percipimus, prius in ſpecie accidentia cognoſcimus, quàm in particulari; verbi gratia, ſi à longè Petrum inſpiciamus, prius lineamenta humana in eo deprehendemus, quàm ea quæ ſunt ei peculiaria, ergo vniuerſalia accidentia prius à nobis percipiuntur, quàm ſingularia, ergo ſunt notiora nobis.

Neganda eſt prior conſequentia; ſequitur enim tantùm nos prius percipere particularia accidentia vagè & indeterminatè, quàm diſtinctè, & determinatè; non autem prius vniuerſalia, quàm ſingularia.

Notandum verò eſt, quando dicimus ſingularia eſſe nobis notiora vniuerſalibus, id tantùm intelligi de confuſa cognitione quâ aliquod tantum ita percipimus, vt permixtim tantum, & non particulatim, omnia eius attributa percipiantur, quo ſolum ſenſu prius à noſtro intellectu percipiuntur, non tamen ſi de diſtincta cognitione ſermo inſtituatur: nam cùm ad diſtinctam cognitionem alicuius requiratur vt diſtinctè omnia eius attributa innoteſcant, ſanè prærequiritur notitia vniuerſalium antequam diſtinctè ſingularia percipiantur, cùm vniuerſalia ſint ſingularium attributa.

*Poſtrema propoſitio.*

Accidentia materialia ſunt nobis notiora ipſis ſubſtantiis, ſiquidem ſolis illis intermediis accidentibus, quę per ſe ſenſibus patent, cognoſcuntur ſubſtantiæ.

Poſui in propoſitione, materialia: nam cùm ſubſtantię immateriales, & earum accidentia, non innoteſcant per ſe, ſed tantùm per effectus, ſi verò effectus interdum prius ſubſtantiam deſignent, vt cùm indicant illam eſſe ſpiritalem, eò quod multæ in eodem corpore reperiantur, interdum verò prius virtutes, & accidentia commonſtrent, vt quod ipſæ res immateriales moueant corpora & celeriter moueãtur, multáque mira efficiant, nulla eſt certa regula, quâ poſſit ſtatui, an ſubſtantia illa notior ſit nobis quàm accidentia, vel è contra, ſed aliquando ſubſtantia notior eſt, aliquando verò accidentia ſunt notiora. An autem & quo modo ſubſtantia dicatur eſſe prior natura accidentibus diſcutietur in Metaphyſica, appendice de partibus entis, ſect. de ſubſtantia.

## QVÆSTIO TERTIA.

*De Memoria intellectiua.*

Sicut in ſenſibus neceſſe fuit aliquã memoriam admittere, quę eſſet communis officina & promptuarium, in quo omnium ſenſuum imagines aſſeruarentur, quæque rerum per ſenſus perceptarum recordaretur, ita aliqua intellectiua erit admittenda, quæ rerũ per intellectum apprehenſarum recordetur.

Confirmatur: aliqua memoria conuenit animæ ſeparatæ, vt patet exemplo diuitis Epulonis, qui Lucæ 16. defunctus fratrum recordabatur, ergo debet eſſe intellectualis.

Quæſtio eſt quo pacto ipſa memoria ab intellectu ſecernatur: fuerunt qui illam ab intellectu re ipſa diſtinguerent, alij formaliter: melius cęteri ſolutione ſeparari docent, ſtatuúntque eundem eſſe intellectum, qui quatenus excudit ſpecies intellectiles agens dicitur, pa-

Digitized by Google

tiens quatenus illas recipit, memoria deníque quatenus per ſpecies in ſe reconditas præteritum recordatur.

Obiicies: memoria ſenſitiua diſtinguitur ſaltem formaliter à phantaſia & æſtimatiua, ergo pariter memoria intellectiua, ſaltem formaliter, diſtinguetur ab intellectu.

Neganda eſt conſequentia, quia facultates quæ ſunt diuiſæ inferioribus putà ſenſibus, poſſunt eſſe vnitæ in ſuperioribus, maximè vbi munera non ſunt admodum diuerſa, vt intellectus & intellectiuæ memoriæ.

## QVÆSTIO QVARTA.

### *De Volunate.*

MVlta de voluntate in Moralibus diximus, quibus tria hîc tribus articulis ſunt adiungenda.

### ARTICVLVS PRIMVS.

#### *De libero hominis arbitrio.*

MArtinus Lutherus ex inferis Simonis Magi hęreſim reuocans, aſſeruit nullum dari in homine liberum arbitrium, ſed omnia ex neceſſitate fieri, ipſúmque liberum arbitrium eſſe titulum ſine re.

Sed hunc errorem omnes ſacræ paginæ refellunt, & damnat tota Eccleſia Catholica. Ex ſcripturis patet Deut. 30. *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non eſt ſupra te.* Prouerb. 6. *Rectos curſus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige.* Pſal. 64. *Si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Eccleſ. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem in manu conſilij ſui:* & paulo infrà: *Appoſui tibi ignem & aquam: ad quodcúmque volueris, porrige manum.*

Confirmatur primò ratione in teſtimoniis illis fundata, quibus ſignificatur futurum vt ſingula hominis geſta à Deo in iudicium adducantur, ſignificãt enim fuiſſe libera, vt vel pręmium, vel pœnam mereri potuerint, Eccl. 12. *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium, ſiue bonum, ſiue malum:* & 2. ad Corinth. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malũ.*

Confirmatur ſecundò alia ratione in aliis teſtimoniis fundata, niſi daretur liberum arbitrium, malè Deus conquereretur quòd homo non præbuiſſet cõſenſum, ſed conqueritur Prouerb. 1. *Vocaui & renuiſtis,* Iſaiæ 65 *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum.* & Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos ſuos, & noluiſti?*

Confirmatur hac tertia ratione aliis adhuc authoritatibus Scripturæ ſacræ confirmata, ſi nulla eſſet in hominibus arbitrij libertas, malè diceretur Deus eorum conſenſum & cooperationem expectare, vt ipſis ſalutem impertiret: atqui dicitur expectare Iſa 1. *Si volueritis & audieritis, bona terræ comedetis:* & Apocal 3. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo; ſi quis audierit, & aperuerit, intrabo, cœnabo cum illo.*

Confirmatur quartò alia ratione ſcripturæ pariter ſacræ auctoritati innixa, niſi ſupponeretur eſſe in homine liberum arbitrium, non hortaretur nec præciperet Deus homini vt ſe ad ipſum conuerteret, quia Deus non hortatur ad impoſſibile, nec præcipit impoſſibilia: atqui hortatur, Zach. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos:* & præcipit, Eccl. 12. *Deum time, & mandata eius ſerua.*

Accedunt Conciliorum definitiones Arauſicani, can. 13. & Trident. luculenter ſeſſ. 6. can. 4. 5. & 6. denique eandem doctrinam, vt orthodoxam, communi conſenſu Patres omnes tam, Græci, quàm Latini amplectuntur. D. Aug lib. de gratia, & libero arbitrio

quando exitura anima graue peccatorum onus perſentit: non autem quando anima nihil ſibi conſcia è corpore ad cælum migratura egreditur: ſic enim ſolutionem à corpore cupit, iuxta illud D. Pauli, *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.*

Rurſus obiicies, ſi anima eſſet immortalis, & permaneret à corpore ſeparata, fore tunc in ſtatu violento, cùm eſſentialiter ſit forma corporis, at hoc abſurdum eſt, cùm ex Ariſtotele 2. de cælo text. 18. nullum violentum ſit perpetuum, ergo, &c.

Reſp. ad conſequentiam maioris, animam à corpore ſeparatam futuram aliquo pacto in ſtatu violento ratione ſui appetitus naturalis, quia ſemper propendebit in corpus cuius eſt forma: non autem ratione ſuæ entitatis & eſſentiæ, quia hæc eſt independens à corpore, quomodo ſumitur violentum ab Ariſtotele, quando negat aliquod violentum eſſe durabile, ſcilicet pro eo quod eſt extra locum, in quo tantùm conſiſtere poteſt.

## QVÆSTIO TERTIA.

*De numero & multitudine animarum.*

Prima ſententia eſt Auerroïs, vnica tantum eſſe animam intellectiuam, quæ ſingulis hominibus aſſiſteret, eorũ tamen corpora non informaret.

Secunda eſt Pythagoræorum & Platonicorum qui eaſdem animas ab vno corpore migrare ad aliud aſſerebant, & ideo pauciores animas, quàm corpora admittebant.

Tertia, & veriſſima eſt, tot dari animas rationales, quot corpora humana: quam breuiter duplici propoſitione explicamus.

*Prima propoſitio.*

Non datur vna tantùm anima ſingulis hominibus, aſſiſtens. Ita definitur in Concilio Lateran. ſupra citato pro immortalitate animæ.

Accedit ratio, nam aut illa anima per totum vniuerſum eſſet diſperſa, aut in vno certo loco concluſa: primum dici non poteſt, nam totum vniuerſum eſſet homo, cùm conſtaret corpore & anima rationali: ſi dicatur ſecundum, vlterius inquiro, vel locus iſtius animę omnibus hominibus aſſiſtentis eſt totũ ſpatium, in quo exiſtunt homines, cõprehenſis etiam partibus interiectis, in quibus nullus eſt homo, vel eſt tantum ſpatium in quo manent homines, non comprehenſis partibus interiectis: ſi primum, ſequitur prædictum incommodum, totum illud ſpatium eſſe hominem: ſi poſterius, vel anima erit diuiſa à ſe, ſicut multi homines à ſe diuiduntur; vel vna in pluribus locis diſcretis à ſe diſtantibus: quorum vtrúmque ſatis apparet eſſe falſum.

Confirmatur, quia ſi eadem eſſet anima numero in ſingulis hominibus, omnes homines eſſent vnus numero homo, ſicut ſi eſſet tantum vna ſpeciei anima, vna tantum eſſet animati ſpecies, quod tamen abſurdum eſt.

*Secunda propoſitio.*

Non datur migratio animarum ab vno corpore ad aliud, ſeu Pythagoræorum & Platonicorum metempſychoſis, tum quia nulla ratio eſt cur anima in aliquo corpore exiſtens, eorum non recordaretur quæ pertuliſſet & intellexiſſet in alio corpore, tum quia homines diuerſis temporibus exiſtentes eſſent vnus homo, quoniam eadem anima conſtarent: tùm demum quia eadem anima eaſdem numero requirit diſpoſitiones, vt introducatur, quæ naturaliter redire non poſſint.

Ex hac duplici propoſitione ſequitur iuxta definitionem Concilij Lateran. tot eſſe animas quot corpora, hócque tanquam de fide tenendum eſſe.

Digitized by Google

## SECTIO TERTIA.

*De eſſentia animæ rationalis.*

ANima rationalis aliud nihil eſt quàm forma ſubſtantialis humani corporis.

Dubitant tamen aliqui an ſit forma aſſiſtens, vel informans.

Verùm ex fide conſtat eſſe formam informantem, id enim habetur definitum Concilio Lateranenſi & Viennenſi ſub Clemente 5. vt refertur in Clementina vnica de ſumma Trinitate, capitulo *Porrò: Quicunque pertinaciter aſſerere præſumpſerit quod anima rationalis non ſit forma corporis humani, per ſe & eſſentialiter, tanquam hæreticus eſt cenſendus.* Accedit ratio, tum quia anima rationalis eſt internum, & naturale principium actionum homini propriarum, intellectionis ſcilicet, & volitionis: proindéque debet eſſe interna, eſſentialis, & informans: tum quia alioquin homo eſſentialiter non diceretur rationalis nec per rationale eſſentialiter diſtingueretur, quod abſurdum eſt, ergo anima rationalis eſt forma informans.

Obiicies, anima nequit cum corpore coniungi, ergo non poteſt eſſe eius forma informans. Probatur antecedens ſi quid ſit per quod anima rationalis coniungi queat cum corpore, vel erit ſubſtantiale, vel accidentale: non ſubſtantiale, quia diſſoluta vnione anima aliquid ſuæ ſubſtantiæ deperderet; non quoque accidentale, quia tunc anima non eſſet ſubſtantialiter, ſed accidentariò tantum vnita corpori, ergo nihil eſt per quod anima vniri poſſit cum corpore.

Reſpondeo negando antecedens, ad eius probationem, dico animam vniri corpori per aliquid ſubſtantiale, nempè per ſuam ſubſtantiam cum habitudine quadam ſibi interna ad corpus ipſum debitè diſpoſitum. Nec hinc ſequitur diſſoluta vnione animam aliquid ſuę ſubſtantiæ perdere, manet enim ſemper tota ſed tantùm ſequitur habitudinem illam ſubſtantialem amittere corporis ſufficienter diſpoſitum ob receſſum ipſarum diſpoſitionum.

## SECTIO QVARTA.

*De affectionibus animæ rationalis.*

### QVÆSTIO PRIMA.

*An omnes animæ rationales ſint æqualis perfectionis.*

NOtandum eſt primò duobus modis animas poſſe dici æquales, primò ſecundùm eſſentiam, ſecundò ratione proprietatum naturalium.

Notandum ſecundò proprietates rationalis animæ eſſe in duplici differentia, alias immateriales quæ conſequuntur gradum intellectiuum, vt intellectus & voluntas: alias materiales & organicas, quæ dependent ab organis corporeis, & ſequuntur gradum vegetandi, & ſentiendi, vt ſunt omnes vegetatiuæ & ſenſitiuæ facultates. Quibus ita notatis, ſit.

*Prima propoſitio.*

OMnes animæ rationales ſecundùm ſuas eſſentias ſunt æqualis omninò perfectionis.

Probatur: omnia indiuidua eiuſdem ſpeciei ſunt æqualis perfectionis in eſſentia, ſed omnes animę rationales ſunt eiuſdem ſpeciei indiuidua; alioquin homo non vnius eſſet, ſed diuerſæ ſpeciei ab alio, quod communior veriórque ſententia non recipit, ergo, &c.

*Secunda propoſitio.*

OMnes animę rationales ſunt æqualis perfectionis ſecundùm proprietates naturales ipſas conſequentes & immateriales, putà intellectum &

Digitized by Google

cæci & ſurdi à natiuitate de coloribus & ſonis per eiuſmodi ſpecies congenitas ſcientias comparare, de illiſque iudicium ferre, quod experientiæ aduerſatur.

Rogabis ſecundò quónam pacto producantur iſtæ ſpecies intelligibiles?

Reſpondeo, variam eſſe hac de re ſententiam, nam primò aliqui defendunt phantaſma, ſeu ſimulacrum obiecti ſenſibilis, in phantaſia receptum aliqua ſibi ab intellectu agente communicata luce colluſtratum, poſtea producere ſpeciem intelligibilem in intellectu. Sed hæc ſententia nulla ex parte probatur: & primò refellitur quantum ad id quod ſtatuit exilire ab intellectu in phantaſma lucem aliquã: nam aut lux illa erit corporea, aut incorporea: ſi corporea, non poteſt intelligi, quomodo ab intellectu, qui eſt potentia ſpiritalis producatur: ſi incorporea, in phantaſmate recipi non poteſt, & ſic illud eleuare ad ſpeciem intelligibilem in intellectu producendã.

Refellitur quoque hæc ſententia ſecundùm alterum, quod habet phantaſma colluſtratum efficienter concurrere ad productionem ſpecierum intelligibilium in intellectu, etenim quantumcúmque illuſtretur phantaſia, ſemper eſt corporea, & intra materialis naturę cancellos cohibita, ideóque nullam rem ſpiritalem, qualis ſpecies intelligibilis, poteſt efficienter producere.

Secunda ſententia eſt intellectum ſimul & phantaſma producere ſpeciem intelligibilem, intellectum quidem tanquam pręcipuam cauſam, phantaſma verò tanquam minus pręcipuam & inſtrumentalem ipſius intellectus.

Verùm hęc ſententia pariter exploditur, quia ſi phantaſma eſſet inſtrumentum naturale intellectus ad producendam ſpeciem intelligibilem, deberet ab eo intellectus aliquid recipere, quod tamen fieri non poſſe diximus.

Optima igitur ſententia eſt ſpeciem intelligibilem produci à ſolo intellectu agente, per phantaſma determinato, quæ ſententia ſic explicatur. Poſtquam ſpecies ſenſibilis per ſenſum externum ad communem ſenſum, à communi ſenſu ad phantaſiam meauit, factúmque eſt phantaſma, tunc anima quæ vbique corpori præſens eſt, per intellectum incipit elicere ſpeciem intelligibilem, & illam intellectui patibili imprimere, vt ea conſignatus ſuã exerceat operationem. Atque præſens ſententia tum ex aliarum confutatione confirmatur, tum etiam ex eo quod nullum ex ipſa ſequatur incommodum.

Rogabis tertiò, quid ſint ſpecies intelligibiles?

Reſpondeo eſſe qualitates ſpiritales ab intellectu agente fabricatas, vt ipſi obiecta intelligibilia repræſentent, illúmque ad agendum determinent.

Occurres, res ſpiritalis nequit repræſentare rem corpoream; ergo ſi ſpecies intelligibilis ſit ſpiritalis, non poterit repræſentare rem corpoream.

Reſpondeo diſtinctione antecedentis, res ſpiritalis nequit repræſentare rem corpoream formaliter, ſicut imago Cæſaris ipſum repræſentat, concedo; efficienter verò, nego: quo pacto tum ſpecies ſenſibiles, tum intelligibiles ſua obiectã repræſentant. Inſtabis, ſi ſpecies ſpiritalis efficienter repræſẽtet rem corpoream, quid ni & ſpecies corporea rem ſpiritalem repræſentabit?

Reſpondeo, quia ſpecies ſuperioris ordinis, vt eſt intelligibilis reſpectu ſenſibilis optimè referre poteſt, ſaltem efficienter, ea quæ ſunt inferioris ordinis, non tamen vice verſa.



Digitized by Google

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De conuerſione intellectus ad phantaſmata.*

SEnſus eſt, an ſit neceſſarium intelligentem ſeſe conuertere ad phantaſmata, illáque ſpeculari, poſtquam ex ipſis ſpecies intelligibiles eruit? Reſpondeo affirm. quod duplici indicio videtur manifeſtum. Primò, quia ſi cerebrum læſum fuerit, & ſenſus interni in eo reſidentes offenſi, intellectus etſi ſpeciebus intelligibilibus conſignatus in ſuis operationibus turbatur, non alia de cauſa, quàm quia intellectus ad intelligendum exigit conſortium phãtaſmatum, ad quæ ſeſe conuertat. Alterum indicium eſt quod experientia cõſtet, quotieſcúmque rem aliquam ſiue materialem, ſiue immaterialem cognoſcere volumus, non nobis efformare ac repræſentare materialia quædam idola, & ſimulacra in quibus id intueamur, quod intelligere intendebamus.

## ARTICVLVS QVARTVS.

*De termino intellectionis, ſeu verbo mentis.*

COnſtat omnium conſenſione duplex eſſe verbum: alterum oris, ſeu vocale, quod & externum nuncupatur: alterum cordis, ſeu mentale, quod & internum vocitatur, éſtque priori præferendum, cùm eatenus tantum verbũ oris verum ſit, quatenus, verè nobis repræſentat animi verbum.

Rogabis vltra: vtrum producatur verbum per quamcúmque intellectionem?

Reſpondeo affirm. probóque primò, quia omnis actio realis denominatur à termino producto; ideóque cùm intellectio ſit realis actio, habebit aliquem terminum à ſe productum, nempe verbum.

Secundò, non magis repugnat calefactionem eſſe ſine calore, quàm intellectionem ſine verbo: quia tam verbum eſt terminus ad quem intellectionis, quàm calor calefactionis: atqui repugnat calefactionem eſſe ſine calore, ex dictis de motu, ergo, &c.

Denique verbũ nihil eſt aliud quàm ſpecies expreſſa, ſeu aſſimilatio obiecti ſed non datur actualis intellectio ſine eiuſmodi aſſimilatione, ergo nec ſine verbo.

Dices per actionem immanentem nihil produci ex 6. Eth. cap. 4. & 5. ergo cùm intellectio ſit actio immanens, per eam non poſſe produci verbum.

Neganda eſt conſequentia, docet enim Ariſtoteles loco in antecedenti citato, per actionem immanentem nihil externum produci; non autem internum, quale eſt verbum comparatione intellectionis.

Rogabis ſecundò, quomodo verbũ diſtinguatur ab obiecto?

Reſpondeo primò citra controuerſiam diſtingui ab obiecto externo realiter: quia verbum mentis tantùm reſidet in intellectu; externa verò objecta, vt cælum, elementa, & ſimilia, extra intellectum exiſtunt, manéntque ab ipſo realiter ſeparata.

Reſpondeo ſecundò etiam citra omnem dubitationem non diſtingui realiter realitate maiori, ſed tantùm minori ab obiecto interno, intellectu videlicet: vel anima, quando intellectus ſe ipſum aut animam intelligit, ſi quidẽ licet intellectus & anima poſſint eſſe ſine verbo, quod arguit diſtinctionem realem minorem, non tamen verbum poteſt eſſe ſine intellectu & anima, quod requireretur ad diſtinctionem realem maiorem.

Rogabis tertiò quo pacto verbum diſtinguatur à ſpecie impreſſa ſeu intelligibili?

Reſpondeo realiter realitate maiori,

quod ſic probo: fieri poteſt diuina virtute vt intellectio ſit ſine ſpecie impreſſa, qualis eſt illa qua beati in patria Deum contemplantur, cùm enim illa ſpecies ſe habeat in genere cauſæ efficientis ad intellectionem, facile poteſt a Deo ſuppleri, ac proinde cùm intellectio eadem reipſa ſit cum verbo mentis, verbum eſſe poterit abſque ſpecie impreſſa: poterit etiam ſpecies impreſſa intelligibilis eſſe ſine verbo, etenim ceſſante intellectione & verbo manet adhuc ſpecies illa impreſſa, ergo diſtinguuntur realiter maiori realitate verbum & ſpecies impreſſa.

## ARTICVLVS QVARTVS.

*De obiecto intellectus.*

### MEMBRVM PRIMVM.

*Vtrum ſolum ens reale ſit proprium, & adæquatum intellectus obiectum.*

CErtum eſt intelligibile eſſe obiectum intellectus ſicut ſenſibile eſt obiectum ſenſus, ſed difficultas eſt vtrum etiam entia rationis ſub illo contineantur.

Reſpondeo affir. reuera enim noſter intellectus non tantùm percipit entia rationis per modum entium realium, vt malè fingunt plerique Thomiſtæ, ſed abſolutè ſecundum ſuas rationes, & prout diſtinguuntur ab entibus realibus, verbi gratia ens fictitium, prout eſt fictitium; priuationes, prout ſunt priuationes; & externæ denominationes, quâ externæ denominationes.

### MEMBRVM SECVNDVM.

*An corporeæ ſubſtantiæ per ſe ſint de obiecto intellectus, & ab ipſo cognoſcantur.*

REſpondeo affirmatiuè, ſi quidem de illis datur ſcientia, proindéque ad intellectum pertinent, ab ipſoque cognoſcuntur. Tantum difficultas eſt quomodo illa ſubſtãtia materialis cognoſcatur, an per propriam ſpeciem, an verò tantum per ſpeciem accidentium, quibus afficitur. Negant multi ex Philoſophis ſubſtantiã ab intellectu cognoſci per propriam ſpeciem, voluntque tantùm intelligi per ſpeciem accidentium.

Contrarium tamen, tanquam probabilius, plures ſtatuunt, probantque ſimul euertendo contrariæ opinionis fundamentum: tota ratio, propter quam ſubſtantia materialis per propriã ſpeciem non percipiatur, eſt, quia ſenſibus per ſe non obiicitur, nihil verò eſt in intellectu quod prius non fuerit in ſenſu: ſed hæc ratio nulla eſt: ſiquidem noſter intellectus in obiecto ſenſus multas rationes communes, & generales apprehendit, quas nullus ſenſus percipit, quippe qui tantum circa ſingularia verſetur: nihil igitur obſtat quominùs intellectus poſſit ſubſtantiam materialem per propriam ſpeciem intelligere.

Confirmatur hæc ratio, imaginatiua bruti ex vi ſpeciei ſenſatã poteſt elicere non ſenſatam, vt diximus ſuprà, ergo potiori iure intellectus, qui eſt facultas ſuperior, poterit ex ſpecie ſenſata accidentium elicere & formare non ſenſatam ſubſtantiæ materialis, his accidentibus ſubiectæ. Dices, quid igitur ſibi vult illud vulgò receptum in ſcholis Philoſophorum, nihil eſt in intellectu quod non fuerit prius in ſenſu?

Reſpondeo diſtinguendum eſſe, nihil eſt in intellectu quod non fuerit prius in ſenſu, vel per ſe, vel per aliud, vel inchoatiuè vel completiuè, non autem ſemper per ſe, & completiuè: & ſecundum hoc ſubſtantia præfuiſſe in ſenſu dicenda eſt.

### MEMBRVM PRIMVM.



Digitized by Google

*Vtrum tam vniuerſalia quàm ſingularia, ſint de obiecto intellectus, ab illóque percipiantur.*

RESpondeo affirmatiuè, & primò, quod ſpectat ad vniuerſalia, expreſſa eſt Ariſtotelis ſententia 1. Phyſic. cap. 3. & 3. de Anima cap. 4. vbi hoc diſcrimen conſtituit inter intellectum & ſenſum, quòd ille vniuerſalia, hic verò tantùm ſingularia percipiat.

Quod verò attinet ad ſingulare, illud ab intellectu percipi probatur primò, intellectus corrigit ſenſum errantem circa ſingularia, ergo ipſa percipere debet, Secundò ſæpè numero format intellectus propoſitiones ex terminis ſingularibus: vt hic homo eſt Socrates, iſte Ariſtoteles, ergo ſingularia quoque ipſa intelligit.

Dubium dumtaxat remanet quomodo ipſa tam vniuerſalia quàm ſingularia cognoſcantur, an vniuerſalia per ſpeciem diſtinctam ab illa qua cognoſcuntur particularia, & vice verſa: duplici propoſitione hoc dubium ſoluemus.

*Prima propoſitio.*

VNiuerſalia poſſunt ab intellectu cognoſci per eandem ſpeciem, quâ repræſentantur ſingularia.

Probatur, ſpecies repræſentantes ſingularia omnes gradus ſuperiores illis eſſentiales referunt: verbi gratia ſpecies quæ repræſentat Petrum, per ſe & natura ſua refert, & quod ſit ens, & quod ſubſtantia, corpus, viuens, animal, homo, Petrus: ergo ad hoc vt intellectus hos vniuerſales gradus percipiat, non indiget alia ſpecie ab ea quæ repræſentat entitatē ipſius ſingularis, ſed tantùm opus eſt fortiori attentione ad concipiendos gradus communes, relictis & præciſis conditionibus indiuiduantibus.

Dixi ex natura ſua, & per ſe, aliquando enim per accidēs ob ſpeciei imperfectionem naſcitur vt ſola ſingularitas repræſentetur cum quibuſdam gradibus vniuerſalioribus; non autem percipiantur omnes vniuerſales gradus, v. g. genera propinqua, ſicuti quamuis per eandem ſpeciem albedo, & figura in aliquo ſubiecto putà in pariete exiſtentes percipiantur, naſcitur tamen plerúmque ex ſpeciei imbecillitate, vt ſola albedo percipiatur, non item figura.

Obiicies, ſi per eandem ſpeciem cognoſcerentur vniuerſale & ſingulare, nō poſſet cognoſci Vniuerſale ante ſingulare; at conſequens falſum: ſi enim Angelus extitiſſet ante homines creatos, potuiſſet cognoſcere hominem in communi, nullum tamen in particulari, ergo, &c.

Reſpondeo abſolutè negando conſecutionem maioris, licet enim vniuerſalia non cognoſcantur per ſpecies acquiſitas, ante ſingularia; quia non acquiruntur illæ ſpecies niſi per ſenſus, qui tantum verſantur circa ſingularia, per ſpecies tamen infuſas contrarium poſſet accidere, quia illæ ſpecies tametſi ſingularium & vniuerſalium repræſentatiuæ, tamen in actu ſecundo repræſentarent vniuerſalia, quorum cognitio, vt potè abſtractiua, non pendet ab exiſtentia: ſingularia verò tantùm in actu primo, quorum cognitio, vt potè intuitiua, neceſſariò ab obiecti exiſtentia dependet.

*Secunda propoſitio.*

PEr eandem ſpeciem, qua cognoſcūtur vniuerſalia, ſingularia quoque cognoſcuntur; ſed cum hoc diſcrimine, quòd ſpecies quâ repræſentantur ſingularia, ſit ipſorum ſingularium vt ſingularia ſunt, non autem vniuerſalium, vt vniuerſalia ſunt, quia vniuerſalia non includunt differentias ſingu-

lares, ideòque eorum ſpecies nequit reprçſentare ſingularia : ſpecies verò qua repræſentantur vniuerſalia non ſit vniuerſalium, vt vniuerſalia ſunt, ſed tantùm ſingularium quatenus vim habent repræſentandi vniuerſalia.

### MEMBRVM QVARTVM.

*Vtrum intelligentia ab intellectu cognoſcantur?*

RESponſio affirmatiua eſt, cuius veritas patebit infra in Metaphyſica ad ſermonem de Angelis.

Dubium remanet de modo quo ipſi Angeli ab hominibus cognoſcuntur, an per propriam ſpeciem, an verò per ſpeciem affectuum. Deinde an cognoſcantur cognitione diſtincta & perfecta, an verò confuſa tantùm & imperfecta. Quod ad primum attinet, reſpondeo Angelum ab humano intellectu per propriam ſpeciem cognoſci: licet enim non incurrat per ſe in ſenſus, ita tamen incurrit per ſuos effectus; vt ex iis facilè deducat intellectus ſpeciem non ſenſatam ipſius Angeli; ſicut imaginatiua, ex ſpecie ſenſata matris elicit non ſenſatam amabilis.

Quod vero ad alterum ſpectat, dico Angelum ab humano intellectu diſtincta & perfecta cognitione non cognoſci, ſed confuſa tantùm & imperfecta.

Ratio eſt, quia viſis Angelorum effectibus mens noſtra diſtinctum eorum conceptum & perfectum efformare nequit, ſed ſemper confusè & potiùs quoad quæſtionem an ſit, quàm quoad quæſtionem quid ſit; ſaltem quoad proprios & ſpecificos gradus : nam ex variis indiciis ſatis colligitur eos generatim incorporeos & ſpiritales eſſe debere, vt amplius videbitur in diſputatione de Angelis.

### MEMBRVM QVINTVM.

### ET POSTREMVM.

*De obiecto prius ab intellectu cognito.*

NOtandum primò cognitionem eſſe duplicem, alteram confuſam, alteram diſtinctam. Confuſa dicitur, quando aliquod totum cognoſcimus, nec tamen omnia eius eſſentialia attributa diſtinctè tenemus, ſed confusè tãtùm & permixtè. Diſtincta verò, qua aliquod totum ita diſtinctè & enucleatè percipimus, vt omnia eius attributa diſtinctè & enucleatè teneamus.

Notandum ſecundò prius cognitum ab intellectu duplex eſſe, aliud natura ſua, aliud nobis. Natura ſua illud dicitur, quod ordine naturæ prius eſt, & à ſenſibus remotus, contra verò illud dicitur eſſe notius nobis, quod eſt noſtris ſenſibus propinquius, id eſt in illos faciìius incurrit: his duobus notatis ſit.

*Prima propoſitio*

VNiuerſalia ſunt natura ſua notiora ſingularibus, & inter vniuerſalia quæ vniuerſaliora ſunt, minus vniuerſalibus. Probatur ex regula allata : illa ſunt priùs cognita natura ſua quæ ſunt natura priora, & à ſenſibus remotiora: atqui vniuerſalia natura ſua ſunt priora & à ſenſibus remotiora ſingularibus, & vniuerſaliora minus vniuerſalibus, ergo, &c. Atque prçſens propoſitio tam de vniuerſalibus & ſingularibus ſubſtãtiarum, quàm accidentium intelligi debet, par enim vtrobique ratio eſt, nec vlla legitima diſparitas poteſt aſſignari.

*Secunda propoſitio.*

TAm in ſubſtantiis, ſiue materialibus, ſiue immaterialibus, quàm in accidentibus, ſingularia ſunt nobis notiora vniuerſalibus.

Probatur, ea dicuntur notiora nobis, quæ ſenſibus ſunt propinquiora, & prius ſub illos cadunt, priúſque repræſentantur intellectui: atqui in omnibus

tiens quatenus illas recipit, memoria denique quatenus per ſpecies in ſe reconditas præteritum recordatur.

Obiicies: memoria ſenſitiua diſtinguitur ſaltem formaliter à phantaſia & æſtimatiua, ergo pariter memoria intellectiua, ſaltem formaliter, diſtinguetur ab intellectu.

Neganda eſt conſequentia, quia facultates quæ ſunt diuiſæ inferioribus, putà ſenſibus, poſſunt eſſe vnitæ in ſuperioribus, maximè vbi munera non ſunt admodum diuerſa, vt intellectus & intellectiuæ memoriæ.

## QVÆSTIO QVARTA.

*De Voluntate.*

MVlta de voluntate in Moralibus diximus, quibus tria hîc tribus articulis ſunt adiungenda.

### ARTICVLVS PRIMVS.

*De libero hominis arbitrio.*

MArtinus Lutherus ex inferis Simonis Magi hæreſim reuocans, aſſeruit nullum dari in homine liberum arbitrium, ſed omnia ex neceſſitate fieri, ipſúmque liberum arbitrium eſſe titulum ſine re.

Sed hunc errorem omnes ſacræ paginæ refellunt, & damnat tota Eccleſia Catholica. Ex ſcripturis patet Deut. 30. *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non eſt ſupra te.* Prouerb. 6. *Rectos curſus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige.* Pſal. 64. *Si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Eccleſ. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem in manu conſilij ſui:* & paulo infrà: *Appoſui tibi ignem & aquam: ad quodcúmque volueris, porrige manum.*

Confirmatur primò ratione in teſtimoniis illis fundata, quibus ſignificatur futurum vt ſingula hominis geſta à Deo in iudicium adducantur, ſignificãt enim fuiſſe libera, vt vel prēmium, vel pœnam mereri potuerint, Eccl. 12. *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium, ſiue bonum, ſiue malum:* & 2. ad Corinth. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malũ.*

Confirmatur ſecundò alia ratione in aliis teſtimoniis fundata, niſi daretur liberum arbitrium, malè Deus conquereretur quòd homo non præbuiſſet cõſenſum, ſed conqueritur Prouerb. 1. *Vocaui & renuiſtis*, Iſaiæ 65. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum.* & Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos ſuos, & noluiſti?*

Confirmatur hac tertia ratione aliis adhuc authoritatibus Scripturæ ſacræ confirmata, ſi nulla eſſet in hominibus arbitrij libertas, malè diceretur Deus eorum conſenſum & cooperationem expectare, vt ipſis ſalutem impertiret: atqui dicitur expectare Iſa 1. *Si volueritis & audieritis, bona terræ comedetis:* & Apocal 3. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo; ſi quis audierit, & aperuerit, intrabo, cœnabo cum illo.*

Confirmatur quartò alia ratione ſcripturæ pariter ſacræ auctoritati innixa, niſi ſupponeretur eſſe in homine liberum arbitrium, non hortaretur nec præciperet Deus homini vt ſe ad ipſum conuerteret, quia Deus non hortatur ad impoſſibile, nec præcipit impoſſibilia: atqui hortatur, Zach. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos:* & præcipit, Eccl. 12. *Deum time, & mandata eius ſerua.*

Accedunt Conciliorum definitiones Arauſicani, can. 13. & Trident. lucculenter ſeſſ. 6. can. 4. 5. & 6. denique eandem doctrinam, vt orthodoxam, communi conſenſu Patres omnes tam, Græci, quàm Latini amplectuntur. D. Aug lib. de gratia, & libero arbitrio

Digitized by Google

cap. 2. & clariſſimè cap. 14. expendens hæc verba Pſal. 94. *Si Vocem eius audieritis*, &c. D. Bern de gratia & libero arbitrio. D. Chriſoſt. & alii omnes.

Nec iſtud prætermittam argumentum ad conuincendos hac in parte hæreticos aptiſſimum, in negantem liberū hominis arbitrium tamdiu verberibus animaduertendum eſſe, quamdiu deprecetur vt ab eo verberibus cædendo abſtineatur: quod ſi id roget, noſtram agnoſcit libertatem; ſi nolit precari, ſed patienter ferat, nec nos propterea crudelitatis arguat.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*Vtrum voluntas præſtet intellectui, vel è contra.*

Scotus præfert voluntatem, voluntati anteponit intellectum D. Thomas, alii pacem conciliant, docéntque voluntatem & intellectum habere ſe vt excedens, & exceſſum: intellectum voluntati in eo anteſtare quòd eam illuſtret, regat & corrigat, voluntatem verò intellectui præponi quòd ſit radix libertatis & meriti, dominá que ipſius intellectus, & ipſi quæ ageńda ſunt præſcribens. Verùm iſti exceſſus, tam ex parte intellectus, quàm voluntatis, ſunt tantum accidentarii, remanet ſemper quærendum quænam facultas entitatiuè ſit præſtantior.

Quæſtio problematica eſt, vt illa quam propoſuimus de beatitudine in moralibus, an in actione intellectus, an etiam voluntatis conſiſtat, & an actio intellectus præſtantior ſit actione voluntatis: nec potior ratio eſſe poteſt de ipſis facultatibus quàm de actionibus, itáque conſule quæ ibi diximus, & illis conſentaneè tuum hîc interpone iudicium. Quia tamen magis propendemus in opinionem quæ præfert intellectus actionem actibus voluntatis, hic etiam puto intellectui primas tribuendum.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De diſtinctione voluntatis ab intellectu.*

Communis ſententia eſt intellectum & voluntatem ad minus formaliter diſtingui, quod colligitur primo ex diuerſis vtriuſque facultatis obiectis: intellectus enim obiectum eſt verum, voluntatis autem bonum: ſecundò, ex diuerſis operandi modis, quod intellectus trahat obiectum ad ſe, per receptionem ipſius ſecundùm eſſe intentionale, voluntas verò potius egrediatur extra ſeipſam in res amatas, iuxta illud, anima magis eſt vbi amat quàm vbi animat. Tertiò ex mutua dependentia intellectus & voluntatis, quod intellectus dependeat à voluntate, tanquam ab imperante; voluntas verò ab intellectu tanquam à ducente, & viam præmonſtrante.

Adde vlterius probabilius eſſe intellectum, & voluntatem non formaliter tantùm, ſed etiam realiter inter ſe differre.

Probatur primò, eorum quæ ſunt idem re ipſa non poteſt vnum alteri repugnare: atqui poteſt voluntas intellectui aliquid agendum dictanti repugnare, aliàs non maneret libera, ergo, &c.

*Secundò*, illa reipſa diſtinguuntur quæ ſe mutuò mouent, vnum enim & idem reipſa nequit ſeipſum mouere, & à ſeipſo moueri: atqui intellectus & voluntas ſe mutuò mouent, ex Moralibus, ergo diſtinguuntur realiter.

## QVÆSTIO QVINTA.

ET POSTREMA.

De facultat

*De i cu't ate motrice animæ rationalis.*

DVo de hac facultate motrice animæ rationalis breuiter quæruntur, primum an detur, alterum an diſtinguatur ab intellectu, & voluntate. Pro primo, ſit.

*Prima propoſitio.*

ADmittenda eſt neceſſario virtus motrix in anima rationali, ſecundum quam à corpore ſeparata poſſit moueri localiter, contra nonnullos, & nominatim contra Durandum, qui putat animam à corpore ſeparatam eſſe planè immobilem, nec niſi Angelorum operâ ab vno loco ad alium poſſe transferri.

Probatur omnis ſubſtantia viuens, finitę & determinatę naturæ, ad omnia loca indifferens, nullique loco addicta, poteſt moueri localiter: ſed anima eſt eiuſmodi, ergo, &c.

Confirmatur, ſi quę ratio eſſet propter quam anima non poſſet moueri per ſe, eſſet quia eſt ſpiritalis, & partium expers: ſed hæc ratio nulla eſt, quia cùm Angeli ſint pariter ſpiritales, non mouerentur localiter, quod in Metaph. impugnabimus, ergo, &c. Quod ad ſecundum attinet, ſit.

*Secunda propoſitio.*

FAcultas locomotiua diſtinguitur realiter ab intellectu & voluntate.

Probatur: ſeparatis ab anima, intellectu & voluntate, & extra illam exiſtentibus (quod fieri poſſe conſtat ex dictis de diſtinctione facultatum ab anima) poteſt remanere motrix facultas in anima, non enim vt ſit, dependet ab intellectu & voluntate, ergo, &c.

## *BREVIS APPENDIX ad hanc ſectionem.*

## SECTIO PRIMA.

*Quanam in anima remaneant poſt eius ſeparationem à corpore.*

*Prima propoſitio*

NOn remanent organicæ facultates poſt ſeparationem animę à corpore.

Probatur, illæ facultates dependent ab organis corporis, nec emanant ab anima, niſi illis partibus organicis pręſuppoſitis, ergo in anima à corpore ſeparata permanere non poſſunt.

*Secunda propoſitio.*

REmanent in anima ſeparata ſpiritales, & inorganicæ facultates, intellectus, memoria, voluntas, & virtus motrix.

Probatur contrario argumento, illæ facultates inorganicæ non dependent à corpore, ſed à ſola anima, vt diximus: ergo poſſunt remanere in anima à corpore ſeparata.

Confirmatur, facultates illæ ſunt ſpiritales: ergo non poſſunt corrumpi, niſi ad corruptionem cauſæ conſeruantis, id eſt animæ, ergo ſequentur animam ipſam extra corpus exiſtentem.

*Tertia propoſitio.*

HAbitus ſimiliter, ſiue intellectus, ſiue voluntatis, ſiue infuſi ſiue acquiſiti, in anima à corpore ſeparata remanebunt, iuxta illud D. Auguſt. *Diſcamus in terris quorum ſcientia nobiſcũ perſeueret in calis.*

Eadem eſt ratio huius propoſitionis ac aliarum, illi habitus ſunt ſpiritales inorganici, in ſola anima & eius facultatibus recepti, ideóque ab iis ſolùm dependentes, ergo ex ſe & natura ſua anima ſeparata remanere poterunt.

Ex ſe dico, nam ratione ſtatus, quem poſt ſeparationem à corpore obtinebit, nonnullorum habituum iacturam faciet contrariis actibus quos eliciet; ita ſi beata fuerit, res clarè intuebitur; & ſic deponet erroris, & opinionis habitus: & quia in virtutum omnium exercitium incumbet, delebuntur, omnes

vitiorum habitus:è contra verò, ſi dãnata, amiſſis perfectis habitibus per prauos actus omnes mali vitioſique ſuccedent. Idem dicendum eſt de ſpeciebus intelligibilibus, eas, cùm ſint ſpiritales, & inorganicæ, nullatenus ex ſe, & natura ſua aboleri, ſed tantũ per accidens,ratione ſtatus in quo anima poſt ſeparationem à corpore futura eſt.

## SECTIO SECVNDA.

*Vtrum actus intellectus voluntatis & memorie in animo ſeparati permaneant.*

RESpondeo affirmatiuè,primò quod ſpectat ad actus intellectus, & voluntatis, probatur, ſi anima rationalis, quę ſua natura eſt immortalis,non poſſet vllum intellectus alteriúſue facultatis actum elicere à corpore ſeparata, cùm ſic poſſit eſſe per infinitum tempus, procul dubio infinitis ſæculis in otio remaneret, quod eſt abſurdum, cùm res quęlibet ſit tantum propter ſuam operationem, ergo, &c.

Confirmatur, quia aliàs non poſſet ipſa anima à corpore ſeparata eſſe beata, quoniam in actibus intellectus & voluntatis conſiſtit beatitudo.

Obiicies, anima noſtra licet ſpeciebus intelligibilibus conſignata, nihil intelligit niſi ſe ad phantaſmata conuertat,ſed ad illa ſe conuertere nequit poſt ſeparationẽ à corpore, ergo nec intelligere,proindéque nec velle?

Reſpondeo maiorem tantum eſſe veram de anima corpori immerſa, nõ autem à corpore ſoluta, in quo ſtatu Angelico more res ſine vllo phantaſmate corporeo intelligit.

Obiicies ſecundò, animę puerorum in vteris maternis morientium non poſſunt moueri ab obiectis, quia nullas habent rerum ſpecies in memoria fixas ergo nequeunt intelligere.

Reſpondeo negando antecedens, tũ quia animæ illæ quæ recedunt á corpore antequam vllas hauſerint rerum ſpecies à Deo recipiunt infuſas, ſicut Angeli ſui ortus initio, tum quia ſeipſas ſine ſpecie per propriam ſubſtantiam cognoſcere poſſunt, & ex ſui cognitione ad res alias proſilire.

Quod ſpectat ad actus memoriæ,illos in anima ſeparata inueniri probatur, tum exemplo illo quod ex Lucæ 16 de diuite Epulone, qui in inferis fratrum ſuorum recordabatur, retulimus; tum etiam ex eo quod anima ſeparata retineat rerum ſpecies per quas poteſt earum rerum ad libitum recordari.

## SECTIO TERTIA.
### ET POSTREMA.

*De obiecto intellectus animæ ſeparatæ,& modo cognoſcendi.*

PRioris partis reſolutio facilis eſt, intelligibile, vt tam Deum quàm creaturas ſpiritales & corporeas complectitur, eſſe obiectum intellectus animæ ſeparatæ, ſicut erat in ſtatu vnionis cum corpore.Sed de modo quo fit intellectio ab anima ſeparata maior difficultas eſt aliquot propoſitionibus enodanda.

*Prima propoſitio.*

ANima à corpore ſeparata ſeipſam intelliget per ſuam ſubſtantiam ſine ſpecie. Probatur. Angeli ſeipſos intelligunt per ſuam ſubſtantiam, & ea potiſſimum ratione quod ſibi ſint præſentiſſimi, vt dicetur in Metaph. agendo de Angelis, ergo & anima ſeipſam ſibi præſentiſſimam per ſuam ſubſtantiam poterit intelligere.

*Secunda propoſitio.*

ANima ſeparata cognoſcet per eandem ſuam ſubſtantiam proprias ſuas facultates naturales, quia videbit ex ipſa ſua eſſentia ſiue ſubſtantia tales

Digitized by Google

facultates neceſſariò & naturali modo pullulare. Defitendum etiam non eſt cùm ipſæ facultates animæ naturales ſint ipſi animæ immediatè præſentes, ab ipſa per propias earum eſſentias, & non per ſolam animæ ſubſtantiam cognoſci, vt dicemus in Metaph. ſect. de Angelis.

*Tertia propoſitio.*

ANima ſeparata per eandem ſuam ſubſtantiam poteſt cognoſcere reliquas animas ſecundum gradus in quibus cum illis conuenit, aliàs ipſos gradus non intelligeret ſibi conuenire, & ita ſe perfectè non cognoſceret.

*Quarta propoſitio.*

POteſt anima ſeparata Deum cognoſcere per ſuam & aliarum rerum ſubſtantiam. Probatur, cognita ſua & aliarum creaturarũ ſubſtantia cognoſcit eam eſſe finitam, & ab aliquo productam, ergo Deum creatorem agnoſcit.

*Quinta propoſitio.*

NEquit anima ſeparata Angelos per ſuam ſubſtantiam intelligere, quia illa non eſt medium ſufficiens quo deducatur in notitiam Angelorũ, vtpotè qui ſint ſuperioris cuiuſdam naturæ & perfectionis, ex quo conſequens eſt animam ipſos Angelos ſpeciebus tantum à Deo per infuſionem acceptis intelligere.

*Poſtrema propoſitio.*

ANima ſeparata res materiales non cognoſcit per ſuam ſubſtantiam; tum quia res illæ materiales ipſi non ſunt præſentes, vt ab iis moueatur ac determinetur; tum quia ſubſtantia animę, non magis eſt medium ad res materiales cognoſcendas propter abiectã earum conditionem, quàm ad Angelos propter ſublimem: quapropter dicendum eſt res illas materiales partim ab anima ſeparata cognoſci per ſpecies quas accepit in corpore, & poſt ſeparationem conſeruauit, partim per alias de nouo ipſi à Deo infuſas, quæ quidẽ omnia, & alia plura, quæ de animæ ſeparatæ cognitione dici poſſunt, ex dicendis in Metaphyſica de Angelorum cognitione illuſtriora reddentur.

Atque hæc de Anima rationali.

GENERALIS

# APPENDIX AD HVNC TRACTATVM.

## *De partibus humani corporis, ſeu Anatome.*

DIXI humani corporis, nã licet aliorum quoque corporum anatome fieri poſſit, hoc tamen fit in ordine ad corpus humanum, vt eius partes innoteſcant: quanta autem ſit huiuſce partis iucunditas, facilè quiſque ex eo deprehendit, quòd nihil aut in cœlo ſurſum, aut in terra deorſum inueniri queat, quod humaui corporis ſtructuræ poſſit cõparari: non igitur erit qui noſtrum improbet inſtitutum quando poſtquam de anima, quæ corporis fideliſſima comes, aliquid de corpore, quã poterit fieri facilitate ſubiiciamus.

### SECTIO PRIMA.

*De partibus humani corporis in communi.*

### QVÆSTIO PRIMA. ET SECVNDA.

*De nomine & exiſtentia partis.*

PArs dicitur quæ totum conflat: ex quo fit, vt ad ipſum, tanquam adi correlatum referatur. Eius exiſtentia

ex diuiſionibus facilè intelligitur; prima, eáque generalis eſt, in partem eſſentialem, & integrantem. Pars eſſentialis eſt quæ pertinet ad eſſentiam totius, vt materia & forma ad eſſentiam, corporis naturalis: pars verò integrans quæ toti dat integritatem, vt ſunt caput, brachia, pedes.

Secunda diuiſio, vel potius ſubdiuiſio, eſt partium integrantium, in ſpermaticas ſeu primigenias, & alimentitias. Pars ſpermatica eſt quæ ab initio ortus in fœtu extitit, profectáque eſt à ſpermate viri & fœminæ: alimentitia verò eſt illa quæ per nutritionem aduenit & ſpermaticis adiungitur.

Tertia diuiſio fit in partes continentes, contentas, & impetum facientes. Pars continens eſt quæ alias ſuo complexu coërcet, vt membranæ omnes. Contentæ quæ aliarum ambitu comprehenduntur, vt cor, pulmones, &c. Impetum denique facientes ſunt ipſi ſpiritus qui arterias perpetuò pulſant.

Quarta diuiſio traditur in partes ſimilares, & diſſimilares: ſimilaris pars definitur, quæ eſt eiuſdem rationis, & cum toto, & cum aliis partibus eiuſdē totius, vt pars aquæ, quæ quidem, & cum tota aqua, & cum ſingulis eius partibus eadem eſt. Pars verò diſſimilaris dicitur quę eſt diuerſę rationis, & à toto & ab aliis eiuſdem totius partibus, quomodo neruus dicitur eſſe pars diſſimilaris, quia diuerſæ eſt rationis tum à toto corpore, tum ab aliis eiuſdem corporis partibus, neruo, cartilagine, &c.

Ex quo intelligere eſt partem ſimilarem vno reſpectu poſſe dici ſimilarem, alio reſpectu diſſimilarem: ſic cartilago dicitur eſſe pars ſimilaris reſpectu totius cartilaginis, diſſimilaris verò reſpectu totius corporis quod cum aliis diſtinctis partibus conſtituit.

Alij denique diuidunt totum corpus humanum in tres ventres & artus: primus venter eſt in capite, ſecundus in thorace, tertius in parte inferiori, qui quidem venter inferior communiter vocatur: artus ſunt brachia, pedes, & aliæ partes.

## QVÆSTIO TERTIA. ET QVARTA.

*De eſſentia & affectionibus partis.*

QVid ſit pars, ex dictis ſatis intelligitur, id nempè quod ad totius compoſitionem concurrit.

Affectiones varię ſunt, ordo ſcilicet, diſpoſitio, locus, ſed precipua eſt diſtinctio à toto, ſiquidem pars, quatenus pars, ſemper ſeruat diſcrimina ex natura rei ſaltem à toto, Vnde fit, vt quia nihil in Deo ipſo ex natura rei diſtinguitur, Deus ipſe nulla ex parte propriè loquendo componi perhibeatur.

## SECTIO SECVNDA.

*De partibus humani corporis in particulari.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*De partibus ſpermatis.*

## ARTICVLVS PRIMVS.

*De Oſſibus.*

ROgabis primò quænam ſit oſſis materia?

Reſpondeo eſſe terreſtrem, ſiccam ſcilicet & frigidam, & ſatis duram, vt experientia teſtatur.

Rogabis vltra an oſſa ſint animata? Reſpondeo affirmatiuè, probóque: oſſa vitali modo creſcunt & per intus ſuſceptum alimentum, vt ex eo liquet, quòd verſus omnem dimenſionem augeſcant, ergo ſunt animata.

Obiicies, ſi oſſibus inſit anima, erit ſentiens vel rationalis, ſed hoc dici nequit, quia oſſa nec ratiocinantur, nec ſentiunt.

Reſpondeo negando minorem, quod

Digitized by Google

enim oſſa nec ratiocinentur, nec ſentiant, non eſt defectu animę rationalis, vel ſecundum eſſentiam conſideratæ ſentientis, ſed defectu facultatum ſenſitiuarum & rationalium, quas in ipſis partibus non produxit anima.

Rurſus obiicies, par eſt ratio de oſſibus, & dentibus, cùm dentes ex ſecundi de ortu cap. 4. ex eodem alimento naſcantur, quod in oſſa transmutatur: atqui dentes non ſunt animati, tum quia etiam creſcunt, quando viuens amplius non accreſcit, tum etiam quia anima ſeparata non corrumpuntur, vt caro & aliæ partes animatæ, ergo dentes non ſunt animati.

Reſpondeo negando maiorem, potiſſimum propter illam rationem, quæ in probatione minoris allata eſt, quod ſcilicet poſt ſeparationem animæ à corpore, oſſa alięque partes animatæ in puluerem abeant, non item dentes.

Quod autem ſpectat ad locum Ariſtotelis, docet non ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, ex eodem alimēto fieri dentes, quod transmutatur in oſſa, propterea quòd fiunt ex eorum excrementis, ſiue ex partibus incrementitiis medullæ, quas oſſa reſpuunt tanquam ineptum ſibi alimentum.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*De Cartilagine & ligamento.*

Cartilaginis eadem eſt ac oſſis ſubſtantia, & in hoc ſolum differunt, quòd oſſa duriora ſint, cartilago verò tenerior, vt inflecti poſſit: differentiæ cartilaginum ex eo repetuntur, quod aliæ oſſium extremis hæreant, vt in naſo, coſtis; aliæ non, vt in auribus, epiglottide, laringe, &c.

Quod cartilagines ſint animatæ patet, tum quod ſint eiuſdem naturæ cū oſſibus, quibus ſuprà animam tribuimus, tum quod non ſecus ac aliæ partes animatæ per intus ſuſceptum alimentum, & verſus omnem poſitionem differentiam augeſcant.

Quod ſpectat ad ligamentum, vt cartilago oſſis, ſic cartilaginis ligamentum æmuletur duritiem, coniungítque, & continet oſſa quæ aliter diſſilirent; nec dubium eſt quin anima informentur pari iure, ac oſſa, & cartilagines.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De reliquis partibus ſimilaribus animatis, tendine, fibris, membranis, cute, carne, & pinguedine.*

Poſt ligamentum ſequitur tendo mediā duritiem inter ligamentum & neruum obtinens, tanto enim mollior eſt ligamento, quanto durior neruo; à tendendo dicitur, quia membrū mouendum inſtar chordæ tendit.

Fibrę ſunt tenuia quędam, ſed tamen ſolida firmamenta ſingulis partibus inſita.

Membrana, alias tunica, ea dicitur quæ inueſtit alias corporis partes, quo ſenſu diximus quinque dari in oculo membranas, ſeu tunicas, quibus humor chryſtalinus occluditur.

Cutis differt à membrana, vt ſpecies à genere, membrana enim eſt tunica ambiens, ſiue totum corpus, ſiue aliquā partem. Cutis verò eſt generaliſſima quædam tunica totum corpus ambiēs, eáque duplex: vna exterior, & vocatur *epidermis*: altera interior, ſed quę viſu difficile à priori ſecernitur & *derma* nuncupatur.

Caro eſt ſubſtantia quędam laxior ſatis nota in humano corpore, ex ſanguine orta: ex quo ſimiliter pinguedo fit, ſed cum hoc diſcrimine, quòd caro fiat à calore per ſiccationem, pinguedo à frigore membranarum per modum congelationis.



Digitized by Google

Cæterum has omnes partes quæ verè ſunt ſimilares, eſſe pariter animatas nulli dubium eſt cùm viuant propriè, id eſt more rerum animatarum, ſuſcepto intus conuerſóque in ſuam ſubſtantiam alimento.

## ARTICVLVS QVARTVS.

### *De partibus ſimilaribus inanimatis.*

PArtes inanimatæ impropriè vocantur humani corporis partes, ſumpta videlicet tantum parte pro eo quod ad vitæ conſeruationem refertur, non autem pro eo quod anima informatur, vt ex ſe liquet. Primò autem loco de quatuor humoribus diſſeremus, tum alias eiuſmodi partes ſuo ordine perſequemur.

### MEMBRVM PRIMVM.

#### *De quatuor humoribus.*

QVatuor communiter humores admittuntur *flaua bilis*, aliter *cholera*, *ſanguis, pituita, & melãcholia*, quatuor elementis, & quatuor ætatibus reſpondentes. Bilis reſpondet igni, quia calida & ſicca eſt, refértque adoleſcentiam: ſanguis aëri, quia humidus, & calidus, & refert iuuentutem; pituita aquę, quia frigida & humida, & exhibet pueritiã: melancholia denique terræ, quia ſicca & frigida, refértque ſenectutem.

Reſpondent quoque quatuor iſti humores quatuor anni tempeſtatibus: ſanguis creditur verno tempori reſpõdere, quia vernum tempus eſt temperatum ex calore & humiditate, ſanguis autem calidus & humidus. Æſtati calidæ & ſiccę reſpondet bilis calida & ſicca. Autumno frigido & ſicco melancholia frigida & ſicca. Hyemi frigidæ & humidæ reſpondet pituita frigida & humida.

Diximus agendo de anima vegetante quomodo procreentur humores illi, nẽpe in hepate, in quo ſecunda perficitur concoctio, & procreatur chymus exhibens humores illos quatuor. Duo quærenda manent, primum an omnes humores venis contineantur & nutriant, ſecundum an ſint veræ corporis partes.

Quod ſpectat ad primum, ſententia Ariſtotelis 2. de partibus animalium eſt ſanguinem ſolum venis contineri, ſolúmque nutrire, ſed illi omnes ferè Medici repugnant: aduerſatur experientia, quia conſtat per venæ ſectionem non ſolum exire ſanguinem, ſed cum ſanguine alios tres humores. Item conſtat lac in alimentum cedere, cùm tamen ſit mixtum ex variis humoribus: quamquam dici poſſit cum Fernelio, & aliis Medicis, non tam bili, quàm ſanguine vel ſucco bilioſo; non tam pituita, quàm pituitoſo ſanguine; non tam melancholia, quàm melãcholico ſanguine fieri nutritionem: quia ſecundum illos ſanguis variè alteratus horum omnium refert ſimilitudinem.

Quod ad ſecundum attinet, an quatuor humores ſint veræ corporis humani partes, diſtinguendum eſt nomen partis, aliquando enim fuſiori ſignificatu illud totum pars eſſe dicitur quod conſtituit totum aliquod, & in quod reſolui poteſt, quo pacto humores in partium humani corporis catalogum referri poſſunt: aliquando verò ſtrictiori ſignificatione id ſolum partis nomen ſibi vendicat quod eſt toti continuum & cohærens, animáque informatur, quomodo negamus humores eſſe partes, tum quia non cohærent toti, ſed venis incluſi huc illuc fluitant, tum quia tanquam alimenta conuertuntur in ſubſtantiam viuentis, quod fieri non poſſet, ſi iam eſſent anima informati, veræque ipſius corporis partes.

### MEMBRVM SECVNDVM.

*De Spiritibus.*

Hippocrates partes corporis in cōtinentes, contentas, & impetum facientes diuidens indicat ſatis exiſtētiam ſpirituū, quos ſignificat per partes impetum facientes, quoniam eorū miniſterio anima omnem motum impetúmque excitat, inciſa vena ſanguinis riuulos effundit, vi ſpiritus & caloris inſiti impetu maiori erumpit. Ex alio quoque indicio colligitur ſpirituū exiſtentia, ſcilicet ex inſpectione hominis recens mortui, in quo fumos quoſdam cernimus è cerebro exilientes, qui quidem fumi à ſpiritibus animalibus in cerebri cellulis geniti aliud eſſe non poſſunt: ſpiritus vocantur à ſubtilitate & agendi promptitudine quę ſumma eſt in propriè dictis ſpiritibus ſeu ſubſtantiis immaterialibus.

Hîc remanent duo quęrenda, alterū quæ ſint ſpirituum differentiæ, alterū an ſint animati.

Quod ad primum attinet, generatim duplex ſpiritus conſtituitur, alter innatus, & inſitus, alter influxus: primus qui ſingulis animalibus ab initio ortus conuenit, ſecundus verò ille, qui in ſubſidium accedit ſtatim enim euaneſceret innatus, niſi ſubinde ab influente indeſinens eius iactura repararetur.

Rurſus ſpiritus influxi, qui alio nomine dicuntur erratici, in triplici ſunt differentia, alij dicuntur naturales, alij vitales, alij animales: naturales ſunt ſubſtantiæ admodum ſubtiles, vnà cū ſanguine per venas influunt, & ad nutritionem, quæ eſt naturæ opus, plurimum conferunt.

Vitales ſunt illi qui in corde vitę principio, ex ſanguine ad alliud delato generantur, & vitæ functionibus ſubſeruiunt Animales denique illi habentur, qui in cerebri cellulis generantur ex ſpiritibus, qui à corde ad cerebrum diffluunt, & ideò dicuntur animales, quòd ſenſitiuis animalium operationibus ſeruiant. Quod ad alterum ſpectat, aſſerendum eſt ſpiritus nequaquā eſſe animatos, tum quod ſpecie non differant à ſanguine, ſed ſint tantùm ſubtiliores eius partes, tum quod perinde ac humores, toti non cohæreant, ſed per arterias huc illuc diffluant.

## MEMBRVM TERTIVM.

*De Semine & Lacte.*

Iam egimus de ſemine, tractantes de anima vegetante: vnicum addendum eſt, an ipſum ſemen ſit animatum.

Reſpondeo negatiuè, tum quia ex partibus excrementitiis oritur, tum quia non eſt toti cohærens, & continuum, ſed in quibuſdam vaſculis concluſum, tum quia diſponitur ad animā recipiendam, poſtquam à parentibus immiſſum eſt, quod non fieret, ſi iam eſſet animatum.

Nec valet ſi dicas ſemen generare, proindéque eſſe animatum, neganda eſt enim conſequentia, quia ſequitur tantum ineſſe ſemini virtutem inſtrumentariam generandi, & producendi animam, non tamen ipſa anima eſſe informatum, ſicut licet calor ignis vim habeat inſtrumentariam ad producendum ignem, non tamen ſequitur illum actu eſſe forma ſubſtantiali ignis informatum.

Quod attinet ad lac, illud nihil eſt aliud quàm ſubſtantia aliqua ex excremento bis cocto coagmentata, & in mammis mulierum contenta.

Non eſſe animatum certiſſimum eſt, tum quod non procreetur à natura in ipſa fœtus efformatione, ſed poſt aliquod tempus, & in quibuſdam tantū producitur, tum quod non ſit cohærēs reliquis partibus animatis, vt ſuprà

Digitized by Google

argumentabamur.

Rogabis vnde fiat vt ſemen & lac alba ſint?

Reſpondeo quod quemadmodum nonnulla nigreſcunt calore, ita coctione quædam albeſcunt, vt ſemen & lac: ſemen quidem quod vaſis ſpermaticis efformatur ex ſanguine præparato dealbato, lac verò quod mammę conficiunt menſtruum in ipſum conuertendo & dealbando.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*De partibus diſſimilaribus.*

### ARTICVLVS PRIMVS.

*De Muſculo.*

MAxima naturæ in fabricandis muſculis ſolertia, & ſingulis partibus impertiendis effulſit prudentia, vt ſcilicet iis quò vellent corpora mouerentur; quapropter non malè definitur muſculus, *motus arbitrarij inſtrumentum:* aliàs, *par diſſimilaris, tunica, propria carne, neruis, arteriis, fibris, & ligamentis contexta.* Muſculorum differentiæ variæ ſunt, aliæ deſumuntur ex ſubſtantia, & ita muſculi alij magis carnales dicuntur, alij magis neruoſi, alij membranis abundantes: aliæ deſumuntur ex quantitate, & ſic muſculi alij dicuntur oblongi, alij lati, alij profundi: aliæ à colore petuntur, & ſic alij rubentes, alij candicantes appellantur.

Diuiditur præterea muſculus generatim tres in partes, in caput, ventrem, & caudam. Caput exortus eſt muſculi, venter pars illa quâ tumentior eſt muſculus, cauda communiter tendo dicitur. Cæterum omnium conſenſu probatur muſculum eſſe animatum, cùm non modò viuat per aſſumptionem alimenti, & eius in ſuam ſubſtantiam conuerſionem, ſed in eo grauiſſimus dolor ſæpè ſentiatur.

### ARTICVLVS SECVNDVS.

*De Venis.*

VEnam à veniendo non malè deduces, quod per eam ſanguis ad omnes corporis partes veniat. Eius natura hac definitione explicatur: *Vena eſt pars diſſimilaris, ſpermatica, ſimplici tunica prædita, ſanguinis alimentarij conceptaculum.*

Dicitur primò pars diſſimilaris, quod licet ſenſu videatur ſimilaris, variis tamen fibris eſt intertexta, vt communis habet Medicorum ſententia, ideo re ipſa diſſimilaris eſt.

Dicitur ſecundò ſpermatica, quòd ex ſemine immediatè progignatur ipſo informationis fœtus initio: dicitur tertiò ſimplici, ſeu vnica tunica cōtexta, in quo ab arteriis diſtinguitur; quæ duplici cute præditæ ſunt, eo fortaſſe naturæ conſilio, ne ſubtiliores ſpiritus vnica concluſi tunica foras erumperent.

Dicitur deníque ſanguinis conceptaculum, ſed non tantum, verumetiam humorum, ſuperius oſtendimus.

Venis actiones quædam tribuuntur, prima eſt alterare & perficere ſanguinem: quarumdam, ſcilicet meſaraïcarū, eſt ipſum ſanguinem præparare: aliarū quæ per hepatis ſubſtantiam diſſeminantur, ſanguinem coquere; reliquarū eſt ipſum ſanguinem perficere.

Duæ ſunt potiſſimæ in corpore, *porta & caua*, ex quibus plures aliæ velut riuuli quidam emergunt, & per vniuerſum corpus diffunduntur, quas particulatim explicare non patitur huius inſtituti breuitas, eſtque operæ Medicorum.

Quærendum ſupereſt an venæ ſint animatæ.

Reſpondeo affirmatiuè, tum quia more aliarum partiarum animatarū creſcunt, tum quia doloris ſenſum patiuntur, vt teſtatur experientia.

ARTICVLVS

Digitized by Google

## ARTICVLVS TERTIVS.

### *De Arteriis.*

ARteriæ definitio hæc eſt à Medicis communiter tradita, *Arteria eſt pars diſſimilaris ſpermatica, duplici cute contexta, vitalis ſanguinis conceptaculum.*

Dicitur primò, pars diſſimilaris, quod è variis partibus componatur, nempe duplici cute, nonnullíſque fibris. Dicitur ſecundò ſpermatica, quòd ex ſemine in ipſo generationis initio elaboretur, & efformetur à natura: dicitur tãdem ſanguinis vitalis conceptaculum, id eſt, illius qui in corde purior, & ſubtilior redditur, vt communiter Medici ſtatuunt.

Ex eodem Medicorum conſenſu arteriæ à corde originem ducunt: quod anatomicis diſſectionibus compertum eſt, etenim à ſiniſtra cordis parte vel à ſiniſtro cordis cornu, duæ prodire viſæ ſunt arteriȩ, vna quæ *venoſa*, altera quȩ *aorta*, nuncupatur. Illa in pulmones abit, ſanguinem arterioſum ſuppeditãs, & fuligines expurgãs, *aorta* vniuerſum corpus vitali ſpiritu fœcundat, & protinus è corde proſiliens in duos diſpariles ramos diuiditur.

Ratione confirmatur hæc doctrina: arteriæ pulſum habent, ergo æquum eſt vt trahant originem ab ea parte cuius motus eſt perpetuus. Arterias eſſe animatas eodem modo, ac de venis demonſtratur, tum quod ſcilicet vitali modo creſcant per conuerſionem alimenti in propriam ſubſtantiam, tum quod dolorem ſentiant.

## ARTICVLVS QVARTVS.

### *De Neruis.*

DEfinitur neruus pars ſpermatica, diſſimilaris ſpiritus animalis vhiculum: éſtque illud quo anima reſidẽs in cerebro, velut habena, vniuerſum corpus regit & moderatur.

Non deſunt qui hanc definitionem impugnent eo quod non conueniat omnibus neruis, ſed ſolum motiuis: diſtinguunt enim neruos, vt alij ſint ſenſitiui, qui ſubſeruiunt ſenſuum operationibus, & ab anteriori parte cerebri deriuantur, súntque tantum ad deferendas ſpecies intentionales obiectorum ſenſibilium ad ſenſum communem; alij motiui, qui à poſteriori cerebri parte exorti animales ſpiritus deuehunt motus edendi gratia.

Quicquid diſputent, pro certo habeatur neruum eſſe ſubſtantiam aliquã ex glutinoſa & viſcoſa ſeminis portione generata, non autem ab arteriis propagata, vt falsò perſuaſit ſibi Protagoras.

Diſputatio eſt inter Medicos & Ariſtotelem in quánam parte generentur nerui. Ariſtoteles aſſerit in corde generari, contrà verò Medici in cerebro, quibus potius aſſentiendum credo, quia experientiam habent ſibi fauentem & rationem. Experientiam quidem quã anatomicis diſſectionibus exploratum eſt ex cerebro magnam neruorum copiam in reliquas corporis partes dimanare. Nec audiendus Ariſtoteles qui dicit à corde neruum aliquem ad cerebrum promanare, qui poſtea in varios neruos tanquam in ramos diſpergitur, cùm eadem ipſi repugnet experientia anatomicarum diſſectionũ, quibus inuentum eſt non neruum, ſed arteriam à corde ad cerebrum deriuari.

Confirmatur ratione, nam æquum eſt vt nerui, qui ſunt animalium operationum principia, in ea parte reſideant, in qua animales operationes potiſſimũ exercentur, qualis pars eſt cerebrum.

## SECTIO TERTIA.

### *De diſputatione partium corporis.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*De Diſpoſitione partium Capitis.*

EXacta omnium partium corporis, & quomodo vnaquæque pars conſtituatur, ac tandem quid illa ſit, notitia, opus non diei, aut menſis, ſed anni, imò vitę totius foret; breuiter tamen potiſſimas partes recenſebimus, initio à capite, tanquam à potiſſima parte ducto.

Generatim caput diuiditur in partẽ capillatam, ſeu eam in qua pili ſunt, & faciem, ſub qua comprehenditur quicquid à partibus capillatis relinquitur, frons ſcilicet, &c.

Pars capillata adhuc in tres partes diuiditur: ſinciput, quæ pars eſt anterior; verticem, quę ſummitas eſt; & occiput, quæ eſt poſterior pars. Rurſus aliæ dicuntur partes capitis continentes, alię contentæ. Continentium aliæ ſunt communes omnibus capitis partibus, vt cutis, membrana carnoſa alię ſunt certis partibus propriæ, eæque vel externæ, vel internæ. Externæ, pericranium, oſſa cranij operiens, & cranium ipſum, ſeu pars illa ex aliquot oſſibus compoſita, quâ tanquam caſſide occluditur cerebrum. Internæ ſunt duæ meninges cerebrum ambientes, quæ inter mollem cerebri ſubſtantiam, & duram oſſium interpoſitæ ipſam cerebri ſubſtantiam ab oſſium duritie defendunt: harum vna vocatur à Latinis *dura mater*, quia durior: altera *pia mater*, quia tenuior. Cæterum partes contentæ duæ ſunt: cerebrum & cerebellum, quibus aliæ partes continentur vt diſſectio demonſtrat. Cerebrum à cerebello in hoc diſtinguitur, quòd cerebrũ ſit maius cerebello, & exiſtat in anteriori parte, cerebellum verò in poſteriori & occipite.

Communiter quatuor conſtituuntur in cerebri cellulæ pro quaternario ſenſuum internorum numero.

Si quæras quę ſit cerebri ſubſtantia: Reſpondendum eſt eandem eſſe ac neruorum, ſed molliorem, & non ſine expreſſo naturæ conſilio, quæ mollitiem conceſſit cerebro, vt facilius ſenſibiliũ obiectorum imagines in ſe reciperet.

Ex quo ſatis deducitur cerebrũ animatum eſſe debere, quod vltrà confirmatur, tum quia cerebrum eſt domicilium & ſedes omnium ſenſuum, tum quia experitur dolorem.

Ratio fortaſſe videbitur poſtulare, vt priuſquam ab hac explicatione capitis manum retrahamus, fuſius ſingulas eius partes perſequamur, tum illas quę in facie apparent, quales ſunt oculi, naſus, &c. Sed moneo ad tollendam omnem mali conſilij ſuſpicionem nos non ſuſtinere Medicorum ſed Phyſicorum perſonam, tum de his nos ſufficienter egiſſe, vbi ſermo de viſu, auditu, & guſtu inſtitutus fuit.

De pilis vnica eſt examinanda difficultas, ſintne animati, néc ne.

Reſpondeo non eſſe animatos, quod ſimiliter debet intelligi de barba, & lana.

Probatur, quia nulla actio vitalis in iis omnibus apparet, nec creſcunt per internam alimenti ſuſceptionem, ſed tantum per iuxta poſitionem.

Obiicies, pili ſunt partes animalis ex Ariſtotele, 1. de anima cap. 5. text. 79. de animali. Reſpondeo diſtinctione antecedentis, pili ſunt partes animalis extrinſecus ornantes, concedo; integrantes verò, & perficientes intrinſecus nego.

Secundo obiicies, quod ſunt folia in arboribus id ſunt pili in animalibus, ſed folia ſunt partes animatæ arboris, ergo & pili animalis.

Comparatio in eo tantum eſt, quòd ſicut folia extrinſecus ornant arborem, ita pili animalia, vnde.

Digitized by Google

Neganda eſt maior, & diſpar ratio in eo eſt, quod pili anima ſentiente non informantur, ſicut folia, anima vegetante,

De gutture diximus, vbi de nutritione agebatur.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*De partibus Thoracis.*

PRecipuas tantum partes numerabimus: ac in primis occurrit, vt in ventre & epigaſtrio, duplex cutis, epidermis, & derma. Occurrit præterea pinguedo, quædam, occurrunt & muſculi pectorales, duóque alii qui ſerrati nuncupantur, itémque Maſtoïdes & Bronchius qui in ſuperiori ſterni, ſeu pectoris parte conſiſtunt: occurrunt etiam, & pręeminent duæ mammę quæ propriè locum habent in mulieribus, in viris enim non tam mammæ ſunt, quam mammarum notæ ad decus, & venuſtatem corporis comparatæ.

Occurrunt etiam coſtæ viginti quatuor, 12. ex vno latere, totidémque ex altero. Thorax ab epigaſtrio diaphragmate veluti pariete interiecto ſecernitur, partéſque vitales in ſe continet beneficio illius membranæ vniuerſalis, quæ pro diuerſitate locorum diuerſa nomina ſortitur, infra ſeptum, peritoneum: ſupra plura, ſubcingéńſque membrana, in capite meninx.

Prima pars vitalis (de qua agendũ) præcipua eſt, cor, vitę ſedes & domicilium, quod duas ſolet in partes diuidi in latiorem quæ baſis ſeu caput dicitur, & acuminatam quæ cuſpis & apex nominatur, duobus porrò ventriculis, binis auriculis & quatuor vaſis cor conſtare anatomica diſſectio patefacit, in dextro ventriculo venam cauam, & venam arterioſam reperies, in ſiniſtro arteriam magnam, & arteriam venoſam.

Auriculæ cordi conceſſæ ſunt, ſi credendum Hippocrati, vt iis quaſi flabellis cor ventilaretur ac refrigeraretur.

Aliæ partes non fuerunt ſine fine & vſu à natura procreatæ.

Poſt cordis explicationem offerunt ſe pulmones, quorum caro mollis, rara, ſpongioſa, ac veluti ex ſpumoſo ſanguine concreta, inſeruiúntque illi attrahendo aëri, & attracto propellendo. Dum efferuntur & dilatantur, aërem trahunt, compreſſi attractum repercutiunt & foras eiiciunt.

Præter cor & pulmones apparet aliquod corpus glandulоſum, molle, quod vernacula lingua *fagoue* nominarunt. Poſſum & merito collum ad thoracem reuocare, in quo contemplabor partes continentes & contentas: continentes cuticulam, cutem, membranam carnoſam, contentas, muſculos laringis, & colli, aſperam arteriam, & œſophagum, quæ duæ poſteriores partes ſunt veluti quidem ductus & canales: arteria formandę voci plurimum inſeruit. Oeſophagus eſt quaſi pons & via cibum ad ventriculum deferens

## QVÆSTIO TERTIA.

*De partibus ventris inferioris.*

VEnter inferior dicitur in quo partes naturales reſident: & quia in eo multa conſideranda veniunt, ea ſolum tangemus, exactam verò explicationẽ ad Medicos remittemus.

Itáque primò diuidi poteſt venter inferior in partes continentes & contentas, continentes in communes & proprias: de contentis ſtatim agetur. Partes continentes communes ſunt cuticula ſeu epidermis, cutis ſeu derma, mẽbrana adipoſa, membrana carnoſa, communis tunica muſculorum.



Digitized by Google

detentur, natura quoddam vinculum conſtruxit, cuius beneficio vnumquódque in ſuo ſitu confirmaretur & conſervaretur, quod quidem vinculum communiter vocatur meſenterium, vel meſaraïcum, componitúrque ex duabus membranis, & adipe, varias venas complectitur, quas meſenterias, vel meſaraïcas vocamus.

Partes aliæ occurrunt, & primò pancreas corpus glandulosum, ſub ventriculi fundo duodeno, & vena porta inter ſplenem & venam portam collocatum. Secundò occurrit hepar ſedes naturalis facultatis, & venarum radicatio, eius ſubſtantia concreto ſanguini, & ardore toſto ſimilis apparet: viſitur tertio veſicula fellis amariorem ſuccũ recipiens, vt ſolus dulcis in alimentũ cedat. Quarto notatur lien humoris melancholici receptaculum. Vltrà conſiderandi ſunt renes, iuxta vltimam coſtam lumbis accumbentes.

Spectare præterea iuuat vreteres ſeu canales quoſdam qui aliter vrinarij dicuntur, quoniam iis ducitur ſeroſus humor in veſicam vrinæ receptaculum.

Denique occurrunt partes illę quæ genitales nuncupantur: vaſa ſpermatica, teſtes, vaſa eiaculatoria, virga virilis, & ſimiles partes, de quibus exactè agere nec ſinit veſter auditus, nec meus pudor.

Expectatis forſitam vt ad artus deveniamus, ſed in iis nihil præter membranas, oſſa, venas, arterias, neruos & alias partes inuenietis, de quibus iam actum eſt.

Hæc de Anatome & tota Phyſica arbore, ſub qua toto anno acquieuimus.

## *INDEX RERVM MEmorabilium, quæ in hac tertia Philoſophiæ Parte continentur.*

A

Accidentia materialia ſunt nobis notiora ipſis ſubſtantiis. 358.
Accretionis & accreſcendi virtus bifariam accipitur. 295. eius exiſtentia ibid. quæ ſit ipſius facultatis eſſentia. 296.
Actio vtrum detur inter ſimilia 222. poteſt eſſe inter agentia ſimilia in qualitate, ſed in gradu & intenſione diſſimilia. 223.
Actio vtrum ſit eiuſdem in ſeipsũ, ibid.
Actio duplex eſt 224.
Actio eſt idem realiter cum termino ad quem tendit. 79.
Actio & paſſio quid ſint. 219. earum eſſentia & affectiones 221.
Actionum duo ſunt genera. 188.
Actus intellectus voluntatis & memoriæ in anima ſeparata remanẽt. 362.
Actus metaphyſicus duplex. 20.
Aër, & quare tanta oriatur tempeſtatũ diuerſas vernante hyeme, & vere hyemante; æſtate frigente & calente hyeme. 211. cur cum incluſus eſt in terræ viſceribus dum per reſpirationem attrahitur animantibus nocet: & illæ peius habeãt quæ frigido aëre ſudant ibid.
Æquabilitas & vniuerſitas motuum cœleſtium conſiderari poſſunt dupliciter. 188.
Ætas quid ſit & quotuplex

Affectiones primarum qualitatum.
Affectionum varia ſunt genera 33.
[illegible] naturale poteſt per ſuam ſubſtã-[illegible]am immediatè cum accidentibus concurrere ad productionem formæ ſubſtantialis in alia materia & quomodo probatur. 32.
Æuum differt ab æternitate tempore. 127.
Agens naturale tribus modis conſideratur ad productionem formę ſubſtantialis. 31. quomodo attingat productionem formæ. ibid.
Alimentum duplex. 292. quot & quas conditiones habere debeat. ibid. & 293.
Aliquid, ab intellectu duobus modis cognoſci poteſt 112.
Aliquid ab arte bifariam proficiſcitur. 48.
Aliquid ex nihilo fieri duobus modis dicitur. 29.
Alteratio quid. 227. eiuſdem varia acceptio, ibid. ad quas qualitates referatur. ibid. 228. illius eſſentia & affectiones. ibid. 229. 230. 231.
Angelus ab humano intellectu confuſa tantùm cognitione cognoſcitur. 357.
Anima rationalis eſt omnino indiuiſibilis. 273.
Animæ plantarum & imperfectorum animalium ſunt extenſæ, & diuiſibiles. 274.
Animæ perfectorum animalium ſunt diuiduæ & per partes extenſæ, ſecũdum Ariſtotelem. 275.
Anima quælibet ſuas vires ac facultates peculiares habet. ibid.
Animæ nomine quid communiter intelligitur. 265. illius exiſtentia, an ſit, & quotuplex. ibid. 266. duplex illius definitio legitur apud Ariſtotelem. 267. an ſit eſſentialiter actus corporis, an verò tantùm accidentariò. ibid. vtrum dicatur eſſentialiter actus corporis totius, an verò tantùm partis alicuius. 268. quænam corporis partes ſint animatæ, & quarum anima dicitur actus. 269.
Anima rationalis quid ſit. 347. an detur, & quomodo procreetur. ibid. vtrum ſit immortalis. 348. 349. quis ſit animarum numerus. 350.
Tot ſunt animæ, quot ſunt corpora ibid.
Animæ rationalis eſſentia indagatur. 351.
Animæ duobus modis dicuntur æquales. ibid.
Animæ rationalis proprietates duplicis ſunt differentiæ. ibid.
Animæ omnes rationales ſecundum ſuas eſſentias & proprietates naturales ipſas conſequentes & immateriales, ſunt æqualis perfectionis. ibid. omnes rationales ſecundum facultates organicas non ſunt æqualis perfectionis. 352.
Anima eſt rerum animatarum forma. 43. in rebus animatis eſt actiuum localis motus principium 44.
De anima, ſeu corpore animato tractatus exquiſitiſſimus. 263. 264. anima rationalis ſecundum multos gradus ad Metaphyſicam pertinet. ibid.
Animæ vegetantis facultates tres potiſſimum dantur 284. quis ſit inter eas ordo. 285.
Animalia citius in medio mouentur quam in principio & in fine motus, quare. 140.
Antiperiſtaſis definitio. 224. vnde oriatur. 225.
Aorta & venoſa quid? 169.
Appellis commendatio. 46.
Appendix ad diſputationem de forma cadaueris. 283.
Appetitus nomen, & eius varia acceptio. 345. eius exiſtentia. ibid. eius affectio. 346.

Digitized by Google

aqua,& vtrum idem locus aquæ & terræ debeatur. 211. cur celeriter hauſtæ minus ſitim extinguant, quam paulatim ſumptæ,& quare putreſcant minus,quò frequentiùs agitantur, frigidæque ab homine æſtuante hauſtæ illum nonnunquam interimant. 212.
Arbitrium liberum confirmatur. 359. & ſeq.
Archimedis ſphæra. 48.
Archithæ Tarentini colūba ignea. 49.
Ariſtotelis opinio refellitur, 169.
Ariſtotelis mens de rerum creatione valde ambigua. 74.
Ars humana naturę ſimia. 46.
Ars duntaxat naturam modificat. 48. applicando actiua paſſiuis optimè naturæ opera præſtat. 49.
Ars bifariam naturam perficit ibid.
Arterię quid 369. vnde oriantur. ibid.
Aſtra vtrum à ſuis orbibus eſſentialiter diſtinguantur, formámque ſubſtantialem habeant diſtinctam.
Auditus nomen & exiſtentia. 327. quomodo fiat ex Ariſtotele. 328. eius eſſentia, & affectiones. ibid.
Auicennæ opinio reijcitur. 22 23.
Auri conficiendi ars in certa quadā téperie qualitatum conſiſtit 49. eiuſdē conficiendi Angelo ac dęmoni nota temperies. 50.
Auri puri confectio non eſt impoſſibilis. 49.

C

Calor naturalis eſt pręcipuum animæ vegetantis inſtrumentum. 287.
Calor cœleſtis à ſublunari ſpecie non differt. 50.
Canities vnde in hominibus oriatur. 295.
Capitis diuiſio 370. eius pars capilata. ibid.
Caro quid. 365
Cartilagines animatę ſunt. ibid.
Cauſę efficientis varię ſunt a Deo. 68.
Cauſæ efficientis multiplex diuiſio. 69.
Cauſæ efficientis definitio & eiuſdem explicatio. 70. eius cauſalitas in quo conſiſtit. ibid, 71.
Cauſæ efficientis influxus quid eſt 71. dupliciter ſpectatur ibid. eius affectiones inquiruntur ibid. & ſeq.
Cauſæ totales quot modis ſpectantur. 71.
Cauſa omnis ordine naturę prior eſt effectu. 65. ordine temporis aliquando prior eſt effectu, aliquando non
Cauſa vt cauſa nobilior eſt effectu. ib.
Cauſa poteſt dupliciter ſumi. 59.
Cauſarum diſtinctio vnde petitur. 6.
Cauſæ materialis & formalis duplex cauſalitas, 67.
Cauſa æquiuoca poteſt eſſe nobilior effectu. 66.
Cauſa omnis efficiens vniuoca eſt eiuſdem perfectionis eſſentialis cum ſuo effectu. ibid.
Cauſa, & eius acceptio multiplex 51.
Cauſam aliquam dari probatur. ibid.
Cauſarum quatuor tantum ſunt genera ibid. & ſeq.
Cauſę exemplaris, ſeu Idea quid. 55.
Cauſæ quomodo ſibi mutuò poſſunt eſſe cauſæ. 64.
Cauſarum cum ſuis effectibus comparatio. 64. 65.
Cauſæ exemplaris nomen, & eius acceptio multiplex. 53.
Cauſa per ſe & vniuoca in quo differt à cauſa per accidens & ęquiuoca. 187.
Cauſa quâ ratione differt à principio. 57.
Cauſæ determinatio triplex eſt 89 & ſeq
Cauſæ exemplaris exiſtentia confirmatur. 53.
Cauſæ nobiliores quæ. 61. & ſeq.

Cauſa efficiens & finalis materialiter ſumptæ poſſunt eſſe in Deo. 62.
Cauſa finalis aliqua ratione longè ſuperat efficientem. 63.
Cauſa inſtrumentalis poteſt eſſe ignobilior effectu, & è contra 66.
Cauſa exemplaris poteſt eſſe perfectior effectu, & eiuſdem perfectionis. 67.
Cauſa efficiens creationis totius vniuerſi Deus eſt. 68.
Cauſæ efficientis nomen, & varia acceptio. ibid.
Cauſalitas cauſæ exemplaris in quo conſiſtat. 56.
Cauſæ variæ definitiones. 57.
Cerebrũ à cerebello quid differt. 370.
Cerebri cellulæ quatuor. ibid.
Characterum aut verborum nulla vis efficiendi. 49.
Circuli minores quatuor numerati sũt in ſphæra, & quales ſunt. 180. 181.
Circulus meridionalis quis eſt ex Sacroboſco. ibid.
Circulus æquinoctialis, ſeu æquatoris definitio Zodiaci deſcriptio.
Cœlum ſaltem per motum & lucem influit in hæc inferiora producendo calorem & ſiccitatem. 192. 193.
Cœlum empyreum influit in hæc inferiora. 193.
Cęlum eſt cauſa efficiens multorum effectuum ſublunarium ibid. an dentur in eo differentiæ poſitionum ibi. 195.
Cœlorum figura qualis 182. 183. an ſint rari & denſi ibid. an ſint duri vel molles: pellucidi & diaphani, an verò opaci. 184. eorum perfectio. ibid. & ſeq.
Cœlorum motus eſt circularis 185. vtrum ille circularis motus ſit ipſi naturalis, & à propria forma proficiſcatur, an verò ab externis intelligentiis. ibid. & ſeq.
an Cœli motus ſit cauſa caloris. 187.
Cœli motus ſimpliciter & abſolutè non eſt neceſſarius ad actiones agentium inferiorum 188. an concentum efficiat. 189.
Cœli nomen, & exiſtentia. 170. decem ſunt cœli. ibid. quæ ſit eius materia. 171. quęnam ſit eius forma. ibid.
Cœlorum motus an ſint vniformes & æquabiles. 188.
Cognitio duplex. 557.
ex Cognitione creaturarum viſibilium cognoſcimus inuiſibilia Dei.
Calor quid ſit, & quomodo dnfiniatur. 325. eius diuiſionem in colores extremos & medios 326. ad colorum generationem quæ concurrant. ibid.
Colores veri naſcuntur ex permixtione quatuor primarum qualitatum. ibid.
duo Coluri ſunt circuli maiores, ſphæram in duas partes æquales diuidentes. 179. quę illis aſcribantur officia, ibid.
Cometa, & quæ ſit eius materia 245.
Cometarum diuiſio ibid. quomodo incendantur. ibid. quis ſit eorum locus. ibid. fuerit ne verus cometa an ſtella, quę in natali Domini in Oriéte apparuit 246. multa prænunciant. ibid.
Compoſitio & diuiſio reperiuntur in phantaſia & æſtimatiua. 344.
an compoſitio, diuiſio & diſcurſus in ſenſibus internis reperiantur. ibid.
Compoſitum naturale eſt ille terminus, qui maximè in generatione intenditur, non forma, & quomodo, probatur. 32. 33.
Compoſita homogenea & heterogenea in quo differunt. 34.
Compoſita naturalia ſunt in duplici differentia. 34.
Cmopoſitum quid ſit. 4.
Conditiones *ſine quibus* non ſunt cauſa rerum quarum ſunt conditiones, nec illas virtute producunt. 32.

Concurſus

Concurſus Dei an antecedat concurſum cauſæ ſecundæ. 84.
Concurſus generatim eſt duplex 82. an ſit neceſſarius ad omnes creaturarū actiones. ibid & ſeq.
Concurſus Dei non antecedit concurſum cauſæ ſecundæ. 88.
Conſeruatio quomodo diſtinguatur à creatione. 81. & ſeq.
Conſeruatio vtrum ſit neceſſaria vt res productæ à Deo in ſuo eſſe permaneant. 81.
Continuum à partibus ſuis & terminis etiam ſeorſim ſumptis, nequit realiter diſtingui. 106.
Continuum à ſuis partibus, & terminis ſeorſim ſumptis, formaliter diſtinguitur ibid. illius partes eiuſdemque etiam termini inter ſe diſtinguuntur. ibid.
an Continui partes ſint in illo actu, & an ipſum continuum ſit in infinitum diuiſibile. 105. & ſeq
Continuitas eſt de eſſentia motus, 151.
Cor prima pars vitalis. 371. in duas præcipuas partes diuiditur. ibid.
Corpus vnum definitiuè poteſt eſſe in pluribus locis. 116. & ſeq.
Corpus naturale, de quo agit Phyſica, non cognoſcitur, niſi per ſenſus. 2.
Corpus naturale eſt legitimum Phyſicę obiectum. 5.
Corporum penetratio, diuina virtute fieri poteſt. 121.
duo Corpora naturaliter in eodem loco exiſtere non poſſunt. 120.
Corpus mobile bifariam ſumi poteſt. 4.
Corporis humani præſtantia. 363.
ad Corruptionem potentia duplex 25
Creatio quomodo ſe habeat tam reſpectu Dei, quam reſpectu ipſius rei, quæ creatur. 79.
Creationis cauſa duplex. 75. poteſt bifariam ab aliqua cauſa principaliproficiſci. ibid.
Creatio, & vtrum cognouerint Philoſophi veteres 74. Ariſtotelis mens de rerum creatione valdè ambigua, ibid.
Creatura poteſt eſſe cauſa inſtrumētalis creationis. ibid.
Creatura nulla, etiam dependenter, poteſt incidere in opus creationis totius entis creati. 76. poteſt eſſe cauſa pricipalis creationis alicuius entis creabilis, & quomodo probetur. ibid. & 77. 78. & ſeq.
Cutis quid, & quomodo differt à membrana. 365.

D

DÆmonū pernicioſa induſtria quæ fiant. 49.
Deus ad omnes effectus neceſſario cōcurrit. 81.
Deus eſt cauſa & ens per eſſentiam. 81.
Deus ſpeciali concurſu ſupplet abſentiam agentis naturalis. 31.
Deus cum creaturis ad quamlibet actionem debet concurrere. 83. & ſeq.
Deus eſt reliquarum cauſarum efficientium cauſa. 59.
Digreſſio moralis pro Incarnationis myſterio, & Euchariſtiæ Sacramento. 47. 48.
Digreſſio moralis pro dignitate hominis, 62.
Digreſſio moralis pro eleemoſina. 65.
Digreſſio moralis à creatione pro iuſtificatione peccatoris elegantiſſima 80.
Digreſſio moralis contra peccatum. 63.
Digreſſio moralis pro contemptu vitæ & deſiderio beatitudinis ex Authore elegantiſſima. 40. 41.
Digreſſio moralis contra peccatum, & pro conuerſione ad Deum. 26, 27
Diſcurſus locum habere non poteſt in ſenſibus internis. 345.
Diuiſibile vel indiuiſibile tribus modis

aliquid dicitur. 273.
Dolor & voluptas tribus modis vſurpari poſſunt. 335.
Duratio, quid 126. rei exiſtenti maximè tribuitur ibid. variæ illius ſpecies. ibid. & ſeq.
Duratio ab exiſtentia creaturarum differt. 129.
Dura mater, quid 370.

E

Echo quid ſit, & vnde oriatur. 330.
Echo charantonia celeberrima. ib.
Effectus qui ab vna cauſa totali productus eſt per diuinam potentiam poteſt idem numero ab alia produci. 74.
Effectus fortuiti & cauſales, aut oriuntur ex concurſu cauſarum efficientium, aut ex concurſu cauſæ efficiẽtis cum materiali. 94
Effectus idem numero poteſt produci à duabus cauſis totalibus 72. de potentia Dei abſoluta fieri non poteſt vt idem effectus ſit à duabus cauſis ibid. & ſeq.
Effectus ratio dupliciter ſpectatur. 73.
Effectus qui ab vna cauſa totali efficiente productus eſt, non poteſt idẽ numero ab alia produci virtute naturę. 73.
Elementum quid ſit, & eius exiſtentia, 195. 196. quæ ſit Elementorum eſſentia. 197. vtrum ſuſcipiant magis & minus ibid. quænam qualitates illis inſint, & quomodo ad illas ſe habeant. 198.
in Elementis qualitates ſunt in duplici differentia ibid.
in Elementis ſingulis non dantur duæ qualitates ſummè intenſę ſed vna eſt intenſiſſima, altera verò remiſſa. 201.
Elementa ſymbola poſſunt in ſe inuicem immediatè tranſmutari. 207. diſſymbola in ſe mutuò immediatè tranſmutari poſſunt. 208. facilior eſt tranſmutatio ſymbolorum elementorum quàm diſſymbolorum. ibid. & ſeq.
ex Elementorum duorum pugna tertium generari poteſt. 209.
Elementa an maneant ſecundum formas. 238. 239.
an Elementis in ſuis locis exiſtentibus an leuita & grauitas conueniant 205. eorum figura ibid. in illis duplex exceſſus notatur. 206.
Ens naturale, & ens ſecundum naturã interdum promiſcuè vſurpantur. 4.
Ens naturale vel mobile an obiectum materiale phyſicæ. ibid. & ſeq.
Ens reale an ſit tantùm obiectum intellectus. 355.
Entium multitudo infinita per diuinã potentiam non poteſt dari. 109 & ſeq.
Epicyclus quid ſit, in eius figura conſiderandi ſunt tres circuli. 174.
Eſſentia diuina non habet in Deo rationem cauſæ idealis. 55.
Eſſentia formæ ſubſtantialis quæ ſit 33.
Eſſentia cuiuſlibet rei quomodo explicari ſolet. 1.
Eſſentia primarum qualitatum quæ ſit. 199. & ſeq.
Exhalationis & vaporis diſcrimen. 243. 244.
Exemplar ſeu idæa bifariam ſumitur. 53.

F

Facultatis nomen quid indicat. 275. an & quot dentur animæ facultates. ibid. & ſeq.
Facultatum animę cauſa efficiens, 276.
Facultates animę vtrum ſimul producantur 277. vel vna prius alia. ibid.
an Facultas quæ prius oritur ſit cauſa poſterioris. ibid.
Facultatum animę quale ſit ſubiectum. 278.
Facultates organicæ ſunt in ſolo corpore inhæſiuè, & in toto compoſito

Digitized by Google

denominatiuè. ibid. & ſeq.
Facultatis animæ definitio. 279.
Facultatum animæ affectiones. 282.
Facultates animæ formaliter, & ex natura rei ab ipſa anima diſtinguuntur. 282. non tantùm formaliter, ſed etiam realiter diſtiguuntur ab ipſa anima, 283.
Facultates animæ vegetantis non diſtinguuntur realiter. 285. 286. ne quidem formaliter, ſed tantùm ratione ratiocinata. ibid. & ſeq.
Facultates, quæ remanent poſt ſeparationem animæ à corpore, 361. 362.
Facultatis nutritiuæ definitio ex Ariſtotele. 288.
Facultates nutritiuæ quatuor communiter recenſentur. ibid.
Facultatis generatiuæ definitio ex Ariſtotele. 303.
Facultas loco motiua diſtinguitur realiter ab intellectu & voluntate. 361.
Fames quid ſit. 294.
Fatum, quid ſit, & quomodo à Cicerone deſcribitur 97. quomodo catholicæ deſcribi poteſt. 98.
Fibræ quid ſint. 365.
Finis vltimus verus quomodo ſit nobilior effectu 138. non vltimus aliquando nobilior eſt effectu, aliquando non ibid.
Finis eſt cauſa realis 92. non mouet ſecundũ eſſe intentionale ſolùm, ſeu intelligibile, ſed reale 93. illius eſſe reale ſecundùm quod mouet, non eſt præſens, ſed futurum vel poſſibile. ibid.
Fontium & fluuiorum ortus 215. 216. admirabilis quorundam fontium & fluuiorum natura. 217.
Forma eſt principium actiuum alterationis perfectiuæ rei in qua eſt. 43.
Forma ſubſtantialis educitur è potentia materiæ vi agentis naturalis. 29. 30.
Forma vnica vtrum poſſit plures numero materias informare, 34.
Forma ſubſtantialis an ſit tantum vna in omnibus cœlis. 272. & ſeq.
à Forma operationum in rebus naturalibus diuerſitas pendet 28. Galeni opinio refellitur. ibid.
Forma magis tranſit de non eſſe ad eſſe quàm compoſitum. 33.
vt forma perfectior eſt materia, ſic gratia cœleſtis perfectior eſt anima. 63.
Formæ duobus modis conſiderantur. 16.
Forma rationalis ab omni materia libera eſt, 29.
Formæ omnes cadaueris, quæ in diuerſis cadaueribus reperiuntur, vtrum ſint eiuſdem ſpeciei: 284.
Formæ cadaueris nomine quid intelligatur, & à quo producatur illius forma 283. 284. an forma cadaueris ſit anima. ibid.
Formæ varia nomina 27. eiuſdem varia acceptio. ibid.
Formæ plures an poſſint eandem numero materiam informare. 34. 35. & ſeq.
Forma eſt principium ſuæ generationis 43. non eſt principium ſuæ corruptionis, nec alterationis corruptę. ibid.
Forma rerum animatarum, videlicet anima, eſt actiuum principium accretionis. 43.
Forma ſubſtantialis de facto datur. 28.
Forma eſſentialis quæ ſit. 33
Fortuna & caſus quomodo definiantur. 93. 94.
Fortuna vtrum dicatur reſpectu Dei. 94.
Fulgur, ſeu tonitru, quid ſit, & quando oriatur non conuenit inter omnes. 246. 247.
Fulmen quid propriè ſit. ibid. illa ex-



Digitized by Google

halatio ex qua fulmen componitur vnde oriatur ibid. in ęſtate frequentiùs quàm hyeme contingit ibid. illius effectus ſunt plures & admirabiles. 248 cur tam irregulari motu decidat, & obliquè feratur. ibid.

G

Gallus vnde fiat, vt certo noctis tempore expergeſiat & canat 341.
Gaudium, triſtitia, aliæque perturbationes, quibus animal inter dormiendum agitatur, vnde oriantur. ibid.
Generatio, & eius varia acceptio 233. eius exiſtẽtia probatur ib. cauſa efficiens & agens naturale eiuſdem. ib.
Generationis variæ definitiones. 234.
Generatio propriè ſumpta eſt actio momentanea 235. in ea duę actiones conſiderantur ibid. in quanam actione eſſentialiter conſiſtat. ibid. & ſeq.
Generatio duplex 236. an ſit conuerſio. ibid.
Generationis & corruptionis conuenientia inquiruntur 237. earum affectiones. ibid.
Generationis definitio ex D. Thoma 304 an ſit actio vitalis, & vtrum ab Angelo & dæmone eſſe poſſit ibid ad generationem vtrum vir ſolus effectiuè cócurat, an verò fœmina 305.
Glacies quid, & an marina aqua gelaſcere poſſit. 260. & ſeq.
Gradus vegetatiuus poteſt accipi dupliciter. 36.
Grandinis mteria quæ ſit. 260. quod ſit tempus quo frequentius generatur. ibid.
Guſtus, quid? & quæ pars eius 333. eius eſſentia circa quod verſatur. 334. quæ ſint eius affectiones. ibid.

H

Hepar quid, & eius ſuſtantia. 373.
Hiatus à voragine parum differt. 251.
Homo operum Dei omnis finis dici poteſt. 62.
Homines armati in aëre haſtis & enſibus depugnantes, aliáque eiuſmodi quomodo conſpiciuntur. 252.
Horizon quid. 180
Humores quatuor vulgò admittuntur. 366. corundem analogia cum quatuor elementis & anni temporibus ibid. an ſint partes corporis, ibid.

I

Idea quid. 53.
Idea ſeu exemplar bifariam ſumitur ibid.
Ideæ ratio eſſentialis, ſeu exemplaris non conſiſtit in formali, ſed obiectiuo conceptu. 53 & ſeq.
Idem numero quod deſtructum eſt nequit reparari 298. probabilius eſt per diuinam potentiam idem numero quod corruptum eſt in rebus permanentibus poſſe reproduci. ibid. & ſeq.
Ignis, & quomodo noſter dicatur à ſeipſo corrumpi, & minor à maiori 210. cur magis in vmbra conſeruetur, quàm ſi ad Solem conuertatur. 211. cur illius aſcenſus ſit in figuram pyramidis, & Salamandra viuat in igne. ibid.
Ignitæ impreſſiones varię ſunt. 249.
Indiuiſibilia continuantia, tanquam entia realia & poſitiua ſunt neceſſariò in continuo admittenda. 104.
Indiuiſibilia ſaltem terminantia ſunt neceſſariò admittenda in continuo, tanquam entia quædam, realia & poſitiua. 103.
Infinitum quid, vtrum naturæ facultate poſſit dari infinitum actu. 107
Infinitum actu ſecundum eſſentiam ne quidem diuina virtute dari poteſt. 108. 109.
Infinitum dupliciter conſiderari poteſt

Digitized by Google

112. eiuſdem affectiones ibid.
Infiniti eſſentia explicatur. 112.
Infinitum continua quantitate nullo modo dari poteſt. 110.
Intellectus obiectum an ſit tantum ens reale. 355.
Intellectus eſt ſubiectum ideæ & exemplaris cauſę. 53.
Intellectus poteſt habere rationem cauſæ materialis & efficientis 60.
Intellectus agens & patiens quid. 352. quomodo diſtinguitur. ibid, patiẽtis varia nomina. ibid.
Intellectus animæ ſeparatæ obiectum, & eiuſdem modus cognoſcendi 362.
ab Intellectu humano confuſa tantùm cognitione cognoſcitur Angelus. 357.
Intellectus creatus poteſt venire in notiam infiniti formaliter ſumpti. 113.
Intellectus diuinus quodcúmque infinitũ diſtinctè percipere poteſt cognitione momentanea. 113.
Intellectus circa phantaſmata occupatur. 354.
de Intellectus obiecto vniuerſalia & ſingularia ſunt. 356.
in intellectu aliquid poteſt eſſe dupliciter. 53.
Intelligentiæ ab intellectu cognoſci poſſunt. 357.
Inteſtina quid, eorum ſubſtantia & numerus. 172. 173.
Iris quid: ad eius generationem duo ſunt neceſſaria. 250. quare ſimul eodem tẽpore plures aliquando oriantur. 160. vtrum veri ſint colores in Iride. ibid. an ante diluuium viſa ſit. 251.

L

LAc quid ſit. 367.
Lactis & ſeminis albedo vnde. 368.
Lapidum materiam, quæ ſit cauſa efficiens, & quot ſint eorum genera. 263.
Leuitas & grauitas an conueniant elementis in ſuis locis exiſtentibus. 205.
Lien humoris melancholici receptaculum. 373.
Ligamentum quid ſit. 365.
Locus quid 114. eiuſdem exiſtentia. ibid. duplex. ibid.
Loci interni & externi eſſentia diſquiritur. 115.
Loci affectiones multæ ibid. & ſeq.
Lumen quid, & in quo differt à luce. 223. eſt ſubſtantia. ibid.
Lumen vtrum in momento diffundatur, ſeu an illuminatio fiat in inſtanti. 324 an videatur per ſpeciem intentionalem, an ſine ſpecie. 325.
Lux omnis cæli & aſtrorum non deſumitur à Sole, ſed & cœli & aſtra omnia, Luna etiam, aliquo lumine ſplẽdent. 189. 190.
Lux omnium aſtrorum & cœlorum eſt eiuſdem ſpeciei. ibid. & ſeq.
Lux eſt cauſa caloris. 215.

M

MAnnæ origo. 258. vtrùm manna quod Hebræis in deſerto datum eſt fuerit eiuſdem rationis & naturæ cum manna communi. ibid. & ſeq.
Mare, & eius diuiſio. 212. eius motus varij. ibid. & ſeq. vnde eius ſalſedo 214. 215.
Mare non eſt meteorum, ſed elementum. 257.
Materia prima quid, & an exiſtat. 12. 13. dupliciter definiri poteſt. 14. eius definitionis explicatio. ibid.
Materiæ variæ affectiones. 23. 24. & ſeq.
Materiæ ſublunares ſolo numero diſtinguuntur.
Materia, an ſit pura potentia metaphyſica. 20. 21. an ſit pura potentia phyſica. 22. 23.
Materiæ cæleſtis & ſublunaris differentia. 24. & ſeq.



Digitized by Google

ſine Materia nullus ſit motus phyſicus & naturalis ex conſenſu omniũ. 42.
Materiæ generalis potentia ſe extendit ad omnes formas 16. 17. vtſe habet ad omnes formas tum ſubſtãtiales, tum accidentales. 17.
Materia duplex, eius definitio, & varia acceptio. 12. & ſeq. habet diuerſa nomina. ibid.
Materia & forma non tantùm ſpectãtur ſecundum ſuam eſſentiam, & prout ſunt rei naturalis principia, ſed quatenus ſunt cauſæ motus & quietis. 38.
Materia capax per ſe formarum accidentalium. 17. 18. accidentia corporea illi ſoli inhærent. 19.
Materiæ potentia ad quas formas ſe extendit. 16. 17.
Mellis, & ſacchari origines. 258.
Meliſſi ratiocinatio refellitur. 8.
Membrana quid ſit. 365.
Membrana adipoſa, quid. 372.
Mèmoria intellectiua quid, & quomodo ab ipſo intellectu diſtinguitur. 358. 359.
Metallum quid, & eius natura. 261. quæ ſit eius cauſa efficiens. 262. quot ſint eiuſdem ſpecies ibid. quo in loco generentur. ibid. an ſint omnia ſolida & æquè facilè liqueſcant. ibid.
Meteora colorata quæ dicantur. 251.
Meteororum affectiones multæ. 244
Meteororum exiſtentia, & ad quot genera reuocantur. 243. cauſa efficiẽs meteororum multiplex eſt. ibid eorum eſſentia. ibid. & ſeq.
Metempſycoſis fieri non poteſt. 350.
Mixtionis & temperamenti eſſentia, eorúmque affectiones. 241. & ſeq.
Mixtionis nomen vnde petitur. 238. eius eſſentia in quo cõſiſtat ib. & ſeq.
Mixtum imperfectum dicitur, quod nõ habet formam ſubſtantialem eſſentialiter diſtinctam à forma elementorum. 142.
Monſtrum quid ſit. 95. eiuſdem variæ deſcriptiones proferuntur. ibid.
Monſtrorũ cauſæ vnde oriantur. 95. 96.
Mors quid ſit, quotuplex, & quænam ſint ipſius præſagia. 293.
an Motor primus detur qui ita cuncta moueat, vt à nullo moueatur. 148. quale debeat eſſe mobile, & an debeat eſſe indiuiſibile. ibid. & ſeq.
Motus quotuplex, & eius diuiſiones. 136. 137.
Motus naturalis ille eſt, qui ab externo principio proficiſcitur. 137.
Motus violentus is eſt qui ab extrinſeco impellente proficiſcitur. 138. & ſeq. vnde naſcatur illa velocitas vel tarditas in motu. 140.
Motus non eſt cauſa per ſe, & vniuoca caloris. 187.
Motus eſſentia, & eius definitio. 149. &. ſeq ſucceſſio eſt de eius eſſentia 151. ſiue continuitas. ibid. & ſeq
Motus non differt realiter à termino ad quem tendit. 158.
Motus ſaltem formaliter à mobili differt. ibid ab actione non differt realiter, ſed tantum formaliter. ibid. ſemper re diſtinguitur à cauſa mouente. ibid.
Motus tripliciter conſideratur. 153.
Motus reflexio quatuor modis contingere poteſt. 141. vtrum in his quatuor quies intercipiatur in puncto reflexionis. ibid. 12 quæ regulariter mouentur ſunt in triplici differentia. 142 quomodo incipiat & deſinat. ibid. & ſeq.
Motus quid, & eius varia acceptio. 133. datur in rerum natura. 135. eius diuiſiones aſſignantur. 136. 137.
Motus diſtinctio numerica, generica & ſpecifica vnde ſumatur. 154. 155.
Motus eſt ſaltem cauſa per accidens, &
Digitized by Google

613



æquiuocæ caloris. 187
in Motu omni dantur duo termini, *à quo*, & *ad quem*. 152.
Motus cauſa efficiens eſt mouens. 145. vtrum mouens debeat neceſſariò cum mobili coniungi vt motum efficit. 146. 147.
Motus localis in animalibus quomodo fiat quæ ſit eius diſtinctio inter virtutem motricem & appetitũ ſenſitiuum. ibid.
ea quæ mouentur ſunt in triplici differentia. 142.
Mundus quâ anni tempeſtate conditus ſit. 167. de eius motu quidam dubitant, an ſit adhuc futurus. 168. quæ ſit eius eſſentia. ibid. eius affectiones. ibid. & ſeq. vtrum eſſe potuerit ab æterno 163. & ſeq. ſex dierum ſpatio creatus eſt. 166.
Mundi nomen, & eiuſdem varia acceptio. 159. eius exiſtentia. ibid. an fuerit productus ab æterno. 159. 160. 161. & ſeq.
Muſculus quid, & eiuſdem variæ differentiæ. 368. eiuſdem partes. ibid.

N

NAturæ nomen multis modis ſumitur. 95. quæſit eius exiſtentia & eſſentia ibid. quomodo definiatur. 39. & ſeq.
Natura vtrùm dicatur eſſe principium cuiuſlibet motus & cuius 42. 43.
Naturæ & artis multiplex diſcrimen. 50, 51.
Naturæ & artis conuenientia multiplex. 46.
Neruus quid. 368. vnde oriantur nerui. ibid.
Nili ortus & incrementa. 216. 217.
Nix ex eadem materia, ex qua pluuia fit, ortum accipit 259. & ſeq. quæ ſunt illius præſagia. ibid.
Nominis ſubſtantiui & adiectiui diſcrimen. 58.
Nubes quid, quomodo generetur, quotuplex ſit, & quinam ſint illius colores. 257.
Nubecula ſeu caligo vapor eſt moderatè denſus, in infima aëris regione exiſtens. ibid.
Nutritionis definitio. 289. quomodo peragatur ibid. & ſeq. an viuenti ſit neceſſaria 291. an ſemper fiat. 292. duobus modis poteſt vſurpari. 291.
per Nutritionem & accretionem ſubſtantiæ & quantitatis partes acquiruntur, vt in locum deperditarum ſubrogentur. 298.

O

OBiectum Phyſicæ quale ſit. 4. 5.
Odor quid ſit, & quæ eius definitio. 332. quotuplex ſit. ibid. quodnam ſit eiuſdem ſubiectum & medium. ibid. ſæpè diffunditur ſimul cum ſubſtantia odorifera, vel cum ſubſtantia fumea è re odorifera exhalata, 333.
Oeſophagus quid ſit. 371.
Olfactus quid ſit, & in quo ſubiecto recipiatur. 331. quæ ſint eius eſſentia & affectiones. 332.
Oſſis materia quænam ſit. 364.
Oſſa an ſint animata. ibid
Oſſis & cartilaginis differentia. 365.

P

PAncreas corpus glanduloſum, & eius ſitus. 373.
Parrhaſii & in Zeuxis in arte pictoria commendatio. 46. 47.
Parelia, & eorum ortus, ſunt imagines ſolis in nube expreſſæ. 252.
Pars quid ſit, & eiuſdem diuiſio multiplex. 363. 364
Pars ſimilaris quid. ibid.
Pars diſſimilaris. ibid.
Partes genitales & eorũ numerus. 173.
Partes inanimatæ quæ ſint. 366.
Partis affectiones quæ. 364.
Paſſio quid 219. eius eſſentia. 221.

Digitized by Google

Phantaſia & æſtimatiua proponunt obiectum appetitui ſub ratione conuenientis vel diſconuenientis. 344.
Phantaſia, ſaltem imperfecta, quæ circa res præſentes fertur, omnibus animalibus conuenit. 338
Phyſicæ obiectum materiale eſt corpus naturale. 4.
Phyſica an ſit ſpeculatiua vel practica. 3.
Phyſica an ſit ſcientia, an verò aliquis alius habitus intellectus. 1. 2.
Phyſiologia quid ſit, de eius nomine & exiſtentia 1 quæ ſit eius eſſentia. ibid eius obiectum quale. 3. 4.
Pia mater quid. 370.
Pili an ſint animati. 370.
Pluuia quid, & quotuplex 257. quis ſit eius locus, & quæ præſagia. 258.
Potentia materiæ ad quas formas ſe extendit. 16.
Potentia quid ſit, & quotuplex. 15.
Potentia an ſit de eſſentia materiæ 15. 16. quid ſit potentia materiæ ibid.
Potentia materiæ generalis ſe extendit ad omnes formas. 16. 17.
Potentia ad corruptionem duplex 25.
Prædeterminationes phyſicæ nullæ planè ſunt admittendæ 84 & ſeq.
Præceptorum multitudo mentem obruit. 50.
Principia rerum naturalium tria ſunt interna. 9.
Principiorum eſſentia in quo conſiſtat. 10.
Principia duobus modis conſiderantur. 11. eorum contrarietas quę ſit. 12, quomodo accipienda. ibid.
Principia rerum naturalium, an ſint infinita. 7. an ſit tantùm vnum ib. & ſeq.
Principium quid. 78. quot modis accipitur, & vt à cauſa differt ibid. variæ de eo Philoſophorum ſententiæ. ibid. & ſeq.
ab eodem Principio proficiſci poſſunt multę actiones, non tantùm ex natura rei, ſe reipſa diſtinctæ. 82.
Principia an exiſtant & quot ſint. 8. & in ſeq.
Priuatio quid 25. duplex eſt ibid. quod eſt genus entis 27. de ea digreſſio moralis. ibid
Priuatio qua ratione vt principium dicitur. 10.
Priuationis nomen bifariam vſurpatur. 25.
Prius alio duobus potiſſimùm modis dicitur. 64.
Pulmones attrahendo aëri inſeruiunt & cuius ſint naturę. 371.
Pulmonum ſubſtantia quæ, & eorum vſus. ibid.

Q

Qualitates à ſubiecto naturaliter ſeparari non poſſunt 231 quomodo in eodem ſubiecto eſſe poſſunt 232.
Qualitates motrices in elementis quatuor dantur. 204. quomodo diſtinguantur inter ſe. ibid.
primæ Qualitatis alteratiuæ nomen, eiúſque exiſtentia. 198 199.
Qualitatis vnius remiſſio in elementis non fit per admixtionem contrariæ. 202.
Quantitatis deſcriptio, nomen & exiſtentia. 9 an omnis extenſio ſit de eſſentia quantitatis ibid. & ſeq verũ termini quantitatis illam componant. 100. & ſeq.
Quantitas nulla planè per rarefactionem acquiratur, nulláque per condenſationem deperditur. 300. 301.
Quantitatis affectiones variæ recenſentur. 106.
Quantitas coęua materię. 18.

R

R

REactio duplex 432. 226. non habet locum in rebus ſpiritalibus. ib.
Res naturales, ſiue viuentes, ſiue vitæ expertes, duobus modis conſiderari poſſunt. 301.
Res omnes viuentes & animatæ habēt internum magnitudinis & paruitatis terminum. 302.
Res nulla ſucceſſiua, vt motus & tempus, vel quæ ſucceſſiuè acquiritur, quatenus ſucceſſiuè acquiritur, æterna eſſe potuit. 165.
Res inanimatæ quæ ex viuentibus progignuntur, tam quoad generationē, quàm quoad conſeruationem, habent intrinſecum ſuæ magnitudinis terminum. 302.
Res nulla inanimata, ex viuentibus non orta, habet intrinſecum ſuæ magnitudinis terminum. 303.
Res aliqua poteſt aliam immediatè attingere duobus modis. 146.
Res quę incipere & deſinere poſſunt ſunt in duplici differentia. 142. 143.
Reſpiratio quid ſit, & an conueniat ſingulis animalibus. 294.
Reſolutionem in corruptione totius non fieri vſque ad materiam primā, quomodo intelligendum. 19.
Roris deffinitio, & quænam aſſignari debeat efficiens eius cauſa. 258.

S

SAnitas & moribus quid ſint. 293.
Sapientia omnibus nobilibus nobilior eſt. 81.
Scientia quæ eſt verè ac propriè dicenda. 2.
Semen quid, & an generatiua & formatiua virtus in ſemine inſideant. 306.
Seminis & lactis albedo vnde. 368.
Senſus obiectum quod ſit, eius diuiſio & quas conditiones exigat. 308. & ſeq.
Senſus communis in corde, tanquam in centro omnium externorum ſenſuum, repoſitus eſt, iuxta Ariſtotel. 338. exiſtit in medulla ex Galeno. ibid.
Senſus communis reperitur in omnibus animalibus. ibid.
Senſus nomine quid intelligitur 307. eius eſſentia. ibid.
Senſus internus an detur, & quot dentur. 336
Senſus externi nomen & exiſtentia. 318. eius eſſentia ibid. & ſeq. an ſint eiuſdem ſpeciei in ſingulis animalibus 319. vtrùm ſua obiecta ſine vllo medio percipere queant. ibid. quis ſit ordo inter eos 320. vtrùm percipiant ſuorum obiectorum priuationes, & ſuas ipſas actiones percipiant. ibid. & ſeq.
Senſus communis neque componit, neque diuidit, neque diſcurrit. 344.
Senſibilia communia vtrùm immitāt in ſenſus diſtinctas ſpecies à ſpeciebus propriorum ſenſibiliū 210. 311.
Senſibile vehemens vtrùm lædat ſenſum. 312. 313.
Senſatio quid, & quotuplex ibid quomodo fiat, & an per ſpecies intentionales. 314.
Senſus internus habet internum organum, & in cerebro reſidet. 335.
Senſus vtrum errare poſſit circa ſenſibile commune & proprium 311. & ſeq. vtrum circa plura ſimul verſari poſſit. 312.
Similitudo vel diſſimilitudo quę inter parētes intercedit vnde oriatur 306. in quo conſiſtat. ibid.
Sitis quid ſit. 295.
Somnus quid ſit 339. quæ ſit eius cauſa efficiens. ibid. & ſeq. an ſit in omnibus animalibus 340. vtrum fuiſſet ſtatu innocētiæ. ibid. quæ ſit cauſa expergefactionis, ſeu ceſſationis ab

eo ibid. & ſeq.

Somnus quare ſit matutinis horis iucundior 341. quæ ſit cauſa multarũ rerum quæ inter dormiendum accidunt. ibid.

Somnum quid, & quęnam ſit eius cauſa efficiens 342. quotuplex. ibid. an liceat ex eo aliqua præſagire 343. vtrum fiat cum libertate ibid. vtrum qui ſomniat ſe ſomniare verè ſomniet. 344.

Sonus quid ſit 328. eius ſubiectum. 329. eiuſdem medium. ibid.

Sonus duobus modis poteſt per medium diffundi. ibid.

Species intelligibiles an producatur, & quomodo 352. quid ſint. 353.

Speciei intentionalis nomen, & eius varia acceptio 314 an ſint neceſſariò admittendę ſpecies intentionales ſenſibiles. ibid. & ſeq. à quónam producantur. 315. in quo ſubiecto reciqiantur, & earum eſſentia ibid. & ſeq. ſunt indiuiſibiles in repræſétando, & diuiſibiles in eſſendo. ibid. vtrum ſuſcipiant magis & minus 317. an ſenſibus percipiantur. ibid.

Specię producta an perfectiorem Deus in infinitum concedere poſſit. 111.

Sphærę cœleſtis in ſuos circulos generatim diuiſio. 175.

Spiritus quid, & eorum differentiæ. 367.

Spiritus influxi tres. ibid

Stellæ, earum numerus & magnitudo 181. & ſeq. quæ fixæ, quæve erraticæ dicantur. ibid.

Subſtantiæ corporeæ ſunt per ſe de obiecto intellectus. 355.

Succeſſio eſt de eſſentia motus. 151.

T

TActus quid, eius nomen & eſſentia 334. omnium ſenſum eſt generaliſſimus. ibid. vnicus eſt Tactus per omnes animalis partes fuſus; 335. illius obiectum eſt *Tangibile*. ibid.

Temperamentum quid ſit ex Galeno & Auicenna. 242.

Temperamentum ad pondus triplex 239. eiuſdem ſubdiuiſio, ibid. vtrũ detur. 240.

Temperamentum ad pondus influxum ſecundùm qualitates alteratiuas dari poteſt. ibid. & ſeq.

Temperamentum quid. 41. & ſeq. quotuplex. 239.

Tempeſtatum, ſeu turbulentorum flatuum, eadem eſt materia ac ventorum 254. tres ſunt tempeſtates. ibid. & ſeq.

Tẽpus quid, & eius varia acceptio 125.

Tempus in quo conſiſtat. 130. quot modis ſumitur. ibid. & ſeq.

Temporis affectiones recenſentur. 132.

Tempus, vnum eſt vnitate ſpecificat. 132. an idem tempus redeat. ibid.

Temporis continui exiſtentia probatur 129.

Tendo quid. 365.

Terminis quid ſit. 152. eius [illegible] debent eſſe diuiſibiles. 153.

Terminus generationis, quis propriè dicatur. 32.

an Termini obiectio à *quo*, & acquiſitio termini *ad quem*, ſint vnus idèmque motus. 154

Terminus ad quem motus poteſt bifariam ſpectari. 155. 156.

Termini quatuor dantur quibus res definiuntur. 301.

Terræ motus origo. 255. quæ ſit, eorũ cauſa naturalis. ibid. duæ ſunt illius ſpecies ibid. illius cauſa efficiens multiplex. 256. quinam ſunt eius effectus, in ſeq. multa ſunt eiuſdem ſigna & præſagia. ibid.

Tremor quid ſit. 255.

Terra, & eius ſitus. 217. an reſpectu cœli inſtar puncti ſe habeat. ibid.

& in medio mundi maneat, immobilis. 218. an fuerit initio mundi cũ ſuis montibus producta ibid. vtrum vis generandi herbas ſit illi naturalis an verò aduentitia ibid. quæ ſit eius diuiſio, & num ab initio creationis & ante Adami peccatum roſas cum ſpinis, aut ſine ſpinis, germinauerit. ibid. & ſeq.
Thoracis partim breuis enumeratio.
Tranſmutatio duplex. 207.

V

VAcuum naturaliter nō dantur 122.
Vacui nomen & exiſtentia. 121.
Vacuũ dari poteſt diuina virtute. 123.
ei affectiones duæ ſunt præcipuæ. ibid.
illius motus qualis. ibid. & ſeq.
Vapor & exaltatio in quo differũt. 143.
Venæ quid. 368. vnde dicatur. ibid.
eiuſdem actiones quænam. ibid.
Vena porta & caua quę. ibid.
Ventriculus quid habet duo orificia.
Ventris inferioris deſcriptio, & ſe.
Ventus quid. 252. eorum natura valdè abſtruſa. ib. à quo excitātur. 253. vnde oriatur obliquus venti agitatus, & quare non fertur vel ſurſum vel deorſum ibid. quotuplex ſit in ſeq. collaterales venti ab aliis plures, ab aliis pauciores ſtatuuntur. ibid. quas qualitates induant: an ſint quædam ventorum præſagia, & quæ, & quare ſæpiùs eorum flatus ſol ſuo ortu augeat, aliquando verò ſuo occaſu cōprimat. 254.
Verbum duplex eſt 354. quid ſit ibid. quomodo diſtinguitur ab obiecto & à ſpecie intelligibili. ibid.
Via lactea quæ dicatur. 190.
Virgæ quomodo oriantur. 251.
Virtus motrix animæ rationalis facultas. 362. Durandi opinio refellitur ſuper hac re. ibid.
Viſio quomodo fiat. 326. & ſeq.
Viſus nomen, & eius varia acceptio. 321. eius exiſtentia ibid. eſſentia & affectiones. 322.
Viſus adæquatum obiectum quid ſit ibid. & ſeq.
Vita quid ſit. 293. vita humana multas potiſſimum habet affectiones ex doctoribus. ibid.
Viuens quomodo idem numero, toto nutritionis & accretionis tempore maneat. 207
in Viuentibus triplex admittitur calor. 297.
Vnitas triplex. 23.
Vnitas numerica mobilis exigitur ad vnitatem numericam motus. 154.
Vnitas ſpecifica & generica motus à quo petitur. 155.
Vniuerſalia natura ſua ſunt notiora ſingularibus. 357. ſingularia quomodo nobis notiora ſunt vniuerſalibus. ib. & ſeq.
Vniuerſalia & ſingularia ſunt de obiecto intellectus. 356.
Voluntas an præſtet intellectui, vel è contra, 360.
Voluntas & intellectus quomodo inter ſe differunt. ibid.
Voluptas & dolor tribus modis vſurpari poſſunt. 335.
Votago ſpeciatim quomodo oriatur. 251. parum differt ab hiatu. ibid.
Vox quid ſit, & quomodo formatur. 330. ſex potiſſimùm inſtrumenta concurrunt ad eius formationē. ib.
ad Vocem modulandam quæ inſtrumenta requiruntur. ibid.
Vreteres & eorum vſus.

Z

ZEuxis & Parrhaſii in arte pictoria induſtria. 46. 47.
Zodiaci circuli deſcriptio. 176. & ſeq.
Zodiaci ſigna duodecim. ibid.
Zonę quæ à graphis parallelæ dicuntur quinque ſunt. 181.

FINIS.



Digitized by Google

tia accuratè explicanda ſit.

*Prima propoſitio.*

Metaphyſica eſt verè & propriè ſcientia.

Probatur hæc communi ratione: Illa vera eſt ac propria ſcientia, in qua ſunt veræ & propriæ demonſtrationes, atqui dantur in Metaphyſica veræ ac propriæ demonſtrationes, ergo, &c. Maior conſtat ex libris de Demonſtratione. Minor verò probatur, hæc eſt vera demonſtratio, *omne ens vnum, verum, bonum; ſed ſubſtantia eſt ens: ergo ſubſtantia eſt vna, vera, bona.* Nam in hac demonſtratione de ſubiecto, nempe ſubſtantia, demonſtrantur proprietates, vnitas, veritas & bonitas per cauſam, ſcilicet per ens, ergo dantur veræ demonſtrationes in metaphyſica.

*Secunda propoſitio.*

Metaphyſica non eſt tantùm ſcientia, ſed etiam ſapientia.

Probatur: ad ſapientiam hæ deſiderantur conditiones; prima, vt quantũ fieri poteſt circa omnia verſetur: Secũda, vt in rebus abſtruſioribus & ſenſu remotioribus, quantum fert naturæ conditio, occupetur: ſi quidem ea cognoſcere, quæ omnibus præuia ſunt, ipſiſque ſenſibus patent, nullo peculiari iure ad ſapientes, ſed ad quoſcunque homines, etiam vulgares, pertinet. Tertia, vt ſit euidens cognitio, quoniã ſapientia eminens quędam ſcientia eſſe debet, quæ tamẽ nulla eſt, ſi certitudinẽ & euidentiam ſuſtuleris. Quarta, vt digna ſit quæ ratione ſui expetatur, ita vt habeat certiſſima principia communiſſimáque, quibus aliarum ſcientiarũ fundamenta ſtabilire & corroborare queat: atqui omnes conditiones propriè conueniunt metaphyſicæ. Imprimis enim aliqua ratione verſatur circa omnia, quatenus entis naturam, quæ ſingulis rebus communis eſt, contemplatur. Secundò res à ſenſu remotiſſimas, Deum nempe & Angelos, communiſſimúmque entis gradum conſiderat. Tertiò certitudine & euidentia cæteras diſciplinas ſuperat, illarúmque præſidium eſt, vt progreſſus declarabit. Quartò ſui gratia expetitur, vt ſtatim dicemus. Denique innititur certiſſimis & vniuerſaliſſimis principiis, vt quod res quæuis ſit, vel non ſit: de nullo vera ſit affirmatio & negatio ſimul, quorum certitudinem & euidentiam nullus niſi proteruus ſophiſta negare audeat, ergo metaphyſica verè ſapientia eſt.

Obiicies, vnus idémque habitus ſciẽtia & ſapientia ſimul eſſe nequit, cùm ſcientia & ſapientia ab Ariſtotele conſtituantur diſtincti habitus: ergo duæ propoſitiones allatæ videntur ſibi repugnare?

Reſpondeo ad antecedens, ſcientiã, vt etiam notaui in moralibus, bifariam ſumi poſſe: primò ſpeciatim pro illa peculiari ſcientia, quæ verſatur circa aliquod determinatum obiectum, per certa principia: quo ſenſu ſcientia ponitur à ſapientia diſtincta, nec priori noſtrâ propoſitione voluimus metaphyſicam eſſe ſcientiam eo modo ſumptam; ſecundò accipitur communiter pro qualibet cognitione certa & neceſſaria rei per cauſam, ſiue altiſſimam & viuerſaliſſimam, ſiue non, quo pacto ſcientia non eſt habitus à ſapientia diſtinctus, defendimúſque metaphyſicam ſimul ſcientiam & ſapientiam eſſe.

## PRÆLVDIVM QVARTVM.

*De affectionibus Metaphyſicæ.*

### SECTIO PRIMA.

*An Metaphyſica ſit ſpeculatiua vel practica.*

Reſpondeo eſſe ſpeculatiuam, probóque, receptiſſima illa diuiſione ſcientiarum ſpeculatiuarũ in phyſicam,



Digitized by Google

metaphyſ, & metaphyſicas diſciplinas.

Probatur ſecundò ratione. Illa eſt ſcientia ſpeculatiua, quę in ſola veritatis meditatione conquieſcit: ſed metaphyſica eſt omnino eiuſmodi, tùm quia nullas operis efficiendi regulas tradit, tùm quia teſte Ariſtotele & eius interpretibus, inuenta eſt nullis deficientibus ad vitam neceſſariis, proindéque ſolius inueſtigandæ veritatis ſtudio: ergo metaphyſica verè ſpeculatiua eſt.

## SECTIO SECVNDA.

### *De obiecto Metaphyſicæ.*

INfinitum eſſet ſententias de obiecto metaphyſicæ recenſere, veritatem ipſam palam oculis ſubiiciemus, his propoſitionibus.

*Prima propoſitio.*

SOlus Deus non eſt adęquatum metaphyſicæ obiectum, eſt tamen principale.

Prior pars probatur, quia in metaphyſica præter Deũ multa alia pertractantur: vt intelligentiæ, & communes entium gradus.

Confirmatur Ariſtotelis authoritate, qui in primo libro metaphyſ. ſtatutum metaphyſicæ obiectum diuiſit in decem vulgata prædicamenta, proindéque illa ſub obiecto metaphyſicæ, & non ſolum Deum conſtituit.

Poſterior verò pars facilè etiam oſtenditur: Deus non poteſt eſſe de obiecto metaphyſicæ, niſi ſit principale obiectum inter partialia, vt ſatis notum eſt: atqui Deus eſt de obiecto metaphyſicæ, de illo enim ex inſtituto diſſerit, vt progreſſus declarabit, indéque Theologia naturalis appellatur, ergo Deus eſt principale obiectum metaphyſicę.

Obiicies, illud tantum eſt de obiecto metaphyſicæ, quod reponitur in vulgatis Categoriis, nam Ariſtoteles metaphyſicæ obiectum in decem vulgata prædicamenta diuiſit, ſed Deus non conſtituitur in Categoriis, ex dictis in Logica, ergo, &c.

Diſtinguo maiorem: ea ſunt tantùm de obiecto metaphyſicæ quæ conſtituuntur in vulgatis Categoriis directè vel reductiuè, concedo; directè tantũ, nego. Ad minorem dicendum eſt, Deũ in Categoriis conſtitui ſaltem reductiuè tanquam principium & finem omnium entium, quę continentur in Categoriis, ſicque concluſio neganda eſt.

*Secunda propoſitio.*

ANgeli pertinent ad obiectum metaphyſicæ, illi tamen cum Deo nõ faciunt adæquatum.

Prior pars eſt euidens, Angeli participant abſtractionem metaphyſicæ propriam, nempe à materia ſecundum rem & rationem, ſúntque entia per ſe ſcibilia, ergo debent conſiderari à metaphyſica, ſicque ad illius rationem pertinere.

Poſterior verò pars demonſtratur, ſiquidem communes gradus ſubſtantiæ & accidentis habent pariter metaphyſicæ abſtractionem, ideóque non ſunt excludendi à metaphyſicę obiecto, ſed potius, cum Deo, & Angelis coniungẽdi ſunt ad conſtituendum totale metaphyſicæ obiectum.

Obiicies, ſecundum Ariſtotelem 4. metaphy. cap. 4. Tot ſunt philoſophiæ partes, quot ſubſtantiæ: at duplex tantum eſt ſubſtantia, materialis vna, immaterialis altera: ergo duplex erit philoſophiæ pars, dupléxque ſcientia: altera quæ erit de ſubſtantia materiali, nempe phyſica; altera quæ de immateriali, Deo & Angelis diſſeret, nempe metaphyſica, quod loco citato concludit Ariſtoteles, aiens eam eſſe primam philoſophiam ſeu metaphyſicam, quæ de prima

Digitized by Google

ſubſtantia, puta immaterialis, agit,

Reſpondeo concedendo totum argumentum, fatemur enim metaphyſicam agere de ſubſtantiis immaterialibus, vt phyſicam de materialibus, negamus tamen de illis ſolis agere, quę duo longè diuerſa ſunt, vel dicas phyſicam in eo à metaphyſica diſtingui, quòd phyſica agat de ſubſtantia materiali ſecundum propriam rationem, metaphiſica vero non item, ſed duntaxat ſecundum communem, vt infrà dicemus.

Secundò; quòd accidens non conſideretur à metaphyſica contra poſteriorem propoſitionis partem.

Obiicies, Ariſtotelem 7. metaphyſic. textu 5. facta diuiſione obiecti metaphyſicæ in ſubſtantiam & accidens hæc verba ſubiũgere. *Quapropter maximè, & primum, & ſolum, vt ita dicam, de illo ente, ſeu ſubſtantia, quidnam ſit ſpeculandum eſt*: Ergo inferes, accidens non eſt metaphyſicę conſiderationis.

Neganda eſt conſequentia, & dicendum Ariſtotelem loco in obiectione citato non excludere accidens à conſideratione, & obiecto metaphyſicæ, ſed ei ſubſtantiam præferre, vt declarant verba illa, *vt ita dicam*, quæ oſtendunt id tantum dici per exaggerationem, non quod ſpeculandum ſit de ſubſtantia tantum, & non de accidente, ſed quia ſubſtantia maximè obiicitur ipſi metaphyſicæ, magiſque propriè ad illam pertinet.

*Tertia propoſitio.*

Entia rationis non ſunt de obiecto metaphyſicæ, ſeu (quod in idem redit) ens generaliſſime ſumptum, quatenus abſtrahit ab ente rei & rationis, non eſt conſtituendum metaphyſicæ obiectum.

Probatur, obiectum ſcientiæ debet habere aliquam rationem vnam & communem, cùm ab eius vnitate ſcientiæ vnitas deſumatur: ſed nulla poteſt aſſignari ratio vna communis enti rei & rationis, cùm imperfecta quadam analogia (vt dicetur infra) inter ſe conueniat, ergo ens ab ente rei & rationis abſtractum non poteſt ſtatui pro obiecto metaphyſicæ.

Obiicies, ſcientia quæ aliqua inter ſe diſtinguit eadem contemplari debet tanquam obiecta: ſed metaphyſica diſtinguit entia realia ab entibus rationis ergo & entia rationis & entia realia, tanquam obiecta conſiderat.

Reſpondeo ad maiorem, aliquid poſſe conſiderari in ſcientia dupliciter primò per ſe & directè, quando eius cognitio per ſe in ipſa ſcientia experitur: ſecundò propter aliud & indirectè quando eius tantum deſideratur notitia ad aliud cognoſcendum priori quidem modo non tractari entia rationis in metaphyſica, ſed tantum poſteriori vt ſcilicet illis explicatis magis innoteſcant entia realia, hócque ſufficerę vt metaphyſica dicatur ipſa entia rationis ab entibus realibus ſecernere.

*Quarta propoſitio.*

Entia per acccidens, vt ſic, non habent locum directè in obiecto metaphyſicæ.

Probatur, quod per ſe in aliqua ſciẽtia, tanquam obiectum, ſiue totale ſiue partiale conſideratur, habere debet rationem aliquam vnam propter quam vnâ definitione definiri poſſit: debet item participare proprietates ipſius ſcientiæ: ſed ens per accidens vt ſic, neutrum habet, non prius, quia eſt aggregatum aliquod ex multis naturis

iiſque diuerſis, quarum vna tantum definitio eſſe nequit: non item poſterius, quia cùm vnitas ſit proprietas entis quod ſtatuitur obiectum metaphyſicæ illáque ſit valdè impropria in ente per accidens vt tale eſt, quoniam ſic potius eſt multa, quàm vnum non bene ens per accidens, vt ſic videtur participare proprietates entis quod eſt obiectum metaphyſicæ: ergo nullo iure ſub tali metaphyſicæ obiecto collocari poterit.

Dixi ens per accidens vt ſic, quia ſi conſideretur quatenus vnitatem ſortitur, non habita ratione ſpeciali diuerſarum partium, quibus componitur, tunc poterit ſtatui metaphyſic. aut alterius ſcientiæ obiectum, ſic reſpublic. conſtituitur obiectum politicæ, œconomicæ familia, & ſic de cæteris.

*Poſtrema propoſitio.*

ENs abſtractum à Deó & creaturis ſtatuendum eſt adæquatum metaphyſicæ obiectum Hec propoſitio eſt Ariſtotelis, 4 metaphyſ. ſtatim initio, Alberti Magni, D. Thomæ, Scoti, Alenſis, & aliorum, éſtque velut corollariũ ex præcedentibus: cùm enim in illis probatum ſit Deum, intelligentias, ſubſtantiam, & accidentia, per ſe tractari in hac ſcientia, nihílque præterea reiectis entibus rationis, & per accidens ſolum hîc manet ſtatuendum ens illud ſic abſtractum à Deo, & creaturis, eſſe legitimum, & adæquatum metaphyſicæ obiectum.

Obiicies primò, ſi ens abſtractum à Deo & creaturis ſtatueretur metaphyſicæ obiectum, daretur aliquid ipſo Deo prius, nempe ens eiuſmodi abſtractum, quia ſub eo cõtineretur Deus, tanquam ſub obiecto totali; atqui Deo vt potè æterno, nihil poteſt eſſe prius, vt quiſque fateri debet, ergo, &c.

Reſpondeo diſtinctione minoris, nihil poteſt eſſe prius Deo prioritate exiſtendi: ita vt prius eo in rerum natura intelligatur exiſtere, concedo: prioritate prædicandi, nego, quia nihil eſt abſurdi, vt aliquid per intellectus operam à Deo abſtractum, puta ens, prius de ipſo Deo prædicetur, quàm Deus de quocumque alio enuntiari queat.

Obiicies ſecundò, metaphyſicæ, quę eſt omnium ſcientiarum naturalium nobiliſſima, nobiliſſimum debetur obiectum inter ſcientias naturales: ſed ens ſub illa generalitate non eſt nobiliſſimum, imò in perſectione minimũ: ergo; &c. Minor probatur: quod eſt maximè potentiale illud eſt in perfectione minimum, quia ſic maximè capax eſt perfectionum quibus perficiatur, nec eas in ſe complectitur: ſed ens ſub illa ſumma generalitate eſt maximè potentiale quia maximè ſeſe diffundere poteſt, vt ex ſe intelligitur, ergo, &c.

Reſpondeo ad maiorem, ad nobilitatem metaphyſicę ſufficere quòd ſub obiecto ſuo adæquato continuatur aliquod nobiliſſimum obiectum præ cæteris obiectis aliarum ſcientiarum naturalium, quo pacto ſub ente à Deo, & creaturis abſtracto, continetur Deus cæteris rebus infinitè nobilior.

His omnibus expoſitis manet obiectum metaphyſicę à nobis aſſignatum eſſe legitimum, nempe ens reale per ſe; vt ens eſt, ens quidem tanquam materiale, formale verò vt ens eſt, ſeu quatenus abſtrahit à materia, re, vel ratione. Quid ſit autem abſtrahere à materia, re, vel ratione ſtatim dicendum eſt.

## SECTIO TERTIA.

*Vtrum Metaphyſica deſcendat vſque ad ſpeciales quáſque entium rationes, & ad quas,*

Digitized by Google

*ad quas.*

QVod ſpectat ad priorem huius ſectionis partem communis ſententia eſt metaphyſicam non deſcendere ad ſpeciales ſingulorum entium rationes. Docet Ariſtoteles ſtatim in principio libri quarti metaphyſicorum, in hoc diſtinguens metaphyſicam à cæteris ſcientiis, quòd metaphyſica ſpeculetur ens, in quantum ens, & quæ ei per ſe inſunt, nullæ autem cæterarum vniuerſaliter de ente, prout ens eſt, tractent, ſed aliquam eius partem abſcindentes, quod ei accidit, ſeu proprietates ſpeculentur.

Adde quod omnes ſcientiæ cum vna metaphyſica confunderentur, ſi ipſa metaphyſica ſpeciales quáſque entium rationes ſpecularetur, quod eſt plane paradoxum.

Obiicies hæc Ariſtotelis verba quæ habentur loco citato. *Sicut vnus eſt ſenſus vnius obiecti, & eorum quæ ſub ipſo continentur; ita vna erit ſcientia, quæ ſpeculatur ens, in quantum ens, & ſpecies eius, & ſpecierum ſpecies.* Ergo inquies, Metaphyſica deſcendit ad proprias ſingulorum entium rationes.

Neganda eſt conſequentia, docet enim tantùm Ariſtoteles loco in antecedenti citato, vnam eſſe in genere ſcientiam, quæ omnes entium rationes conſiderat, non tamen vnam ſpecialem, nempe Metaphyſicam: nec comparatio Ariſtotelis in eo eſt, quod quéadmodum vnus ſpecie viſus omne viſibile percipit, ſic vna ſpecie ſcientia, nempe metaphyſica, omne ſcibile ſecundùm peculiarem rationem conſiderat, ſed in eo eſt, quod quemadmodum omne viſibile poteſt attingi à viſu, ita omne ſcibile à ſcientia, ſiue interim ſcientia diuidatur in varias ſpecies, ſiue non, ſicut viſus non diuiditur in viſus ſpecie diſtinctos.

Rurſus obiicies, idem intellectus verſatur circa omnia entia intelligibilia, ergo & eadem metaphyſica circa omnia ſcibilia.

Neganda eſt conſequentia, toleranda enim hæc eſſet: ſicut intellectus omnia percipit intelligibilia, ita ſcientia in communi omnia ſcibilia non tamen metaphyſica. Nec par eſt ratio de intellectu, & metaphyſica, nam intellectus eſt facultas ſuprema ad omnia reſpiciens, ad omnia nata: metaphyſica verò eſt ſpecialis habitus ipſi intellectui adiunctus; vt in ſuis quibuſdam operationibus iuuetur, non tamen in omnibus, alioquin nulla alia ſcientia, nullóque alio habitu indigeret, quod nemo vnquam ſibi perſuaſerit.

Quod ſpectat ad poſteriorem partem ad quas ſcilicet ſpeciales entium rationes metaphyſica deſcendat.

Reſpondeo ad eas tantùm deſcendere, quæ cadunt ſub eius abſtractionem.

Ea autem entia dicuntur cadere ſub abſtrationem metaphyſicæ, quę vel re abſtrahunt à materia, id eſt, nunquam reperiuntur cũ materia coniuncta, vt Deus, & Angeli: vel ratione tantùm; vt communes gradus ſubſtantiæ, & accidentis, qui rebus materialibus, & immaterialibus ſunt communes.

Hinc ſequitur primò Deum, & intelligentias ſecundùm peculiares ſuas rationes conſiderari in metaphyſica, vt potè quibus nulla planè materialitas ineſt.

Sequitur ſecundò communem rationem ſubſtãtiæ, itémque accidentis, iam abſoluti, quàm relatiui, nec non gradus cauſæ in genere cauſalitatis, effectibilitatis, imò ſpeciatim cauſæ efficiẽtis, & finalis, peculiariter etiam in hac ſcientia explicari, propterea quod om-

nes iſti communes gradus non tantùm rebus materialibus ſed etiam ſpiritalibus, Deo ſcilicet vel Angelis conueniunt, vt intuenti patebit

Naſcitur difficultas de anima rationali à corpore ſeparata, an in tali ſtatu pertineat ad metaphyſicam, eiúſque abſtrationem participet.

Reſpondeo negatiuè, dicóque ad phyſicam ſpectare de ipſa anima rationali, ſiue cum corpore coniuncta, ſiue à corpore ſeparata.

Probatur, anima rationalis, etiam à corpore ſeparata, retinet ſemper ordinem ad corpus, vt diximus initio librorum de anima, ergo ſic nec abſtrahit re, nec ratione à materia: Non re, quia non eſt ſimpliciter immaterialis nec etiam ratione, quia non eſt communis rebus materialibus, & immaterialibus; ergo non pertinet ad Metaphyſicam, ſed potius ad Phyſicam, cuius eſt de toto corpore naturali, etiam animato, verba facere, proindéque & de illius partibus eſſentialibus, cuiuſmodi eſt anima rationalis reſpectu corporis humani.

## SECTIO QVARTA
*De vnitate Metaphyſica.*

NOn eſt hîc quęſtio de vnitate numerica, cùm enim metaphyſica, ſicut & alia quæuis ſcientia ſit accidens accidentia autem numero diſtinguũtur quæ ſunt in diſtinctis numero ſubiectis haud dubiè vnitas numerica ipſius metaphyſicæ erit ſumenda penes vnitatem ſubiecti ſui, puta intellectus, ſicut diſtinctio numerica penes diſtinctionem intellectuum.

At tota controuerſia eſt de ſpecifica & generica, quænam metaphyſicæ cõueniat, ſeu an metaphyſica ſit vna ſciẽtia à genere, vel ſpecie.

Reſpondeo ex communiori, & veriori ſententia eſſe vnam ſpecie: ita Ariſtoteles, multis in locis, potiſſimũ cap. 6. 4. metaphyſ. vbi ſemper de metaphyſica, tanquam de vna ſpecie ſciẽtia loquitur.

Fauet ratio, metaphyſica habet vnam ſpecialem rationem obiectum ſuum conſiderandi, nempe quatenus abſtrahit à materia, vel re, vel ratione, ergo conſentaneum eſt, vt ſecundum vnicã illam rationem formalem, & abſtractionem, metaphyſica vna ſpecie conſtituatur.

## SECTIO QVINTA
*Vtrum Metaphyſica debeat cuilibet ſcientiæ ſuum obiectum præſcribere, & vbi opus fuerit defendere.*

PRopoſitio eſt affirmatiua, probatúrque ratione. Conſtat ex doctrina Ariſtotelis primo libro poſteriorum ſcientiam non probare, ſed ſupponere ſua obiecta: ergo cum aliquandò obſcura ſint, & explicatione indigeant, illa explicatio erit ab aliqua alia ſcientia deſumenda, à nulla autem alia quã à metaphyſica, vt poteſtate ſuprema & vniuerſaliſſima, ergo metaphyſicæ eſt defendere aliarũm ſcientiarum obiecta. Quo verò modo præſcribat, patebit ex ſolutionibus obiectionum.

Obiicies igitur primò, ſi Metaphyſica aliis ſcientiis ad obiecta pręſcribenda inſeruiret, aliquã aliã ſcientiã opus eſſet, quæ erga ipſam metaphyſicam tale præſtaret officium, hoc verò dici nequit, ergo &c.

Neganda eſt conſecutio maioris, nam cùm metaphyſica in ordine formarum naturalium ſit omnium prima, in eo illas omnes ſuperat, quod ad obiectum ſuum demonſtrandum, nullã ſcientiã alia indigeat, ſed ipſum per

Digitized by Google

propria ſua principia, quæ ſunt generaliſſima, præſtet,

Obiicies ſecundò, ſi metaphyſica poſſet vniquique ſcientiæ obiectum præſcribere, poſtulante neceſſitate demonſtrare poſſet proprii ſui obiecti. & abſtractionis terminos prætergredi; quia ad Peculiares quaſdam rationes quorundam obiectorum à materia nullo pacto abſtrahentium deſcenderet, quod pugnat contra naturam ſcientię.

Neganda eſt conſecutio, nam quamuis metaphyſica proprias & peculiares omnium entium rationes in particulari non ſpectet, non deſinit tamen aliis ſcientiis ad obiecta præſcribenda inſeruire: primò, quia generales diuiſiones entis, quas tradit, ad id non parùm cōferunt. Secundò, quia terminos vniuerſales, vniuerſaliáq; tradit principia, quibus illæ ſcientiæ obiecta ſua ab aliis ſecernunt.

Denique quia ſaltem per accidens ad materialia ipſa, quatenus ſunt mēbra ipſis immaterialibus oppoſita, deſcendit, & retinendo quod ſuum eſt, aliis ſcientiis ſua propria obiecta præſcribere cenſeatur.

Poſtremò obiicies, ſi metaphyſica ad obiecta cæterarum ſcientiarum explicanda eſſet neceſſaria, nulla ante illam comparari poſſet, atque adeo ante omnes alias eſſet explicanda, quod refragatur receptæ philoſophorum conſuetudini, ipſíque Ariſtoteli, qui eam vocat metaphyſicam, ſeu poſtnaturalem.

Iterum neganda eſt conſecutio ſciētiæ enim aliæ poſſunt ſupponere ſua principia, & obiecta, illáque relinquere metaphyſicæ probanda, poſtquā ipſa fuirit ſuo loco, & ordine, ſcilicet poſt rerum naturalium diſciplinam, explicata.

Quærunt hic nonnulli, an & quomodo metaphyſica prima principia confirmet ac defendat: ſed alibi cōmodiùs, vbi agemus de principiis entis.

Cæterum non eſt omittenda hęc quæſtio, vtrum ad metaphyſicam pertineat ſciendi inſtrumenta tradere, definitionem, diuiſionem, & argumentū, an verò tantum ad Logicam?

Reſpondeo ad Logicam tantùm pertinere, quæ ideò metaphyſicæ præponitur ordine inuentionis, vt & metaphyſicę, & reliquis ſcientiis ipſa ſuppeditet ſciendi inſtrumenta.

Rogabis an ſit tantùm Dialecticę definitiones, diuiſiones, & argumentationes contexere, an etiam illarum rationem, & naturam explicare.

Reſpondeo, affirmatiuè, quî enim fieri poſſet, vt ipſa Dialectica varias regulas de illis conficiendis inſtrumentis præſcriberet, niſi eorum rationem & naturam intelligeret? Negandum tamen non eſt Dialecticam ipſam in ſuis officiis multùm à Metaphyſica perfici, quatenus ab illa habet, vt teneat quid ſit eſſentię ratio, ſine qua definitionis eſſentialis naturam non cognoſceret, vtpote quæ vulgo dicitur eſſentiæ ratio. Hoc tamen præpedire nequit quominus eiuſdem ſit Dialecticæ & tradere inſtrumenta ſciendi, & illorum naturam explicare.

Hactenus in præludiis Metaphyſicæ nunc ad rem ipſam feriò regrediamur, & pro obſeruato ſemper more quatuor de ente. Metaphyſicæ obiecto explicemus, nomen, variámq; nominis acceptionem, exiſtentiam, eſſentiam & proprietates, nonnulla de partibus entis per modum appendicis tradituri.

## TRACTATVS PRIMVS.
### METAPHYSICÆ.



Digitized by Google

*De Nomine & varia acceptione Entis.*

QVoniam entis, vt ens eſt, explicationem aggredimuri ne vocabuli ambiguitate laboremus, hîc videndũ quid entis nomine ſignificetur.

Dicimus itaque contra Auicennam, ens dupliciter poſſe vſurpari : primò, vt eſt participium verbi ſubſtantiui *ſum*: quo ſenſu dicit actualem rei exiſtentiam, & connotat tempus: verbi g. in hac propoſitione *Petrus vt*; ſenſus eſt, Petrus exiſtit. Secundo modo ſumitur ens & ipſum eſſe *nominaliter*, ſiue quatenus eſt aliquod nomen ſubſtantiuum, ſignificans eſſentiam & naturã realem, quæ potuit exiſtere, extitit, exiſtit, poteritve exiſtere: & hoc ſenſu maximè debet vſurpari, quatenus Metaphyſicæ ſtatuitur obiectum, non priori quo ſignificat actualem exiſtentiam, à qua cuiuſlibet ſcientię obiectũ debet abſtrahere.

## TRACTATVS SECVNDVS.

*De exiſtentia entis & iis quæ ad ipſam pertinet.*

SVppoſita entis exiſtentiâ, quam nullus negabit, duo ſuperſunt, quæ ad ipſam pertinet, primum de diuiſionibus ipſius, ſecundum de principiis.

## DISPVTATIO PRIMA.

*De diuiſionibus entis.*

### SECTIO PRIMA.

*De illis in communi.*

ENs vniuerſaliſſimè ſumptum dicitur primò in ens reale, & ens rationis, ſed de hac diuiſione infrà.

Secundo diuiditur ens reale in ens actu & ens potentia.

Ens actu, ſi de creato agatur, eſt illud quod extra ſuas cauſas conſtitutũ eſt, vt hæc cathedra: ens verò poteſtate appellatur, quod nullam habet exiſtentiam, manet tamen in poteſtate cauſarum vt actu producatur, vt antichriſtus.

Tertiò, diuiditur ens reale in ens perſe, & per accidens, de quibus infrà.

Quartò diuiditur ens reale in ens finitum, quale eſt omnis creatura, & ens infinitum quale eſt ſolus Deus; reliquæ diuiſiones & ſubdiuiſiones partim habentur in Logica, partim habebuntur infrà.

### SECTIO SECVNDA.

*De diuiſionibus entis ſpeciatim.*

### QVÆSTIO PRIMA.

*De diuiſione entis in ens reale & ens rationis.*

QVæſtio eſt, qualis ſit iſta diuiſio; an ſynonyma, an analoga, an æquiuoca? Sit

*Prima propoſitio.*

HÆc diuiſio non eſt ſynonyma, ſeu ens reale, & ens rationis ſynonymè non conueniunt.

Probatur, nullus poteſt aſſignari conceptus verè vnus reſpectu entis realis, & rationis, cùm eſſe à quo ens reale dictum eſt, non niſi valdè impropriè, & cum addito entibus rationis conueniat, vtpotè quæ nullum aliud eſſe habent quàm obiectiuum in mente, & denominatiuum, vel priuatiuum in rebus, ergo non conueniunt ſynonymè.

*Secunda propoſitio.*

ENs rationis cum entibus realibus propriè analogicè non conuenit.

Probatur, quia nonniſi imperfectè ens rationis cum ente reali conuenit, & quemadmodum homo pictus non niſi valdè impropriâ analogiâ homo dicitur, & cum vero homine conuenit, ita etiam ens rationalis cùm ideò tantum ens dicatur, quod ita ab intelle-

Digitized by Google

ctu concipiatur, non niſi impropriâ analogiâ cum ente reali conueniet.

*Tertia propoſitio.*

ENs rationis non purè æquiuocè cum ente reali conuenit.

Probatur, ens rationis aliquâ proportione reſpondet enti reali: ſicut enim ens reale habet per ſuum eſſe, vt dicatur in rerum natura exiſtere, & à nihilo diſtinguatur: ita ens rationis habet vt dicatur eſſe in mente, vel in rebus denominatiuè, aut priuatiuè, quod pariter eſſe eſt diſtinctum à nihilo, ergo non ſolo nomine ens reale, & ens rationis conueniunt, proindéque non purè æquiuocè.

*Quarta propoſitio.*

ENs rationis ſaltem imperfectâ analogiâ cũ ente reali conuenit. Hæc propoſitio ſequitur euidenter ex præcedentibus, vlteriúſque.

Probatur ex Ariſtotel. 4. Metaph. in limine, vbi analogiam entis declarat in ordine ad negationes, & priuationes, quæ ſub ente rationis continentur, omnes agnoſcunt.

Confirmatur, illa ſaltem analogicè conuenire debent imperfecta analogia, quorum eædem ſunt proprietates & affectiones, ſed entis realis & rationis eædem ſunt proprietates, puta eſſe intelligibile, imaginabile, volibile, & ſic de cæteris, ergo ſaltem imperfectâ analogiâ conueniunt.

## QVÆSTIO SECVNDA
*De diuiſione entis in ens per ſe, & ens per accidens.*

MVlta paſſim de ente per ſe, & ente per accidens dicta ſunt, quia tamen nullibi ex profeſſo de illis actum fuit, eorum explicationem hoc loco prætermittere non poſſumus.

Quod attinet ad ens per ſe, illud hic non eſt accipiendum, prout opponitur cuilibet enti compoſito; ſed tantum quatenus opponitur enti compoſito ex diuerſis naturis; ſiquidem ens non deſinit eſſe per ſe, etſi compoſitionem partium admittat: modo illæ ita ſeſe habeant vt vna rationem potentiæ, altera rationem actus ſibi vendicet, ſicut eſt compoſitum naturale, quod ex materia, tanquam ex potentia, & ex forma tanquam ex actu coaleſcit, vocatúrque compoſitum per ſe vnum.

Vnde intelligis duplex eſſe ens per ſe, vnum ſimplex, alterum compoſitum: ſimplex aut ſimpliciter quod nullam habet compoſitionem, neque Phyſicam, ex materia & forma; neque Metaphyſicam, ex actu, & potentia, genere & differentia, vt ſolus Deus, aut ſecundum quid, vt Angelus, qui caret compoſitione Phyſica, ex materia & forma, habet tamen compoſitionem Metaphyſicam ex actu & potentia, differentia & genere, vt cap de ſubſtantia in Logica dictum eſt.

Compoſitum per ſe iam aſſignatum eſt illud, nempè quod ex materia & forma, tanquam ex potentia & actu componitur.

Porrò alia eſt compoſitio, quæ non tollit rationem vnitatis per ſe, dicitúrque compoſitio ex partibus integrantibus, qualis reperitur in quantitate, quæ pluribus, imò infinitis partibus proportionalibus conſtat, ex ſupra dictis: hæc quoque compoſitio locum habet in ſubſtantiis materialibus, primò in homogeneis, vt in igne, aqua, & terra, ratione extenſionis quantitatiuæ: nam licet ingantem ignis magnitudinem accipias, ſi modo nulla interſit diſcontinuitas & diſcretio, ille ignis dicetur vnus per ſe, alioquin nulla homogenea ſubſtantia eſſet per ſe, vna

Digitized by Google

quia nulla eſt, quæ ex infinitis partibus proportionalibus non ſit conflata, quod tamen abſurdum eſt.

Magis dubitatur de heterogeneis, & ratio dubitandi eſt; quia partes illæ, quibus coaleſcunt, non ita videntur inter ſe connexæ & quibuſdam vinculis colligatæ, quod ſanè alienum eſt ab vnitate per ſe.

Tamen aſſerendum ex ipſis etiam partibus heterogeneis componi vnam per ſe ſubſtantiam: nemo enim dicet hominem non eſſe aliquid per ſe vnum licet ex partibus iſtis heterogenis cõponatur, cùm illæ omnes ſint eiuſdem rationis eſſentialis, & tantum accidentariò differant, & præterea ad totius bonum conſpirent.

Quod ſpectat ad ens per accidens, notandum eſt primò illud duobus modis poſſe accipi, ſcilicet vel in ratione effectus, (& idem de ente per ſe pariter dici poterit:) ens per accidens in ratione entis eſt illud, quod componitur ex partibus diuerſæ rationis; quarũ vna non habeat rationem potentiæ, altera rationem actus, vt exercitus. Ens verò per accidens in ratione effectus eſt illud quod præter intentionem agentis caſu & fortuito contingit, vt inuentio theſauri à fodiente terram: ſed de ente per accidens in hac poſteriori receptione actum eſt ſecundo libro Phyſicorum.

Notandum ſecundò ens per accidẽs in ratione entis contingere trifariam, primò, quandò ſubjectum de accidente prædicatur, vt *quadratum eſt ferreum*: ſecundò quando accidens prædicatur, de ſubiecto, vt *homo eſt albus*: tertiò denique quando accidens de accidente enuntiatur: vt *album eſt dulce*, *nigrum eſt amarum*, &c.

Notandum tertiò entia per accidens ſuſcipere magis & minus, ſunt enim aliqua in quibus multæ partes abſque vnione & ordine congeruntur, cuiuſmodi eſt cumulus tritici, vel aceruus lapidum: alia verò ſunt in quibus multæ quidem reperiuntur partes phyſicæ vnionem non habentes, ordinem tamẽ ad aliquid dicentes, vt eſt exercitus: alia demum dantur in quibus reperitur vnio partium, ſed diuerſi generis, puta ſubſtantiæ & accidentis, vt album.

Primi generis entia per accidens maximè remouentur ab entibus per ſe, cùm deficiant & in ordine, & in vnione partium eiuſdem generis, & ita maximè propriè dicuntur entia per accidens, ſequuntur entia per accidens ſecundi generis, poſtrema ſunt illa, quæ ſub tertio genere conſtituuntur.

Quæſtio hoc loco proponitur quomodo conueniunt entia per ſe, & entia per accidens.

Quicquid alii exiſtiment, reſpondeo conuenire ſynonymè communi noſtrâ ratione: illa conueniunt ſynonymè, quæ in aliquo ſibi eſſentiali & communi conueniunt, quia tunc nomen & rationem nomini reſpondentem participant, quæ eſt propria ratio ſynonymorum: ſed ens per ſe, & ens per accidens conueniunt in aliquo ſibi communi & eſſentiali, nempè in ente reali, ergo, &c.

Obiicies, ratio entis eſt vna multiplex: ſi vna, nequit conuenire enti per accidens: ſi multiplex, non poterit enti per ſe competere, ergo ens per ſe, & ens per accidens in nullo comuni ſibi eſſentiali conueniunt proindéque non ſynonymè.

Reſpondeo ad antecedẽns, rationem entis realis vniuerſaliſſimè ſumpti prout in ens per ſe, & ens per accidens diuiditur, abſtrahere ab vnitate, vel multiplicitate, id eſt non in eo conſiſtere, vt ſit vna vnitate ſimplici, vel multi-

plex, & tantum vna per aggregationem, ſed illud fieri per contractionem ad ſua inferiora, ſcilicet ad ens per ſe, & ens per accidens, quod non tollit ſynonyma inter ens per ſe, & ens per accidens.

Inſtabis vnum conueniri cum ente, ergo ens non abſtrahere ab vno & multiplici, ſeu vno per ſe & per accidens.

Reſpondeo, antecedens verum eſſe ſeruata proportione inter ens & vnum, ita vt vnum vnitate ſimplici conuertatur cum ente ſimplici, ſeu per ſe; vnũ autẽ vnitate per aggregationem: cũ ente per accidens & aggregationẽ ens autem abſtrahi per rationem ſui conſideratione eiuſmodi proprietatis reciprocæ, ſcilicet vnitatis, quod non eſt vllo pacto incommodum.

De diuiſione entis in ens actu, & ens potentia, nihil dicimus, quædam dicturi poſtea tractatu 4. vbi agemus de actu & potentia.

## QVÆSTIO TERTIA
### *De diuiſione entis infinitum, & infinitum.*

Rogabis, an hæc diuiſio legitima ſit & adæquata? Reſpondeo affirmatiuè, probóque: Illa eſt legitima & adæquata diuiſio, quæ ita ſit in oppoſita membra, vt illa ſimul ſumpta adæquẽt totum ipſum diuiſum: at hæc diuiſio quam tractamus, in eiuſmodi membra ſit, finitum nempè, & infinitum inter ſe opponuntur, & totam entis latitudinem adæquant: nullum enim ens, quod non ſit finitum vel infinitum, ergo hæc diuiſio eſt legitima & adæquata.

Notandum verò eſt plures diuiſiones entis aſſignari, quæ huic æquiualeant, prima eſt in ens à ſe, & ens ab alio, in qua diuiſione eſſe ab alio, ſignificat eſſe ab alio, tanquam à cauſa: licet enim filius à Patre ſit, & Spiritus ſanctus à Patre & Filio, non deſinunt tamen contineri ſub illo membris entis quod eſt à ſe, quia nempe ab alio non ſunt tanquam à cauſa, ſed duntaxat tanquam à principio.

Secunda diuiſio aſſignari poteſt in ens creatum, & increatum.

Tertia in neceſſarium & contingens.

Quarta in ens per eſſentiam, quale eſt Deus, iſque ſolus, & ens per participationem, quales ſunt omnes creaturæ.

Vltima in ens, quod eſt puriſſimus actus nullam habens potentiam, ſiue phyſicam, puta materiam, ſiue metaphyſicam, puta genus: & ens quod eſt potentiale, ſeu habet potentiam, vel phyſicam, nempe materiam, vt corpora naturalia: vel metaphyſicam tantùm, ſcilicet genus, vt Angeli.

Obiicies primò contra aſſignatam entis diuiſionem in finitum & infinitum finitas & infinitas ſunt tantùm proprietates quantitatis: ergo Deo, qui caret quantitate, conuenire non poſſunt: ſicque datur aliquod ens, quod neque eſt finitum, neque infinitum.

Reſp. ad antecedens, finitatem & infinitatem eſſe proprietates quantitatis, non molis tantùm, ſed etiam virtutis: proindéque cùm Deus ſit quantus ſaltem quantitate virtutis, vt ipſe teſtatur, *Cælum & terram ego impleo,* ipſi infinitatem virtutis competere poſſe quomodo in hac diuiſione ſumimus.

Secundò contra hanc diuiſionem obiicies, vel infinitas, quæ Deo tribuitur, ſumitur priuatiuè, vel negatiuè: ſi priuatiuè, cum priuatio ſit carentia formæ in ſubiecto capaci, Deus erit capax finitæ perfectionis, quod eſt abſurdum: ſi negatiuè, pro eo quod non habet finitam magnitudinem, hoc pacto quodlibet indiuiſibile erit infinitum, & ſic plura erunt infinita, quod

Digitized by Google

pariter abſurdum eſt, ergo non videtur infinitas poſſe Deo conuenire.

Reſpondeo ad antecedens, infinitatem Dei ſumi negatiuè, ſcilicet pro eo quod non habet finitam perfectionem & magnitudinem. Ad incommodum, quod inde deducitur, dico indiuiſibilia in quantitate fore quidem infinita in quantitate molis, non autem in quantitate virtutis, de qua agimus, & in qua tantùm dicimus vnicum eſſe infinitum.

Tertiò obiicies, relationes diuinæ nec ſunt finitæ, nec infinitæ: non finitæ quia cùm illæ ſunt in Deo, imò Deus ipſe, diceretur aliquid finitum, quòd Chriſtianas aures offendit: nec etiam infinitæ, quia cùm infinitum non poſſit multiplicari, non eſſet in Deo multiplex relatio, quod eſt hæreticum, ergo relationes illæ erunt alterius ordinis à finito & infinito, proindéque aliquod erit medium inter finitum & infinitum ergo diuiſio non erit legitima.

Reſpondeo ad antecedens, relationes diuinas verè eſſe infinitas, cùm diuinam & infinitam eſſentiam includat, non tamen propterea multiplicari infinitatem, quia cùm talis infinitatis radix ſit eſſentia Dei, quæ vna eſt, non poteſt eſſe niſi vnum infinitum, ſicut licet quælibet perſona diuinitatem includat, non tamen propterea multiplicatur diuinitas, ſed vna manet in tribus perſonis.

Rogare etiam aliquis hic poſſet quo pacto ens finitum & infinitum inter ſe conueniant, an æquiuocè tantùm, an analogicè, an verò ſynonymè.

Sed tota quæſtio in Logica ſoluta eſt, & oſtenſum contra D. Thomam, & ſectatores eius eſſe vniuocum, non tantum reſpectu entis finiti & infiniti, ſeu Dei & creaturarum, ſed etiam ſubſtantiæ & accidentis.

Vnicam D. Thomæ omiſimus obiectionem contra vniuocationem entis reſpectu Dei, & creaturarum, ſeu entis finiti & infiniti, hanc nunc proferamus & ſoluamus: Illud non eſt vniuocum comparatione Dei, & creaturarum, in quo creaturæ non poſſunt cum Deo ſimilitudinem habere. ſed in ente creaturæ nequeunt cum Deo ſimilitudinem habere: ergo, &c. Probatur minor, effectus ille nequit recipere ſimilitudinem cum ſua cauſa, cuius virtutem adæquare non poteſt: ſed creaturæ ſunt effectus Dei, cuius tamen virtutē adæquare nullo modo poſſunt, ergo non poſſunt creaturæ cum Deo ſimilitudinem in ente recipere.

Conceſsâ maiori minor neganda eſt, ad maiorem probationis dicendum eſt nullum eſſe incommodum, quod effectus aliquis in aliquo gradu ſuperiori habeat ſimilitudinem, eámque vniuocam cum illa ſua cauſa, cuius virtutem adæquare non poteſt, vt patet in auro argento, & aliis metallis, quæ ſunt effectus Solis, quorum certè effectuum nullus totam virtutem ipſius ſolis adęquare poteſt, vt per ſe notum eſt, & tamen non deſinit cum Sole in gradu ſubſtantiæ finitæ ſimilitudinem recipere, ac vniuocè conuenire: proindéque licet creaturæ ſint effectus Dei, nec tamen eius virtutem adæquent, eas tamen non deſinere cum ipſo Deo in aliquo ſuperiori gradu, puta entis ſimilitudinem recipere, & ſynonymè conuenire.

Inſtabis, creaturas etiam in ratione entis eſſe Deo diſſimiles ergo, non conuenire ſynonymè. Probatur antecedens, ſi creaturę à Deo dependent, non tantum vt ſunt creaturę, ſed etiam vt entia ſunt, re vera in ratione entis ipſę creaturæ erunt Deo diſſimiles: atqui non tantum vt creaturæ ſunt, ſed



Digitized by Google

etiam vt entia ſunt, dependeat à Deo ſpectat enim ad Dei perfectionem, vt omnibus modis creaturæ ab ipſo dependeant, ergo etiam in ratione entis creaturę ſunt Deo diſſimiles.

Negandum eſt antecedens, & maiori probationis conſeſſâ, minor neganda eſt, ſcilicet creatûras etiam vt entia ſunt, ſeu, ſecundùm rationem entis, à Deo dependere. Negati hæc eſt euidẽs ratio: ſi creatura, vt entia ſunt ſeu ſecundùm communem rationem entis à Deo dependerent, dependentia illa à Deo eſſet de ratione entis vt ens eſt: nam quod conuenit creaturis vt entia ſunt, debet eſſe de ratione entis, vt ens eſt, ſicut quod conuenit homini quatenus animal eſt; nempe eſſe viuẽs ſenſibile, debet eſſe de ratione animalis: atque dependentia illa à Deo nequit eſſe de ratione entis, vt ens eſt; ergo creaturæ vt entia ſunt non poſſũt, à Deo dependere. Minor oſtenditur: ſi dependentia illa à Deo eſſet de ratione entis, vt ens eſt, vbicúmque reperiretur ratio eſſentialis entis, ibi quoque reperiretur illa dependentia à Deo, ſed conſequens manifeſtè falſum: nam ratio eſſentialis entis reperitur in Deo quia Deus eſt eſſentialiter, & tamen nemo dicet Deum à ſeipſo dependere, ergo dependentia illa à Deo nequit eſſe de ratione entis, vt ens eſt.

Vrgebis vltrà, incommodum videri vt admittatur aliqua ratio realis creaturis, quæ non dependeat à Deo.

Reſpondeo incommodum illud re vera eſſe, ſi à parte rei talis ratio in creatura reperiatur, ſecundum quam non dependeat à Deo, abſurdum tamẽ nullum eſſe, ſi illa ratio exurgat tantum operatione intellectus ens à dependenti & dependenti & independenti abſtrahentis in propoſito.

# DISPVTATIO SECVNDA.

*De principiis entis.*

## SECTIO PRIMA.

*De illis in vniuerſum.*

### QVÆSTIO PRIMA.

*De nomine & varia acceptione principij entis.*

Multa iam in Phyſica tradidimus de nomine, & varia acceptione principii, hic tantum addendum ad rationem principij duo eſſe neceſſaria alterum vt ſit prius eo cuius dicitur principium, alterum vt inter ipſum & principiatum aliqua ſit connexio: primum indicatur ipſo nomine principii, ſecundum patet experientia, quæ habet hominem heri natum, licet priorẽ homine hodie nato, eius tamen reſpectu non dici principium, quia inter illos nulla intercedit connexio: quod etiam docent Theologi, prima parte affirmantes filium diuinum non alio titulo eſſe principium Spiritus-ſancti, quàm quia ab illo procedit ipſe Spiritusſanctus, ita vt ſola illa connexio quæ reperitur inter eos ratione originis vnius ab alio, ſit ratio cur filius ſit principium Spiritus-ſancti. quamquam tamen noſtro modo cogitandi filius ſemper eſſe prior ipſo Spiritu ſancto & ſi hic ab illo non procederet, ſicut actio intellectus, quâ generatur filius, cogitatur eſſe prior actione voluntatis quâ procedit Spiritusſanctus.

### QVÆSTIO SECVNDA

*De exiſtentia principiorum entis.*

Duplex in vniuerſum eſt principiũ, rei ſcilicet & cognitionis. Rursúſque principium rei duplex, alterum rei in fieri, alterum rei in facto eſſe: ſub principio rei in fieri continentur omnia principia, vel rerum ſucceſſi-

uarum, vt ſunt motus, tempus, vel operationum, quæ nunquam habent eſſe in facto, ſed in fieri. Sub principio verò rei in facto eſſe continentur quælibet pricipia rerum, quæ ſuum eſſe habent in facto eſſe, vt homo, lapis.

Præterea principium rei, vel eſt externum, vt efficiens, finis, & exemplar vel internum, illúdque duplex, phyſicum & metaphyſicum: prius iterum duplex, materia, & forma: poſterius multiplex, genus & differentia, actus & potenti, eſſentia & exiſtentia.

Quod ſpectat ad principium cognitionis docet Ariſtoteles ſecundi Elen. cap. vltimo, ad illud reuocari demonſtrationes, & ſuppoſitiones, éſtque duplex, alterum incomplexum, cuius generis ſunt rei effectus, operationes, proprietates & accidentia, quæ ducunt in cognitionem alicuius cauſæ & eſſentiæ: alterum complexum, cuiuſmodi ſunt axiomata & præpoſitiones vniuerſales, vt de quocunque vera eſt affirmatio vel negatio, ſi ab æqualibus æqualia demas, quæ remanebunt erunt æqualia, &c. His poſitis, ſit.

*Prima propoſitio.*

ENs reſpectu Dei & creaturarum habet cognitionis principia, tam cõplexa, quàm incomplexa Probatur: ens reſpectu Dei & creaturarũ ea habet, vel non habet principia, quæ ſimul in Deo, & creaturis reperiũtur vel nõ reperiũtur (quod hîc diligẽter obſeruãdum eſt) atqui principia cognitionis, tam complexa quàm incomplexa, in Deo, & creaturis locum habent: ergo, &c.

Probatur minor quantum ad creaturas, cùm enim illæ tam à priori, quam à poſteriori demonſtrari ſoleant clarum eſt in illis admittenda eſſe cognitionis principia, non modo complexa, ſeu generalia pronuntiata, ſed incomplexa, effectus nempe, & proprietas.

Probatur etiam eadem minor de Deo, & primò quidem illi incomplexa cognitionis principia ineſſe, ex eo ſic concluditur, vnum Dei attributum demonſtratur per aliud, v. g. æternitas per immutabilitatem, immutabilitas per omnimodam ſimplicitatem, & ſic de cæteris: quæ quidem attributa ita ſubordinantur inter ſe, vt ſi æternitas Dei, v. g. cauſam aliquam haberet, aliã nõ poſtularet ab immutabilitate: quod enim immutabile eſt, eſt ſemper, proindéque æternam durationem obtinere neceſſe eſt, ergo vnum attributum Dei eſt principium cognitionis incomplexum reſpectu alterius, ergo dantur in Deo principia incomplexa cognitionis.

Eidem conuenire complexa patet, quia illa nihil aliud ſunt, quàm generalia quædam axiomata, vt *quodlibet eſt, vel non eſt*, & ſimilia quæ in Deo locum habere, & ad demonſtranda diuina attributa inſeruire nemo neſcit.

Obiicies, ſi ens in vniuerſum habeat aliquod principium, quodcúmque tandem illud ſit, vel erit ens, vel non ens: ſi prius, vnum erit ſui ipſius principium, quia per illud debebit omne ens demonſtrari: ſi poſterius, non poterit eſſe principium cognitionis entis: ergo entis in communi nullum eſt cognitionis principium.

Reſpondeo ad antecedens, principium cognitionis entis fore ens, quatenus inſeruit ad intelligentiam alterius entis, vel ſui ipſius, per accidens in quantum continetur ſub ente in cõmuni, cuius dicitur eſſe cognitionis principium, quo etiam modo ſingulare dicitur ſui ipſius principium per accidens, in quantum eſt id quod deducit in notitiam vniuerſalis, & conſequenter ſui ipſius, quatenus ſub illo

Digitized by Google

*Secunda propoſitio.*

ENs reſpectu Dei & creaturarum non habet principia rei, nec externa, quæ ſunt finis, efficiens, & exépla nec interna Phyſica nempe materiam & formam: quod verò habeat interna Metaphyſica, vel non habeat, problematicum eſt, & ad libitum defenditur.

Hæc propoſitio quantum ad duas priores partes facile probatur, ſi ens commune Deo & rebus creatis haberet prædicta rei principia, illa pariter eſſent tam in Deo, quàm in creaturis, cùm *illud omne quod competit enti, quatenus eſt ens, conuenit et omni enti ſub illo contento*: atqui Deus huiuſmodi vacat principiis, vt ſatis apparet, neque enim finalem cauſam, neque efficientem, neque materiam, neque formam habere poteſt, ergo, &c.

Poſtrema vero pars declaratur, primùmque proponitur ſententia conſtituens in Deo interna rei principia, quæ huic fundamento innititur eſſentia & exiſtentia ſunt vera rei principia Metaphyſ. ſed illa verè & propriè in Deo locum habent, paritérque in Deo & creaturis, vt omnes fatentur, ergo tàm in Deo, quàm in creaturis, dantur interna rei principia Metaphyſ. proindéque in ente communi Deo, & creaturis admittenda ſunt.

Verùm pro contraria ſententia reſpondebis ad maiorem, eſſentiam & exiſtentiam eſſe tantum vera rei principia in iis in quibus diſtinguitur formaliter, & ex natura rei, quomodo non ſunt in Deo, cuius eſſentia eſt idē realiter & ex natura rei cum ſua exiſtentia, quæ reſponſio eſt fundamentū poſterioris ſententiæ, vnde ad eam pro priori ſententia reſpondendum eſt virtualem diſtinctionem, quæ reperitur inter eſſentiam & exiſtentiam in Deo ſufficere, vt dicantur principia vniuerſali continentur. quia huius diſtinctionis vis & efficacitas talis eſt in Deo præſtet, quod in rebus creatis facit actualis diſtinctio vt multis in locis docent Theologi.

*Tertia propoſitio.*

ENs reſpectu rerum creaturarum habet principia rei tam externa quàm interna Metaphyſica, non tamen Phyſica.

Probatur propoſitio quo ad priorem partem, ens creatum habet Deum pro principio effectiuo, eundémque pro cauſa finali, ſed illa ſunt principia rei externa, ergo ens reſpectu rerum creaturarū habet externa rei principia.

Secunda pars declaratur, res creatæ conſtant genere & differentia, eſſentiâ & exiſtentia, quæ in illis formaliter differūt, vt modus & res modificata, atqui illa ſunt principia interna Metaph. ergo res creatæ habent interna principia Metaph.

Tertia denique pars oſtenditur: intelligentiæ non conſtant materiâ & formâ, & tamen continentur ſub ente creato: ergo ens commune rebus creatis non habet interna principia Phyſica, cùm nihil enti conueniat quod non competat omnibus eius inferioribus.

Obicies contra ſecundam partem propoſitionis huius, ſi omne ens creatum conſtet eſſentia & exiſtentia, vt dictum eſt, cum eſſentia & exiſtentia ſint entia creata, his duobus principiis conſtare debebunt, eſſentia ſcilicet, & exiſtentia: idem de ſecunda illa eſſentia & exiſtentia dicendum erit, & ita in infinitum procedendum, quod à vera Philoſophia alienum eſt.

Neganda eſt conſequutio, cùm enim dicitur omne ens habere principia interna, eſſentiam ſcilicet & exiſtentiam id intelligendum de ente creato & exiſtente, & concreto, quo pacto eſſen-

tiam & exiſtentiam complectitur, non autem de eſſentia & exiſtentia ſeparatim ſumptis.

## QVÆSTIO TERTIA, ET QVARTA.

*De eſſentia & affectionibus principiorum.*

ESſentia principiorum variis modis explicatur, Primò ſic, *principium eſt rei vnde aliquid eſt*. Secundò à D. Thoma 1. parte q. 33. art. 1. *Id à quo aliquid procedit quocunque modo*: tertiò & communiter, *principium eſt id, vnde aliquid aut fit, aut cognoſcitur*.

Ponitur *aut fit* propter rei principia, ex quibus res fiunt.

Additur, *aut cognoſcitur*, propter cognitionis principia, quæ ſunt media ad illuſtrationem veritatis.

Principiorum affectiones partim manent ex dictis explicatę, partim innoteſcent inferius, vbi de ſingulis principiis tam complexis, quàm incomplexis diſſeretur.

## SECTIO SECVNDA.

*De complexis entis principiis.*

PRincipia complexa, quæ & cognitionis vocantur, ex iam dictis nihil ſunt aliud, quàm axiomata, ſeu propoſitiones generales, quæ, ſicut in aliis ſcientiis, ita & in Metaphyſica locum habent. Illa autem ſunt in duplici differentia, alia generaliſſima à toto obiecto petita, vt hęc, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*: & *quicquid habet eſſe, eſt vnum, verum, bonum*: alia ſunt minus communia, & ex aliqua tantùm obiecti parte deſumpta, vt *Subſtantia eſt ens per ſe ſubſiſtens, cauſa eſt principium per ſe influens eſſe in aliud*, &c.

Quod autem dentur in metaph. eiuſmodi principia facilè probatur metaphyſica ſicut cæteræ ſcientiæ, procedit per demonſtrationem, & reſolutionem concluſionum in principia, ergo poſtulat aliqua complexa principia, eáque generaliſſima & prima, quia alias fieret concluſionum in principia perpetua reſolutio, neque vlla poſſet aſſignari concluſio, quæ in vlteriorem non reſolueretur, quod tamē eſt incōmodū.

Difficultas quædam, eáque grauis remanet, quódnam illud ſit, quod dicitur omnium primum, & firmiſſimum principium: varię hac de re ſententiæ ſunt.

Prima aſſerit, *ens eſt id, quod eſt*, primum & firmiſſimum eſſe principium, eo quod ita ſit verum, vt de eius veritate nullus poſſit dubitatione detineri.

Sed hæc ſententia infirma eſt, & fūdamentum ruinoſum, quod proinde facilè conuellitur. Duo ſunt neceſſaria ad conſtituendum primum & firmiſſimum principium: alterum vt ſit indubitatum, & ab omnibus approbatum: alterum vt ſit aptum demonſtrationis medium, quia per illud cætera demōſtrari debent, ſed allatum principium, quamuis habeat priorem conditionem, in poſteriori tamen deficit, quia eſt propoſitio identica, & nugatoria, proindeque ad conficiendam demonſtrationem inepta, ergo illud principium non eſt primum & firmiſſimum.

Confirmatur hæc ratio, ampliúſque confutatur huius ſententiæ fundamentum: nam ſi hoc principium, *ens eſt id, quod eſt*, propter ſuam certitudinem & euidentiam ſtatueretur primum & firmiſſimum principium, propter candē certitudinem, & euidentiam multa alia ſtatuerentur in metaphyſica prima & firmiſſima principia. vt *ſubſtantia eſt id, quod accipit*, & infinita propemodum alia, quod tamen abſurdum eſt.

Secunda ſententia affirmat hoc eſſe

Digitized by Google

624

primum & firmiſſimum principium, *de nullo ſimul vera eſt affirmatio, & negatio.*

Sed meritò ab omnibus refellitur, quia affirmatio, vel negatio alicuius rei de ineſſe, ſupponit illius inexiſtentiam, vel inexiſtentiæ negationem: ex eo quod enim res ſit in aliquo de eo affirmatur; è contra verò, quia illa ineſt, de eo negatur. Itaque hoc primum demonſtrari poterit per illud, *impoſſibile eſt aliquid ſimul eſſe, & non eſſe*, quod eſt de ineſſe: atque adeo illud, quod ab hac ſententia allatum eſt, nunquam erit primum & firmiſſimum.

Tertia ſententia ponit iſtud principium tanquam primum & firmiſſimum, *Quodlibet eſt, vel non eſt*, affirmátque prius eſſe iſto noſtro, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*, ſed expoſitione noſtræ ſententiæ ſufficienter refelletur.

Quarta igitur & omnium veriſſima ſententia ſuſtinet præfatum illud Ariſtotelis principium, *impoſſibile eſt, &c.* vel illud, quod idem eſt, *nullum ens eſt, & non eſt*, eſſe primum & firmiſſimum principium, adeo vt omnia alia per ipſum demonſtrari poſſint.

Porrò vt facilius hanc noſtram ſententiam explicemus; Notandum eſt duplicem eſſe modum aliquid demõſtrandi, ſcilicet poſt oſtenſionem, & per deductionem ad incommodum. Prior modus qui eſt per ſe in ſingulis ſcientiis, neceſſarius eſt, quando per veras demonſtrationes, vel effectus probantur per cauſas, vel cauſæ per effectus. Poſterior modus fit ob imbecillitatem noſtri intellectus, qui dum minus aptè alicuius propoſitionis veritatem aſſequitur, poſtulat eam per notiorem, & quæ minus negari poſſit, demonſtrari, donec ad aliquam perueniat adeò euidentem, vt maximum eſſet incommodum eam in dubium reuocare. Quo nota.

Probatur facilè noſtra propoſitio: Illud eſt ſimpliciter primum & firmiſſimum principium quod imprimis negari non poteſt ob maximam euidentiam, & notitiam ſummæ repugnantiæ, quæ ex eius negatione ſequeretur: deinde aptum eſt demonſtrationis medium. & tandem nullum ſupponit per quod demonſtrari poſſit: atqui hæc tria optimè conueniunt noſtro principio, vt tum ex ſe, tum ex ſolutionibus obiectionum patebit, ergo primum & firmiſſimum.

Obiicies primò, propoſitio affirmatiua prior eſt negatiua: atqui hoc principium, *Quodlibet eſſe, vel non eſt*, eſt propoſitio affirmatiua, illud verò, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*: negatiua, conſtat enim terminis negatiuis, *impoſſibile eſt*, quod idem eſt, ac non eſt poſſibile: ergo principium iſtud, *quodlibet eſt, vel non eſt*, erit prius iſto, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*.

Diſtinguo maiorem. Propoſitio affirmatiua eſt prior negatiuâ; ſi ſecundum ſe & abſolutè ſpectetur, concecedo; ſi ſecundum vim probatiuam nego, probóque negatum. Illa eſt propoſitio prior ſecundum vim probatiuam, quæ maiorem ſuorum terminorum repugnantiam oſtendit; atqui hæc propoſitio, *impoſſibile, &c.* maiorem inter ſuos terminos repugnantiam præ ſe fert, quàm iſta, *quodlibet eſt, vel non eſt, ergo, &c.*

Probatur minor: Illa propoſitio, *impoſſibile eſt, &c.* dicit repugnantiam intercedentem inter terminos contradictorios, eſſe nempe, & non eſſe hæc verò, *quodlibet eſt, vel non eſt*, tantum repugnãtiã mediationis inter terminos contradictorios, id eſt aliquin neceſſariò eſſe, aut non eſſe, quod idem eſt ac nullum eſſe medium inter terminos contradictorios eſſe, & non eſſe: at


Digitized by Google

prior repugnantia videtur apertior, & per eam poſterior demonſtrari poteſt, ſcilicet inter contradictoria nullam eſſe medium, quia contradictoria ſimul eſſe non poſſunt ergo, &c.

Secundò obiicies, iſtud principium, *impoſſibile eſt*, &c. eſt magis compoſitum quam hoc, *quodlibet eſt, vel non eſt*, ergo hoc principium eſt prius illo,

Diſtinguo conſequentiam, hoc principium, *quodlibet eſt, vel non eſt*, eſt prius illo, *impoſſibile*, &c. in eſſe propoſitionis concedo, in eſſe principii nego, quia ad primum principium non requiritur abſolutè, vt ſit prima propoſitio, ſed tantum vt ſecundum vim probatiuam primum ſit ſummámque habeat euidentiam, quod noſtro principio *impoſſibile eſt*, &c. conuenire oſtendimus.

Poſtremò obiicies, non omnes propoſitiones poſſunt demonſtrari per illud allatum principium *impoſſibile eſt*, &c. ergo non eſt primum. Antecedens oſtenditur: multæ dantur propoſitiones quæ habentur indemonſtrabiles, vt *totum eſt maius ſua parte*, & ſimiles, ergo hæ propoſitiones per ſupradictum principium demonſtrari non poſſunt.

Reſpondeo negando antecedens obiectionis, & diſtinguendo antecedens probationis, dantur multæ propoſitiones indemonſtrabiles, per oſtenſionem, concedo; per deductionem ad incommodum,, nego: quia quantúmcunque veræ ſint & perſpicuæ, poſſunt tamen per illud aſſignatum, tanquam per notius demonſtrari.

## QVÆSTIO TERTIA.
### ET QVARTA
### *De eſſentia & affectionibus complexorum principiorum.*

Eſſentia non obſcurè colligitur ex ſupperioribus, vt principium cóplexum ſit propoſitio quædam generalis adeò vera, & euidens, vt à nemine poſſit ſine crimine negari.

Affectiones ſunt quod in ipſis complexis principiis omnium diſciplinarũ concluſiones ſtabiliantur, omníſque ex ipſis veritas hauriatur.

Vna ſpecialis occurrit de primo principio, an ita adhibeatur ad aliorum principiorum confirmationem, vt à nullo alio probari poſſit.

Reſpondeo affirmatiuè, ſiquidèm aut demonſtraretur per oſtenſionem, aut per deductionem ad incómodum: non prius, quia omnis demonſtratio per oſtenſionem procedit, aut à cauſa ad effectum, aut ab effectu ad cauſam quorum neutrum in primo principio locum habere poteſt, cùm & cauſa careat, & nullum agnoſcat effectum, quo tanquam notiori probari poſſit: non etiam poſterius, ſcilicet per deductionem ad incommodum, quia nullum maius incommodum fingi, aut cogitari poteſt illo, quod ſequeretur ex negatione eiuſmodi principii, *impoſſibile eſt*, &c. ex quo ſequitur ipſum omnino eſſe indemonſtrabile.

Obiicies hac ratione poſſe demonſtrari primum principium, quod manifeſtatur ſolo interuentu luminis naturalis, illud eſt certiſſimum & notiſſimum: atqui primi principii veritas manifeſtatur ſolius luminis naturalis interuentu, ergo illud principium eſt primum & firmiſſimum.

Reſpondeo hanc demonſtrationem oſtendere quidem & declarare manifeſtationem primi principii, rationèmque tradere cur illi aſſentiatur intellectus, atque ab eo eſſe reflexionem perutilem, ad confirmandum intellectum & agendam eius certitudinem circa aſſenſum huius principii, non tamen aſſerre cauſam veritatis eius, cùm non

Digitized by Google

ideo ſit verum, quia vt tale intelligitur, ſed quia eſt tale ſecundum ſe & abſolutè, ideò ſic intelligitur: ſicut ideo Sol lucem non habet, quia eam oculis intuetur, ſed potius è contra oculus intuetur Solis lucem, quia lux in Sole eſt.

Rurſus obiicies, Ariſtoteles 3. Metaph. cap. 4. multa profert incommoda contra proteruos, qui contentionis cauſa primũ pricipiũ negarent, ergo indicat primũ principiũ per deductionẽ ad incommodum: ſaltem poſſe probari. Antecedens conſtat ex toto textu illius capitis, ex quo hæc ſumpta ſunt incommoda.

Primum, quod ſi falſum eſſet hoc principium ſupra allatũ *impoſſibile, &c.* vnum & idem poſſet eſſe omnia, nam cùm dico homo non eſt omnia, ſi contradictorium eſſet poſſibile, vtique homo poſſet eſſe omnia, Deus, cælum elementa.

Secundò ſemper omnes verum dicerent, & nunquam falſum, quippe ſi poſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe, quicquid de re aliqua dixeris, ſiue affirmaueris, ſiue negaueris, ſemper verum dixeris.

Tertium incommodum huic oppoſitum, omnes ſemper dicerent falſum, ſi enim aliquid diceret, *Petrus eſt homo, Bucephalus eſt equus*, falſum diceret, quia contradictorium eſſet verum, *Petrus non eſt homo, Bucephalus non eſt equus.*

Quartum eſt, nullus de re aliqua interrogatus poſſet quicquam determinatè reſpondere: nam ſi quis peteret, vtrum Petrus eſſet animal, eſſetne, vel non dubitaret hoc, & non hoc diceret hoc putaret, & non putaret, proindéque omnis certitudo, omnis diſputatio, & congreſſus ſermonis planè de medio tolleretur.

Reſpondeo ad antecedens, ea omnia incommoda quæ à nobis ex Ariſtotele relata ſunt, non eſſe diſtincta ab illo quod incurritur ex negatione primi principii, ſed arctiſſimè cum eo copulata, & eo magis eius euidentiam demonſtrare, quò maiora ſunt, & difficilioris ſolutionis, nec velle Ariſtotelem ea ad demonſtrationem primi principii congere, vt notius appareat, ſed vt diſtinctius ea omnia quæ ingerit contra obſtinatos ac ſophiſtàs conſpiciantur, vt clarè loco citato ſignificat.

Hæc de principiis complexis

## SECTIO TERTIA.

*De incomplexis entis principiis.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*De eſſentia.*

### ARTICVLVS PRIMVS

*De nomine & varia acceptione eſſentia.*

MVltis modis eſſentiæ nomen vſurpatur, primo pro quid ditate rei, quia per ipſam ad quæſtionum quid eſt, reſpondetur. Secundò pro ipſa eſſentiali definitione rei. Tertiò pro natura quæ eſt principium operandi. Quartò, & maximè propriè, pro eo quod definitionem eſſentialem alicuius rei ingreditur, illámque componit, quo pacto animal & rationale dicuntur eſſentia hominis.

### ARTICVLVS SECVNDVS.

*De exiſtentia eſſentia.*

HIc cauenda eſt æquiuocatio, nam bifariam quęri poteſt exiſtentia eſſentiæ, primo ſic qęſtionem proponendo, vtrum dentur quædam eſſentiæ ſeu natura exiſtentes, qua de re nullum dubium eſt: ſecundò ſic eandẽ quæſtionem proponendo an eſſentiæ

ſecundum ſe ſint, & an eſſe cœperint in tempore, quo cum ipſis creatis extiterunt: Vbi.

Notandum eſſentiam eſſe duplicem quod ſpectat ad hoc inſtitutum, alteram particularem, vt Petri, Pauli, & aliorum indiuiduorum: alteram vniuerſalem, humanam, v.g. equinam, & alias: quo poſito, non eſt dubium quin eſſentia particularis cœperit eſſe in tempore, cùm particulare dicat naturam contractam, quæ quidem non contrahitur, niſi quando ipſa particularia producuntur, quod quidem tantum fit in tempore: agitanda hîc ſolū eſt celeberrima illa, & à tot phyſicis vtriúſque ætatis tam acriter controuerſa quæſtio, an eſſentiæ vniuerſales præceſſerint exiſtentias, quæ ſunt tantum ſingularium, atque adeò fuerint ab æterno.

Prima ſententia, ſatis reuera & nimis hoc tempore communis habet, eſſentias, etiam vniuerſales, non præceſſiſſe exiſtentias, ſeu res non prius fuiſſe ſecundum eſſe eſſentiæ, quàm exiſtentiæ.

Contraria tamen ſententia omnino præferenda eſt, & animoſè propugnādo, eſſentias ſecundum ſe ſpectatas, & quatenus vniuerſales, fuiſſe ante exiſtentias ſingularium, imò & ab æterno.

Hanc ſententiam in Logica validâ, ſatíſque prolixâ ratione probauimus cuius ſenſum hîc breuiter conſtringimus. Ad vniuerſalem eſſentia duo tantum requiruntur, aptitudo ad exiſtendum in multis, & vnitas eſſentiæ, atqui hęc duo conueniunt naturæ ante exiſtentiam, ſingularium, ergo, &c.

Priorem minoris partem probauimus. Aptitudo precedit actum, vt aptitudo ſcribendi actum ſcribendi, ergo natura habuit aptitudinem ad exiſtendum in multis ſingularibus, antequam in illis extiterit: non remotam tantum, vt aduerſarii reſpondent, quia remota ſecundum illos conuenit tantum naturæ in ſingularibus exiſtenti, in quo ſtatu remouenda eſt ſingularitas, nos autem naturam ante ſingularia accipimus; ſed verè proximam, quia proximè intelligitur poſſe conuenire pluribus. Poſteriorem verò partem oſtendimus; quia natura vniuerſalis, v.g. humana, non eſt multiplex ante ſingularia, puta ante ſingulares homines, cum illis tantum multiplicetur, proindéque vna eſt.

Sed audio nonnullos occurrentes, eſſentiā nihil omnino eſſe, proindéque nec vnam, nec aptam ante exiſtentiam ſingularium.

Verum iſtud eodem modo ac in Logica facilè refellitur: ſcientia realis eſt de ente reali: ergo eſſentię vniuerſales, de quibus tantùm ſcientia eſt (excepta ſcientia de Deo) debent eſſe reales.

Hoc argumentum non aliter ſoluit Suarez, quàm intentum concedendo, ſic enim loquitur: *At denique eodem modo ſcientia, quæ conſiderant res abſtrahendo ab exiſtentia, non ſunt de entibus rationis, ſed de realibus, quia conſiderant eſſentias reales non ſecundum ſtatum quem habent obiectiuè in intellectu, ſed ſecundum ſe, vel quatenus apta ſunt ad exiſtendum cum talibus naturis, & proprietatibus*: quod totum & ſolum inquirimus. Ne tamen ſibi ipſi contrarius videatur, notat ex Caietano ens reale dupliciter accipi: Primò, vt diuiditur contra non ens actu exiſtens: Secundò, vt diuiditur contra non ens reale; & quidem poſteriori modo fatetur eſſentiam poſſibilem realem eſſe, negat in priori.

Verùm hæc ſolutio (bonâ pace Suarez magni alioquin viri, & acutiſſimi Philoſophi & Theologi) omnino impertinens

pertinens eſt, ſi quidem hic non eſt queſtio vtrum eſſentia vniuerſalis apta exiſtere in multis, ſit realis, quando reale idem ſignificat quod actuale, quæreretur enim an eſſentia priuſquam ſit realis, ſit realis, quod ineptum eſt, nec eget tam prolixa demonſtratione, qualem habet ipſe Suarez; ſed ſolum in eo verſatur quæſtio, an illud eſſe poſſibile ad exiſtendum quod intelligitur in eſſentia, poſſit dici reale realitate eſſentiæ & non exiſtentiæ: quod poſterius ſi neget Suarez ſatis refellitur ex dictis, ampliúſque hac ratione confutatur.

Eſſentia in ſuo formali conceptu includit aliquam realitatem, & aliquod verum eſſe: ſed illa eſſentia eſt ſine exiſtentia, ergo ſine exiſtentia datur aliquod verum eſſe & reale.

Probatur maior, ſi eſſentia non ſit realis, ergo in re qualibet ſola exiſtentia erit realis cum modis eam conſequentibus, at hoc dici non poteſt tum quia exiſtentia eſſet nobilior eſſentia, & modus re modificata, reale enim nobilius eſt non reali, tum quia modus realis non poteſt afficere rem aliam quàm realem, proindéque cùm exiſtẽtia afficiat eſſentiam, eſſentia debet eſſe realis.

Minor verò probatur, eſſentia in ſuo formali conceptu non dicit eſſe actuale, ſed poſſibile ſecundum eos, & ſecundũ nos in Logica actu: atqui eſſe poſſibile ad exiſtendum præcedit exiſtentiam, quæ facit eſſe actuale, vt intelligitur ex ſupradictis, ergo eſſentia ſecundum ſuũ formalem conceptum conſiderata antecedit exiſtentiam.

Sola maior huius ſyllogiſmi confirmanda eſt: eſſentia id tantum includit in ſuo formali conceptu, quod manet præciſo illo modo, quem ei ſuperaddit exiſtentia, quoniam talis modus non eſt de interno eius conceptu, atqui præciſo tali modo ſolum remanet eſſe poſſibile ad exiſtendum & eſſe actu, nõ actuale, cùm eiuſmodi modus ſuperaddat eſſentiæ actualitatem, quâ ſublatâ res tantum manet poſſibilis ad exiſtẽtiam & in actu eſſentiæ, ergo eſſentia in ſuo formali conceptu includit ſolum eſſe poſſibile ad exiſtendum: Atque hãc noſtram ſententiam vt cúmque indicat Capreolus in ſecundam diſt. 1. q. 2. art. 3. cùm ait, eſſentiam fuiſſe aliquid in genere eſſentiarum, licet non in genere entium actualium, ſeu exiſtentium.

Confirmatur hæc ratio: ſi eſſentia nullam habeat realitatem diſtinctam à realitate exiſtentiæ: ergo nec perfectionem, ergo res vna non eſt in eſſentia perfectior quàm alia, Angelus quàm homo, homo quàm muſca, muſca quàm lapis, &c. quod omnino videtur falſum.

Reſpond. fortè aduerſarij res non eſſe perfectiores in eſſentia abſtracta ab exiſtentia, ſed coniuncta.

Contra, exiſtentia non dat aliam realitatem & perfectionem eſſentiæ, quàm ſuam ipſam realitatem, & perfectionem: ergo ſiue eſſentia ſit ſeparato, ſiue coniuncta cum exiſtentia, ſi nullam ex ſe realitatem habeat diſtinctam à realitate exiſtentię, res omnes erunt in eſſentia æqualis perfectionis.

Probatur antecedens: aut exiſtentia dat realitatem & perfectionem eſſentiæ, cur coniungitur in genere cauſæ efficientis, vel in genere cauſæ formalis: non in genere cauſæ efficientis, quia eſt tantùm modus; nec vllus eſt, qui eam faciat cauſam efficientem eſſentię: ſi in genere cauſæ formalis, ergo nullã aliam confert realitatem & perfectionem, quàm ſuam. Hæc vltima conſequentia oſtenditur, & exemplo facili corroboratur: quia albedo dat tantum

parieti quod ſit albus in genere cauſę formalis, veriſſimum eſt parietem non eſſe album, niſi per rationem ipſam albedinis: vnde fit, vt tota ratio inæqualitatis inter res albas petatur ex albedinibus, non ex ipſis variis rebus, quæ non aliundè, quàm ex ipſa albedine albæ ſunt: ergo ſi tantum in genere cauſę formalis exiſtentia conferat realitatem & perfectionem eſſentiæ, cui coniungitur eſſentia non habet aliam realitatem & perfectionem quam exiſtentiæ: proindéque inæqualitas realitatis, & perfectionis ex iſtis tantùm exiſtentiis non ex ipſis diuerſis eſſentiis deſumitur: & conſequenter orietur incommodum prædictum, quòd nulla res ſit magis realis & perfecta, quàm alia, contra communem ſenſum omnium: ergo eſſentia habet diſtinctam realitatem & perfectionem à realitate & perfectione exiſtentiæ, & conſequenter ante illam, vt patet ex ratione iam facta.

Primo obiicies Solus Deus eſt æternus ex omnibus partibus, ergo fictitiæ ſunt illæ eſſentiæ reales, quas ante ſingularia, & ab æterno conſtituimus.

Diſtinguo antecedens, ſolus Deus eſt æternus per exiſtentiam, & propriâ æternitate, quæ ſit menſura rei exiſtẽtis, concedo: per eſſentia verò, & propriâ æternitate, quę ſolum dicat negationem initii, nego.

Rurſus obiicies ſi eſſentiæ præceſſiſſent exiſtentias, Deus per creationem nihil potuiſſet producere, nec ſimiliter poſſet quicquam annihilare, quod abſurdum: prior pars conſecutionis patet, quia creatio debet fieri ex nihilo, quod eſſet impoſſibile, ſi eſſentię præcederent exiſtentias.

Poſterior etiam manifeſta eſt, quia ſi eſſentiæ antecederent exiſtentias, eas etiam ſubſequerentur, ſicque cùm annihilatio rem prorſus de medio tollat, illa nunquam fieri poſſet, quia ſemper remaneret eſſentia.

Reſpondeo negando vtramque partem obiectionis: priorem quidem, quia ad hoc vt fiat creatio, ſatis eſt vt producatur aliquid exiſtens ex nullo exiſtente: non eſt verò neceſſe, vt fiat etiã ex nihilo ratione eſſentiæ vniuerſalis, quæ non dicit actualitatem, ſed tantũ potentiam & aptitudinem realem ad exiſtendum. Idem proportione ſeruatâ dicendum eſt ad poſteriorem eiuſdem conſecutionis partem.

## ARTICVLVS TERTIVS. ET QVARTVS.

*De eſſentia & affectionibus eſſentiæ.*

MIrum videri non debet ſi eſſentiæ eſſentiam quæramus; illa enim eſt aliquod ens reale, quod definitione explicari poteſt ſub ipſa ratione eſſentiæ: Meritò igitur dixeris, *eſſentiam eſſe id, quod in re qualibet primum eſt, & quod conſtituitur ſub aliquo genere entis*, vel à poſteriori dicas, *eſſentiam id totum eſſe, quod definitionem eſſentialem ingreditur*, ſi animal rationale dicitur hominis eſſentia, quia eius definitionem eſſentialem ingreditur.

Leuioribus eſſe affectionibus prætermiſſis, hæc vna potiſſimum occurrit exponenda, quę ſit diſtinctio inter eſſentiam.

Suarez 2. tomo Metaph. diſp. 30 ſect. 6. num. 3. putat eſſentiam & exiſtentiam, vel diſtingui, vt ens & nihil: vel ſola ratione.

Explicatur hæc ſententia iuxta mentem auctoris, vt ego potui percipere, eſſentia vel ſumitur pro non, repugnãtia rei, quæ dicitur poſſe à Deo creari, & fieri exiſtens, vel p[illegible] actuali. Si priori modo eſſentia ſumatur; apertè docet exiſtentiam ab ea diſtingui

vt ens à nihilo, quia dicet eiuſmodi eſſentiam non eſſe veram, ſed propriè nihil, exiſtentiam verò aliquid reale & actu: ſi verò poſteriori modo, affirmat inter eſſentiam & exiſtentiam ſolam diſtinctionem rationis reperiri, quia actualis entitas ſecum inuoluit exiſtentiam.

Verum hæc ſententia leui manu refellitur, & primò quoad priorem partem ſupre confutata fuit, ibi enim probatum eſt eſſentiam ſecundum ſe eſſe veram & realem, imò in ea includi quicquid realitatis poteſt pertinere ad propriam & præciſam rationem eſſentiæ.

Secundum item poſteriorem partem hæc ſententia probatur, etenim aut per entitatem actualem intelligit illã, quæ actuatur per exiſtentiam, & ſic habet falſum, cùm aſſerit illam entitatem ab exiſtentia ſola ratione diſtingui, nam maior requiritur diſtinctio, nempè modalis, vt infra patebit: aut per entitatem actualem intelligit aggregatum ex eſſentia, & exiſtentia, ita vt eiuſmodi entitas, quam vocat eſſentiam, tam ipſam exiſtentiam, quam eſſentiam comprehendat, & ſic impropriè vſurpat nomen eſſentię, quæ ſimplex eſt, & non includit in ſuo formali cõceptu exiſtentiam. Et certè ſi valere hæc ſententia & modus quo procedit, pari iure diceremus, ſubſtantiam, & albedinem non aliam diſtinctionem habere quàm rationis, quia poteſt ſumi pro aggregato ex ipſa ſubſtantia & albedine, quod tamen ſatis videtur ineptum, & ab hominibus reiicitur.

Confirmatur, ens quatenus ſignificat eſſentiam, eſſentialiter prædicatur de creaturis non item quatenus ſignificat exiſtentiam: quia, vt ipſemet Suarez fatetur; exiſtentia non eſt de eſſentia creaturæ, ergo inter eſſentiam & exiſtentiam, debet eſſe maior diſtinctio quam rationis.

Secunda ſententia aſtruit diſtinctionem realem inter eſſentiam & exiſtentiam, ſolétque tribui D Thom. 1. parte q. 3. art. 4. & allis in locis.

Refellitur tamen hæc vnica ratione, ad diſtinctionem realem propriè loquendo requiritur mutua extremorum ſeparatio, ita vtrúmque ſeparatum exiſtere non repugnet: ſed ſublatâ eſſentiâ tollitur exiſtentia, vt notum eſt, ergo eſſentia realiter non diſtinguitur ab exiſtentia.

Obiicies primò, illa diſtinguuntur realiter quorum vnum habetur abſque cauſæ efficientis interuentu, alterum non niſi per eius efficientiam producitur; atqui eſſentia rei habetur abſque cauſæ efficientis interuentu, exiſtentia verò eſt tantum per illius efficientiam, ergo, &c.

Reſpondeo negando maiorem, cùm fieri poſſit, vt duorum, quorum vnum ſine efficientia eſt, aliud per efficientiã, alterum ab altero reipſa ſeparari non poſſit, vt patet in exemplo exiſtentiæ & eſſentiæ, quia nequit ab eſſentia vllatenus ſeparari.

Obiicies ſecundò nulla res eſt potentia ad id, cum quo eſt realiter idem: atqui eſſentia eſt in potentia ad exiſtentiam, ergo non eſt idem realiter cum ipſa exiſtentia, proindéque realiter diſtinguitur.

Reſpondeo negatione maioris, fieri enim poteſt vt aliquid habeat potentiã ad aliud à ſe formaliter tantum vel modaliter diſtinctum, non tamen propriè realiter, quo pacto defendimus eſſentiam habere potentiam ad exiſtentiam à ſe modaliter diſtinctam, non tamen realiter, & intellectum habere potentiam ad intellectionem, à qua realiter non diſtinguitur, ſed tantum



Google

formaliter.

Denique obiicies, ſi exiſtentia & eſſentia non diſtinguerentur realiter, non poſſet intelligi eſſentia cum oppoſito exiſtentiæ, nempe cum non exiſtentia, ſeu ante exiſtentiam, at hoc ſupradictis repugnat, ergo, &c.

Reſpondeo negando conſecutionem maioris: nam præter quam quod eſſentia poteſt eſſe ſine exiſtentia, opporteret viciſſim exiſtentiam poſſe ſine exiſtentia, quod nõprobat argumentum.

Vltima ſententia omnium probabiliſſima, ideóque noſtra, eſt Scoti in tertium quæſtione ſexta, diſtinctione ſecunda. Heruei quodlibeto 1. q. 9. & 10. inter eſſentiam & exiſtentiam ſolam diſtinctionem modalem inueniri, adeò vt poſſit quidem eſſentia ſecũdũ ſe eſſe ſine exiſtentia; quod ego addo: iuxta mea principia, non tamẽ cõtrà.

Hæc ſententia ex præcedentium refutatione ſatis colligitur & demonſtratur, ſola diſtincti rationis inter eſſentiam & exiſtentiam non ſufficit, realis diſtinctio maior eſt quàm par ſit, ergo inter eſſentiam & exiſtentiam intercedere poteſt diſtinctio vel propriè formalis, vel modalis, ſed non propriè formalis, quia hęc poſtulat eſſe inter duas res, quarum vna non ſit modus alterius, ſicut exiſtentia eſt modus eſſētię, ergo debet eſſe modalis.

Obiicit Suares, eſſentia Angeli abſque vllo modo ſuperaddito intelligitur exiſtens, ergo exiſtentia non eſt modus eſſentiæ.

Sed ſaluo eius honore infirmum eſt antecedens; quia exiſtere, vt ipſemet fatetur, non eſt de formali conceptu vllius eſſentiæ creatæ, ſiue Angelicæ, ſiue corporeæ, qua propter illi ſupperadatur neceſſe eſt.

Inſtat, ſi exiſtentia ſit modus eſſentiæ ſuperadditus, futurum eſt vt res in conceptum eſſentiæ &, conceptum illius modi, nempe exiſtentiæ, reſolui debeat: at hoc fieri non poteſt, quia tunc illius eſſentiæ deberet eadem fieri reſolutio, ergo, &c.

Minor neganda eſt, eſto enim res poſſit reſolui in conceptum eſſentiæ, & conceptum illius modi, quem vocamus exiſtentiam, non ſequetur tamen eſſentiam ipſam adhuc eſſe reſoluendã in duos alios conceptus, ſicut licet homo reſoluatur in animam & corpus; non ſequitur animam debere reſolui in animam & corpus, idem dicas de corpore.

## QVÆSTIO SECVNDA
*De exiſtentia.*

## ARTICVLVS PRIMVS ET SECVNDVS.
*De eius nomine & exiſtentia.*

PEr exiſtentiam intelligunt Philoſophi modum aliquem rebus conferentem quòd ſint actuales & de facto extra cauſarum ſuarum poteſtatem cõſtitutæ, quomodo verno tempore roſæ dicuntur eſſe, quia non ſunt amplius in poteſtate ſuarum cauſarũ vt producantur, ſed iam productæ ſunt.

Porrò cùm exiſtentia ita ſe habeat, vt eius beneficio omnia exiſtant debet & ipſa neceſſariò exiſtere.

Occurres, ſi exiſtentia exiſtat, ergo datur exiſtentia exiſtentiæ, quod videtur incommodum, alioquin huius alterius exiſtentiæ quærenda eſſet exiſtentia, & ſic in infinitum.

Reſpondeo negatione conſequentiæ nam quemadmodum non datur vnitatis vnitas, licet vnitas verè ſit vna ſed per ſe ipſam vna eſt, ita ſimiliter licet verè exiſtentia, exiſtat non tamẽ habet exiſtentiam à ſe diſtinctam, ſed per ſeipſam exiſtit.

Digitized by Google

Rogabis in quo ſubiecto recipiatur exiſtencia.

Reſpondeo in eſſentia, quippe quæ ei aduenit tanquam modus, illámque formaliter denominat exiſtentem, non ſecus ac albedo parietem album. Sed cùm eſſentia ſit duplex, vniuerſalis & ſingularis, vt ſuprà monuimus, adhuc difficultas excitatur, num exiſtentia tantum ſit eſſentiæ ſingularis, an verò & vniuerſalis, ſeu (quod eodem recidit) vtrùm ſola ſingularia exiſtant, an verò & vniuerſalia, ad cuius rei explicationem.

Notandum eſt aliquid poſſe exiſtere duobus modis, primò in actu exercito, ſecundo in actu ſignato. Illud dicitur in actu exercito exiſtere, ad quod verè terminatur exiſtentia, vt ſunt ſine dubio ſingularia, illud verò in actu tantum ſignato dicitur exiſtere, ad quod non terminatur per ſe ipſa exiſtentia, ſed duntaxat per aliud, quomodo vniuerſalia exiſtere, nempè beneficio ſingularium, non autem in actu exercito.

Rogabis preterea quæ ſit cauſa efficiens exiſtentiæ. Non deſunt ex D. Thomæ diſcipulis qui aſſerant ſolum Deum eſſe cauſam efficientem exiſtentię, háncque à nullis cauſis ſecundis eſſe poſſe.

Longè tamen probabilius reliqui exiſtimant cauſas etiam ſecundas dici poſſe cauſas efficientes exiſtentiæ. Probatur, generatio eſt actio cauſæ ſecundæ, vt ſupponimus ex Phyſica, ſed per generationem producitur exiſtentia, ergo per actionem cauſæ ſecundæ exiſtentia efficitur. Minor probatur, forma quæ ante generationem in ſola materię poteſtate continebatur, eiuſdem generationis beneficio incipit exiſtere, & educit ex poteſtate materiæ, ergo per generationem producitur exiſtentia. Confirmatur, aut per actionē cauſę ſecūdæ producitur aliquid reale actualiter, aut nihil; ſi prius, ergo per actionem cauſæ ſecundæ producitur exiſtentia, ſi poſterius, ergo fruſtranea illa actio, imò nulla eſt.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De eſſentia exiſtentiæ.*

Singularis ſententia fuit Auicennæ libro 5. Metaphyſ. exiſtentiam eſſe quoddam accidens rebus ita aduenięs, vt ab ipſis ſine earum interitu ſeparari poſſit.

Aſſerendum tamen eſt exiſtentiam eſſe actum, & terminum eſſentiæ, atque adeo ad illud genus entis reuocari ad quod ipſa eſſentia reducitur, ita D. Thom. q. 5. de potentia art. 4. Caietanus & alii.

Probatur, non quidem quòd exiſtentia ſit actus & terminus eſſentiæ, quia hoc ſatis conſtat ex prædictis, ſed quòd debeat collocari ſub illo genere, ſub quo reponitur eſſentia per illam terminata licet indirectè, & reductiuè: alia debet eſſe ratio exiſtentiæ ſubſtantię, & exiſtentiæ accidentium, tum quia illa dicitur ſubſtantialis, nulla verò accidentium exiſtentia ita nuncupatur, tum quia generatio dicitur ſubſtantialis, quæ terminatur ad exiſtentiam ſubſtantiæ; ea autem productio accidentaria, quæ terminatur ad exiſtentiam accidentis, ergo alia eſt ratio exiſtentiæ ſubſtantialis, & accidentalis & conſequenter ratione illius diuerſitatis ad diuerſa genera reuocari debent exiſtentia ſubſtantiæ, & exiſtentia accidens, illa ad ſubſtantiam, hæc ad accidens, tanquā modus vtriuſque, non verò tanquam propria ſubſtantia, aut proprium accidens.

Obiicies, exiſtentia prædicatur acci-



Digitized by Google

dentariò tantum de re creata: ergo eſt accidens illius.

Diſtinguo antecedens, exiſtentia prędicatur de re creata accidentariò, id eſt non eſſentialiter, tanquam attributum eſſentiale, concedo; accidentariò id eſt tanquam accidens aliquod propriè dictum, nego: eodem modo diſtinguenda eſt conſequentia, ergo exiſtentia eſt accidens rei creatę: id eſt non aliquid ei eſſentiale, concedo; id eſt aliquod propriè dictum accidens, nego.

Confirmatur hæc ſolutio. Exiſtentia eſt de genere tráſcendétium, rebus omnibus, ſubſtantiis videlicet & acciden-ti[illegible] conueniens: ergo non eſt accidés aliquod categoricum & prædicamentale, ſeu propriè dictum.

Confirmatur præterea, quodlibet accidens, vel eſt commune, vel proprium: ſed exiſtentia neque dici poteſt accidens commune, neque proprium, ergo abſolutè non eſt accidens. Maior certa eſt, minor probatur, & primò quoad priorem partem accidens commune ita competit rei, vt ab illa integra remanente ſeparari poſſit, vt docet Porphyrius, in ſua Introductione cap. de accidente, at nequit exiſtentia ſic à re creata ſeparari; quia eo ipſo quod res creata eſt, eo habet exiſtentiam: ergo exiſtentia non eſt accidens commune. Probatur item quoad poſteriorem partem, accidens proprium ſupponit ſubiectum exiſtens, à quo debet manere, vt docent Philoſophi, ſed exiſtentia non ſupponit, imò facit ſubiectum exiſtens, ergo exiſtentia non eſt accidens.

ARTICVLVS QVARTVS.

*De affectionibus exiſtentiæ.*

ROgabis primò, quid per exiſtentia realem, & formalem intelligi debeat, & quo modo inter ſe diſtinguátur. Huius difficultatis explicandæ gratia.

Notandum eſt res aliquas eſſe ab aliis realiter ſeparabiles, vt corpus ab anima, & vice verſa: alias eſſe ab aliis reipſa inſeparabiles, & tantum formaliter diſtinctas, vt ſunt actio, & paſſio: quo notato.

Reſpondeo breuiter per exiſtentiam realem, eam intelligi quæ eſt inter res realiter ſeparabile vt inter materiam & formam, lignum & lapides, & ſic de cæteris. Per formalem verò eam intelligi, quæ eſt inter res minimè realiter ſeparabiles, eſſentialiter tamen diſtinctas, vt inter actioné & paſſionem.

Rogabis ſecundò, vtrum ſicut partes phyſicæ ſuas habent partiales & incompletas exiſtentias ex doctrina phyſicorum, ita & gradus metaphyſici in aliquo ſingulari exiſtentes, habeant etiam partiales ſuas exiſtentias.

Reſp. affirmatiuè, ſed cum explicatione, quia enim gradus metaphyſici ſunt actualiter, ſicut partes phyſicæ, ideo habent ſuas exiſtentias ſicut ipſæ partes phyſicæ: quia verò partes phyſicæ ſunt à ſe inuicem ſeparabiles & realiter diſtinctæ, gradus verò illi metaphyſici non item, ſed tantum ex natura rei, ille habebunt reales exiſtentias, hi verò tantummodò formales.

QVÆSTIO TERTIA.

*De Subſiſtentia.*

ARTICVLVS PRIMVS ET SECVNDVS.

*De nomi[illegible] & exiſtentia ſubſtantia.*

SVbſiſtentia nihil eſt aliud, quàm modus ſubſtantiæ proprius, quo in ipſa conſtituitur independenter à quolibet ſubſtentante.

Digitized by Google

Pluribus aliis modis nuncupatur, nam imprimis vocatur *hypoſtaſis* à Græcis, vocatur etiam *ſuppoſitalitas*, à qua *ſuppoſitum* dicitur. additur nomen *perſonalitatis* perſonam conſtituens. Sed hoc poſtremum vocabulum aliquid differt à reliquis; ſi quidem ſubſiſtentia, ſiue hypoſtaſis, ſiue ſuppoſitalitas dicit tantùm modum exiſtendi per ſe & independenter à ſubſtentante in ſubſtantia, perſonalitas verò addit determinationem ſubſtantiæ rationalis, vnde fit vt perſona à Boëtio lib. de duabus naturis definita ſit *intellectualis naturæ ſubſiſtentia*.

Ex quo colligere eſt ſubſiſtentiam eſſe velut genus ad perſonalitatem, & ſpeciales aliarum ſubſtantiarum, ſubſiſtẽtias: nam ſubſiſtentia in communi dicit tantùm in ſe exiſtere, independenter à ſuſtentante, quod perſonalitati & ſpecialibus aliarum ſubſtantiarum ſubſiſtentiis commune eſt, perſonalitas verò addit tanquam differentiam & determinationem naturæ intellectualis, ſeu quod ſit ſubſtantia naturæ intellectualis.

Circa ſubſiſtentiæ exiſtentiam nulla eſt difficultas, quippe quæ ab omnibus conceditur tanquam id quod ſubſtantiam in ſe ponit.

## ARTICVLVS TERTIVS.

### *De eſſentia ſubſiſtentiæ.*

Communiter ſubſiſtentia definitur, *modus naturam ſubſtantialem in ſe, & alteri incommunicabilem conſtituens*.

Dicitur primò *modus*, quia ſicuti exiſtentia eſſentiam modificat, ipſam terminando & actu conſtituendo, ita ſubſiſtentia naturam illam ſubſtantialem, cuius eſt terminus, & quam in ſe conſtitui, rectè dicitur modificare,

Dicitur ſecundò *conſtituens naturam ſubſtantialem*, ad differentiam exiſtentiæ quæ eſt indifferens ad conſtituendam naturam ſubſtantialem, vel accidentalem.

Adiungitur tertiò *in ſe*, per quam particulam ſubſiſtentiam opponitur inhærentiæ, quæ contrarium confert accidenti, nempè modum exiſtendi in alio.

Tandem ponitur *& alteri incommunicabilem*, circa quam particulam grauis oritur difficultas propter ſubſiſtentiam abſolutam, quam pleríque Theologi conſtituunt formaliter in eſſentia diuina: illa enim, quia eam non reddit communicabilem aliis tribus perſonis *ſacratiſſimæ Trinitatis* communicari non poſſet, quod eſt hæreticum. Quocirca cùm multi vellent omnem incommunicabilitatem ſubſtantiæ tribuere ratione ſuæ ſubſiſtentiæ, non dubitarunt hanc ſubſiſtentiam abſolutam & eſſentialem à diuina eſſentia remouere.

Verùm quamuis hæc ſententia non ſit improbabilis, ſed facilè ſuſtineri poſſet, quia tamen magis placet contraria, iuxta illius fundamenta ſubſiſtentiæ incommunicabilitatem explicabimus.

Notandum igitur primò duplicem, quoad hoc negotium refert, diſtingui communicationem vnius rei ad aliam vna enim eſt communicatio rei ad rem realiter, ſed ſaltem ex natura rei diſtinctam, quo pacto forma materiæ communicatur: & vice verſa, alia eſt communicatio quæ fit ad rem aliquam ſolâ ratione à ſe diſtinctam, quomodo natura diuina dicitur communicari tribus perſonis.

Notandum ſecundò, communicationem ſuppoſiti hoc loco eſſe conferendam cum altero ſuppoſito vt ſit ſenſus ſubſiſtentiam dare ſuppoſito modũ ſubſiſtendi incommunicabiliter alteri ſuppoſito, non naturæ; quamquam

enim diuinum Verbum habeat ſuam ſubſiſtentiam, non deſinit tamen communicari naturæ humanæ, propria ſua ſubſiſtentia deſtitutæ. His poſitis.

Dicendum eſt incommunicabilitatem ſubſiſtentiæ debere explicari de incommunicabilitate alterius ſuppoſiti realiter, vel formaliter diſtincti, non autem ſola ratione ratiocinata.

Ratio, quia alias abſoluta & communis ſubſiſtentia, quæ in eſſentia diuina à melioris notæ Theologis admittitur, non reddit naturam diuinam prorſus incommunicabilem, ſed tantum reſpectu eorum, à quibus realiter, & ex natura rei diſtinguitur.

Confirmatur, proprium munus ſubſiſtentiæ eſt ponere ſuſtantiam in ſe, non autem incommunicabiliter niſi extrinſecè, id eſt, facta comparatione ad alia, cum quibus comparari non poteſt: ſubſtantia optimè compatitur cum his quæ ſola ratione ratiocinata ab ipſa diſtinguuntur, ergo ſubſiſtentia non confert ſubſtantiæ incommunicabilitatem alteri rei, quæ à ſe realiter, vel ex natura rei diſtinctæ, non autem ſola ratione ratiocinata.

Vbi obiter notandum eſt ſubſiſtentiam non ſolum retribuere ſubſtantiæ incommunicabilitatem illam (de qua egimus,) ſed quoque eam in ſe retinere: ſicut enim ſuppoſitum alteri ſuppoſito à ſe realiter vel ex natura rei diſtincto eſt incommunicabile: ita eius ſubſiſtentiam eodem modo eſt incommunicabilis.

## ARTICVLVS QVARTVS.

*De affectionibus ſubſiſtentiæ.*

### MEMBRVM PRIMVM.

*Vtrum ſubſiſtentia & ſuppoſitum diuiſibilia ſint, vel indiuiſibilia.*

Reſpondeo poſſe eſſe diuiſibilia, tam in partes eſſentiales, quàm integrantes, & quantitatiuas.

Probatur, ſuppoſitum hominis eſt compoſitum ex duplici partiali ſuppoſito, materiæ, videlicet & formæ in quæ diuidi poteſt, ergo apparet manifeſta quædem ſuppoſiti, & conſequenter ſubſiſtentiæ diuiſibilitas in partes eſſentiales. De integrantibus idem patet, baculus ſex pedum in ſex partes diſſecetur, vnaquæque pars erit ſuppoſitum, ergo perſpicuum eſt totale ſuppoſitum poſſe diuidi in partes integrantes.

Dixi poſſe, ſi quidem non eſt neceſſe ſuppoſitum eſſe diuiſibile, ſed poteſt eſſe indiuiſibile, nempe in rebus indiuiſibilibus, puta in Angelis & anima rationali.

Quædam difficultas hic exoritur, quæ quamuis ad Phyſicam pertinere videatur, hic tamen commodè explicari poteſt, vtrum ſcilicet anima rationalis adhuc exiſtens in corpore per ſe ſubſiſtat. Nonnulli negant, eo quod ſubſiſtere per ſe videatur includere negationem exiſtendi in alio, etiam per modum formæ Alii affirmant, hócque fundamentum negant, & nos ipſis ſubſcribimus.

Primò, quia anima rationalis prius intelligitur per creationem producta, quàm corpori vnita, & in eo inſtanti concipitur per ſe ſubſiſtens, ergo etiam in eo inſtanti quo informat corpus erit ſubſiſtens. Hæc conſequentia probatur, in eodem inſtanti temporis ipſa anima non accipit ſubſiſtentiam & deperdit: ſed in eodem tempori inſtãti creatur, per quam creationem accipit ſubſiſtentiam, & informat corpus, ergo in eo inſtanti quo informat corpus, habet quandam ſubſiſtentiam, & cum

cum non ſit maior repugnantia de toto tempore, quo informat, quàm de vno inſtanti: quia ſi quæ ſit repugnantia de toto tempore, illa maximè petitur ex incompoſſibilitate informationis cum ſubſiſtentia per ſe, quæ non apparet maior in toto tempore, quàm in vno aliquo inſtanti, hinc fit vt toto tempore, quo anima rationalis ſuum corpus informat, dicatur per ſe ſubſiſtere.

Secundò, quod non ſubſiſtit per ſe, debet ab alio ſuſtentari: ſed anima rationalis exiſtens in corpore à nullo ſuſtentatur, vt omnes concedunt, ergo per ſe in eo ſubſiſtit.

## MEMBRVM SECVNDVM.

*De diſtinctione ſuppoſiti à natura ſingulari.*

ALij hanc quæſtionem ſub aliis terminis ſolent ſupponere *quidnam ſuppoſitum naturæ ſingulari ſuperaddat.*

Prima ſententia Durando aſcribitur primo ſent. diſt. 14. q. 1. Henrico Gandauenſi quodlibeto 4. quæſt. 4. & omnibus ferè Thomiſtis, ſuppoſitum à natura ſingulari ſola ratione diſtingui, illique nihil ſuperaddere.

Secunda ſententia eſt Scoti in tertium diſt. 1. q. 1. ſuppoſitum ſupra naturam ſingularem addere negationem exiſtendi in alio.

Tertia & omnium probaliſſima ſententia noſtra eſt, quam his propoſitionibus explicamus.

*Prima propoſitio.*

SVppoſitum addit aliquid ſupra naturam ſingularem, hæc propoſitio eſt contra primam ſententiam.

Probatur primò authoritate Epiphanii in 5. ſynodo, actione 6. verſus finem, vbi ait *hæreticos ideò errare, quia nihil aliud agunt, quàm vt oſtendit naturam & hypoſtaſim idem eſſe: quæ ſanè inter ſe diſferre veri Eccleſiæ alumni agnoſcunt.*

Probatur ſecundò ratione, hæc videtur inepta propoſitio, Petrus eſt ſua humanitas, imò propriè loquendo falſa eſt; at ſi ſuppoſitum Petri (quod ſimiliter dicendum eſt de aliarum omnium rerum ſuppoſitis,) nihil ſupra naturam eius ſingularem adderet, vera eſſet iſta propoſitio: nam eius falſitas deberet ſumi ex aliquo, quod reipſa eſſet in Petro, & non in ſua humanitate: ergo neceſſe eſt vt ſuppoſitum addat aliquid ſupra naturam ſingularem.

*Secunda propoſitio.*

SVppoſitum non addit tantùm ſupra naturam ſingularem negationem aliquam.

Probatur primò contra ſecundam ſententiam, quia aliàs diceremus tres ſuper benedictæ Trinitatis perſonas tribus negationibus conſtitui, quia conſtituuntur per ſubſiſtentias, quod abſurdum eſt, & contra omnium Theologorum ſententias.

Secundò verbum diuinum in aſſumpta humanitate ſuppleuit aliquid reale, & non ſolam negationem, ſed id tantùm ſuppleuit, quod ſuppoſito peculiare eſt, & naturæ ſingulari ſupperadditur, nempe ſubſiſtentiam; ergo id quod ſuppoſitum addit ſupra naturam ſingularem, nempè ſubſiſtentia, non eſt aliqua negatio, ſed quidpiam reale.

Denique per ſubſiſtentiam habet ſubſiſtentia realiter, vt non ſit in alio, ergo per aliquid poſitiuum & reale id habet, ergo ſubſiſtentia eſt aliquid reale ſuperadditum naturæ ſingulari.

Obiicies, Verbum diuinum per incarnationem aſſumpſit rem omnem quam in natura humana plantauit, ex D. Damaſceno 3. de fide orthodoxa ca. 6. atqui non aſſumpſit ſubſiſtentiam

ſecundum ſe ſint, & an eſſe cœperint in tempore, quo cum ipſis creatis extiterunt: Vbi.

Notandum eſſentiam eſſe duplicem quod ſpectat ad hoc inſtitutum, alteram particularem, vt Petri, Pauli, & aliorum indiuiduorum: alteram vniuerſalem, humanam, v. g. equinam, & alias: quo poſito, non eſt dubium quin eſſentia particularis cœperit eſſe in tempore, cùm particulare dicat naturam contractam, quæ quidem non contrahitur, niſi quando ipſa particularia producuntur, quod quidem tantum fit in tempore: agitanda hîc ſolũ eſt celeberrima illa, & à tot phyſicis vtriúſque ætatis tam acriter controuerſa quæſtio, an eſſentiæ vniuerſales præceſſerint exiſtentias, quæ ſunt tantum ſingularium, atque adeò fuerint ab æterno.

Prima ſententia, ſatis reuera & nimis hoc tempore communis habet, eſſentias, etiam vniuerſales, non præceſſiſſe exiſtentias, ſeu res non prius fuiſſe ſecundum eſſe eſſentiæ, quàm exiſtentiæ.

Contraria tamen ſententia omnino præferenda eſt, & animosè propugnãdo, eſſentias ſecundum ſe ſpectatas, & quatenus vniuerſales, fuiſſe ante exiſtentias ſingularium, imò & ab æterno.

Hanc ſententiam in Logica validâ, ſatíſque prolixâ ratione probauimus cuius ſenſum hîc breuiter conſtringimus. Ad vniuerſalem eſſentia duo tantum requiruntur, aptitudo ad exiſtendum in multis, & vnitas eſſentiæ, atqui hęc duo conueniunt naturæ ante exiſtentiam ſingularium, ergo, &c.

Priorem minoris partem probauimus. Aptitudo pręcedit actum, vt aptitudo ſcribendi actum ſcribendi, ergo natura habuit aptitudinem ad exiſtendum in multis ſingularibus, antequam in illis extiterit: non remotam tantum, vt aduerſarii reſpondent, quia remota ſecundum illos conuenit tantum naturæ in ſingularibus exiſtenti, in quo ſtatu remouenda eſt ſingularitas, nos autem naturam ante ſingularia accipimus; ſed verè proximam, quia proximè intelligitur poſſe conuenire pluribus. Poſteriorem verò partem oſtendimus; quia natura vniuerſalis, v. g. humana, non eſt multiplex ante ſingularia, puta ante ſingulares homines, cum illis tantum multiplicetur, proindéque vna eſt.

Sed audio nonnullos occurrentes, eſſentiã nihil omnino eſſe. proindéque nec vnam, nec aptam ante exiſtentiam ſingularium.

Verum iſtud eodem modo ac in Logica facilè refellitur: ſcientia realis eſt de ente reali: ergo eſſentię vniuerſales, de quibus tantùm ſcientia eſt (excepta ſcientia de Deo) debent eſſe reales.

Hoc argumentum non aliter ſoluit Suarez, quàm intentum concedendo, ſic enim loquitur: *At denique eodem modo ſcientiæ, quæ conſiderant res abſtrahendo ab exiſtentia, non ſunt de entibus rationis, ſed de realibus, quia conſiderant eſſentias reales non ſecundum ſtatum quem habent obiectiuè in intellectu, ſed ſecundum ſe, vel quatenus apta ſunt ad exiſtendum cum talibus naturis, & proprietatibus*: quod totum & ſolum inquirimus. Ne tamen ſibi ipſi contrarius videatur, notat ex Caietano ens reale dupliciter accipi: Primò, vt diuiditur contra non ens actu exiſtens: Secundò, vt diuiditur contra non ens reale: & quidem poſteriori modo fatetur eſſentiam poſſibilem realem eſſe, negat in priori.

Verùm hæc ſolutio (bonâ pace Suarez magni alioquin viri, & acutiſſimi Philoſophi & Theologi) omnino impertinens

pertinens eſt, ſi quidem hic non eſt queſtio vtrum eſſentia vniuerſalis apta exiſtere in multis, ſit realis, quando reale idem ſignificat quod actuale, quęreretur enim an eſſentia priuſquam ſit realis, fit realis, quod ineptum eſt, nec eget tam prolixa demonſtratione, qualem habet ipſe Suarez; ſed ſolum in eo verſatur quæſtio, an illud eſſe poſſibile ad exiſtendum quod intelligitur in eſſentia, poſſit dici reale realitate eſſentiæ & non exiſtentiæ: quod poſterius ſi neget Suarez ſatis refellitur ex dictis, ampliúſque hac ratione confutatur.

Eſſentia in ſuo formali conceptu includit aliquam realitatem, & aliquod verum eſſe, ſed illa eſſentia eſt ſine exiſtentia, ergo ſine exiſtentia datur aliquod verum eſſe & reale.

Probatur maior, ſi eſſentia non ſit realis, ergo in re qualibet ſola exiſtentia erit realis cum modis eam conſequentibus, at hoc dici non poteſt tum quia exiſtentia eſſet nobilior eſſentia, & modus re modificata, reale enim nobilius eſt non reali, tum quia modus realis non poteſt afficere rem aliam quàm realem, proindéque cùm exiſtẽtia afficiat eſſentiam, eſſentia debet eſſe realis.

Minor verò probatur, eſſentia in ſuo formali conceptu non dicit eſſe actuale, ſed poſſibile ſecundum eos, & ſecundũ nos in Logica actu: atqui eſſe poſſibile ad exiſtendum præcedit exiſtentiam, quæ facit eſſe actuale, vt intelligitur ex ſupradictis, ergo eſſentia ſecundum ſuũ formalem conceptum conſiderata antecedit exiſtentiam.

Sola maior huius ſyllogiſmi confirmanda eſt: eſſentia id tantum includit in ſuo formali conceptu, quod manet præciſo illo modo, quem ei ſuperaddit exiſtentia, quoniam talis modus non eſt de interno eius conceptu, atqui præciſo tali modo ſolum remanet eſſe poſſibile ad exiſtendum & eſſe actu, nõ actuale, cùm eiuſmodi modus ſuperaddat eſſentiæ actualitatem, quâ ſublatâ res tantum manet poſſibilis ad exiſtẽtiam & in actu eſſentiæ, ergo eſſentia in ſuo formali conceptu includit ſolum eſſe poſſibile ad exiſtendum: Atque hãc noſtram ſententiam vt cúmque indicat Capreolus in ſecundam diſt. 1. q. 2. art. 3. cùm ait, eſſentiam fuiſſe aliquid in genere eſſentiarum, licet non in genere entium actualium, ſeu exiſtentium.

Confirmatur hæc ratio: ſi eſſentia nullam habeat realitatem diſtinctam à realitate exiſtentiæ: ergo nec perfectionem, ergo res vna non eſt in eſſentia perfectior quàm alia, Angelus quàm homo, homo quàm muſca, muſca quàm lapis, &c. quod omnino videtur falſum.

Reſpond. fortè aduerſarij res non eſſe perfectiores in eſſentia abſtracta ab exiſtentia, ſed coniuncta.

Contra, exiſtentia non dat aliam realitatem & perfectionem eſſentiæ, quàm ſuam ipſam realitatem, & perfectionem: ergo ſiue eſſentia ſit ſeparato, ſiue coniuncta cum exiſtentia, ſi nullam ex ſe realitatem habeat diſtinctam à realitate exiſtentię, res omnes erunt in eſſentia æqualis perfectionis.

Probatur antecedens: aut exiſtentia dat realitatem & perfectionem eſſentiæ, cur coniungitur in genere cauſæ efficientis, vel in genere cauſæ formalis: non in genere cauſæ efficientis, quia eſt tantùm modus; nec vllus eſt, qui eam faciat cauſam efficientem eſſentię: ſi in genere cauſæ formalis, ergo nullã aliam confert realitatem & perfectionem, quàm ſuam. Hæc vltima conſequentia oſtenditur, & exemplo facili corroboratur: quia albedo dat tantum



Digitized by Google

parieti quod ſit albus in genere cauſę formalis, veriſſimum eſt parietem non eſſe album, niſi per rationem ipſam albedinis: vnde fit, vt tota ratio inæqualitatis inter res albas petatur ex albedinibus, non ex ipſis variis rebus, quæ non aliundè, quàm ex ipſa albedine albæ ſunt: ergo ſi tantum in genere cauſę formalis exiſtentia conferat realitatem & perfectionem eſſentiæ, cui coniungitur eſſentia non habet aliam realitatem & perfectionem quam exiſtentiæ: proindéque inæqualitas realitatis, & perfectionis ex iſtis tantùm exiſtentiis non ex ipſis diuerſis eſſentiis deſumitur: & conſequenter orietur incommodum prædictum, quòd nulla res ſit magis realis & perfecta, quàm alia, contra communem ſenſum omnium: ergo eſſentia habet diſtinctam realitatem & perfectionem à realitate & perfectione exiſtentiæ, & conſequenter ante illam, vt patet ex ratione iam facta.

Primo obiicies Solus Deus eſt æternus ex omnibus partibus, ergo fictitiæ ſunt illæ eſſentiæ reales, quas ante ſingularia, & ab æterno conſtituimus.

Diſtinguo antecedens, ſolus Deus eſt æternus per exiſtentiam, & propriâ æternitate, quæ ſit menſura rei exiſtētis, concedo: per eſſentia verò, & propriâ æternitate, quę ſolum dicat negationem initii, nego.

Rurſus obiicies, ſi eſſentiæ præceſſiſſent exiſtentias, Deus per creationem nihil potuiſset producere, nec ſimiliter poſset quicquam annihilare, quod abſurdum: prior pars conſecutionis patet, quia creatio debet fieri ex nihilo, quod eſset impoſſibile, ſi eſſentię precederent exiſtentias.

Poſterior etiam manifeſta eſt, quia ſi eſſentiæ antecederent exiſtentias, eas etiam ſubſequerentur, ſicque cùm annihilatio rem prorſus de medio tollat, illa nunquam fieri poſſet, quia ſemper remaneret eſſentia.

Reſpondeo negando vtramque partem obiectionis: priorem quidem, quia ad hoc vt fiat creatio, ſatis eſt vt producatur aliquid exiſtens ex nullo exiſtente: non eſt verò neceſſe, vt fiat etiā ex nihilo ratione eſſentiæ vniuerſalis, quæ non dicit actualitatem, ſed tantū potentiam & aptitudinem realem ad exiſtendum. Idem proportione ſeruatâ dicendum eſt ad poſteriorem eiuſdem conſecutionis partem.

## ARTICVLVS TERTIVS.
## ET QVARTVS

*De eſſentia & affectionibus eſſentiæ.*

MIrum videri non debet ſi eſſentiæ eſſentiam quæramus; illa enim eſt aliquod ens reale, quod definitione explicari poteſt ſub ipſa ratione eſſentiæ: Meritò igitur dixeris, *eſſentiam eſſe id, quod in re qualibet primum eſt, & quod conſtituitur ſub aliquo genere entis*, vel à poſteriori dicas, *eſſentiam id totum eſſe, quod definitionem eſſentialem ingreditur*, ſi animal rationale dicitur hominis eſſentia, quia eius definitionem eſſentialem ingreditur.

Leuioribus eſſe affectionibus prætermiſſis, hæc vna potiſſimum occurrit exponenda, quę ſit diſtinctio inter eſſentiam.

Suarez 2. tomo Metaph. diſp. 30 ſect. 6. num. 3. putat eſſentiam & exiſtentiam, vel diſtingui, vt ens & nihil: vel ſola ratione.

Explicatur hæc ſententia iuxta mentem auctoris, vt ego potui percipere, eſſentia vel ſumitur pro non repugnantia rei, quæ dicitur poſſe à Deo creari, & fieri exiſtens, vel p[illegible] [illegible]ntitate actuali. Si priori modo eſſentia ſumatur; apertè docet exiſtentiam ab ea diſtingui

627

vt ens à nihilo, quia dicet eiuſmodi eſſentiam non eſſe veram, ſed propriè nihil, exiſtentiam verò aliquid reale & actu: ſi verò poſteriori modo, affirmat inter eſſentiam & exiſtentiam ſolam diſtinctionem rationis reperiri, quia actualis entitas ſecum inuoluit exiſtentiam.

Verum hæc ſententia leui manu refellitur, & primò quoad priorem partem ſupre confutata fuit, ibi enim probatum eſt eſſentiam ſecundum ſe eſſe veram & realem, imò in ea includi quicquid realitatis poteſt pertinere ad propriam & præciſam rationem eſſentiæ.

Secundum item poſteriorem partem hæc ſententia probatur, etenim aut per entitatem actualem intelligit illã, quæ actuatur per exiſtentiam, & ſic habet falſum, cùm aſſerit illam entitatem ab exiſtentia ſola ratione diſtingui, nam maior requiritur diſtinctio, nempè modalis, vt infra patebit: aut per entitatem actualem intelligit aggregatum ex eſſentia, & exiſtentia, ita vt eiuſmodi entitas, quam vocat eſſentiam, tam ipſam exiſtentiam, quam eſſentiam comprehendat, & ſic impropriè vſurpat nomen eſſentię, quæ ſimplex eſt, & non includit in ſuo formali cóceptu exiſtentiam. Et certè ſi valere hæc ſententia & modus quo procedit, pari iure dicerem, ſubſtantiam, & albedinem non aliam diſtinctionem habere quàm rationis, quia poteſt ſumi pro aggregato ex ipſa ſubſtantia & albedine, quod tamen ſatis videtur ineptum, & ab hominibus reiicitur.

Confirmatur, ens quatenus ſignificat eſſentiam, eſſentialiter prædicatur de creaturis non item quatenus ſignificat exiſtentiam: quia, vt ipſemet Suarez fatetur; exiſtentia non eſt de eſſentia creaturæ, ergo inter eſſentiam & exiſtentiam, debet eſſe maior diſtinctio quam rationis.

Secunda ſententia aſtruit diſtinctionem realem inter eſſentiam & exiſtentiam, ſolétque tribui D Thom. 1. parte q. 3. art. 4. & aliis in locis.

Refellitur tamen hac vnica ratione, ad diſtinctionem realem propriè loquendo requiritur mutua extremorum ſeparatio, ita vtrúmque ſeparatum exiſtere non repugnet: ſed ſublatã eſſentiã tollitur exiſtentia, vt notum eſt, ergo eſſentia realiter non diſtinguitur ab exiſtentia.

Obiicies primò, illa diſtinguuntur realiter quorum vnum habetur abſque cauſæ efficientis interuentu, alterum non niſi per eius efficientiam producitur; atqui eſſentia rei habetur abſque cauſæ efficientis interuentu, exiſtentia verò eſt tantum per illius efficientiam, ergo, &c.

Reſpondeo negando maiorem, cùm fieri poſſit, vt duorum, quorum vnum ſine efficientia eſt, aliud per efficientiã, alterum ab altero reipſa ſeparari non poſſit, vt patet in exemplo exiſtentiæ & eſſentiæ, quia nequit ab eſſentia vllatenus ſeparari.

Obiicies ſecundò nulla res eſt potentia ad id, cum quo eſt realiter idem: atqui eſſentia eſt in potentia ad exiſtentiam, ergo non eſt idem realiter cum ipſa exiſtentia, proindéque realiter diſtinguitur.

Reſpondeo negatione maioris, fieri enim poteſt vt aliquid habeat potentiã ad aliud à ſe formaliter tantum vel modaliter diſtinctum, non tamen propriè realiter, quo pacto defendimus eſſentiam habere potentiam ad exiſtentiam à ſe modaliter diſtinctam, non tamen realiter, & intellectum habere potentiam ad intellectionem, à qua realiter non diſtinguitur, ſed tantum



Digitized by Google

formaliter.

Denique obiicies, ſi exiſtentia & eſſentia non diſtinguerentur realiter, non poſſet intelligi eſſentia cum oppoſito exiſtentiæ, nempe cum non exiſtentia, ſeu ante exiſtentiam, at hoc ſupradictis repugnat, ergo, &c.

Reſpondeo negando conſecutionem maioris: nam præter quam quod eſſentia poteſt eſſe ſine exiſtentia, opporteret viciſſim exiſtentiam poſſe ſine exiſtentia, quod nõprobat argumentum.

Vltima ſententia omnium probabiliſſima, ideóque noſtra, eſt Scoti in tertium quæſtione ſexta, diſtinctione ſecunda. Heruei quodlibeto 1. q. 9. & 10. inter eſſentiam & exiſtentiam ſolam diſtinctionem modalem inueniri, adeò vt poſſit quidem eſſentia ſecũdũ ſe eſſe ſine exiſtentia; quod ego addo: iuxta mea principia, non tamẽ cõtrà.

Hæc ſententia ex præcedentium refutatione ſatis colligitur & demonſtratur, ſola diſtincti rationis inter eſſentiam & exiſtentiam non ſufficit, realis diſtinctio maior eſt quàm par ſit, ergo inter eſſentiam & exiſtentiam intercedere poteſt diſtinctio vel propriè formalis, vel modalis, ſed non propriè formalis, quia hęc poſtulat eſſe inter duas res, quãtum vna non ſit modus alterius, ſicut exiſtentia eſt modus eſſẽtię, ergo debet eſſe modalis.

Obiicit Suares, eſſentia Angeli abſque vllo modo ſuperaddito intelligitur exiſtens, ergo exiſtentia non eſt modus eſſentiæ.

Sed ſaluo eius honore infirmum eſt antecedens; quia exiſtere, vt ipſemet fatetur, non eſt de formali conceptu vllius eſſentiæ creatæ, ſiue Angelicæ, ſiue corporeæ, qua propter illi ſuppera datur neceſſe eſt.

Inſtat, ſi exiſtentia ſit modus eſſentiæ ſuperadditus, futurum eſt vt res in conceptum eſſentiæ &, conceptum illius modi, nempe exiſtentiæ, reſolui debeat: at hoc fieri non poteſt, quia tunc illius eſſentiæ deberet eandem fieri reſolutio, ergo, &c.

Minor neganda eſt, eſto enim res poſſit reſolui in conceptum eſſentiæ, & conceptum illius modi, quem vocamus exiſtentiam, non ſequetur tamen eſſentiam ipſam adhuc eſſe reſoluendã in duos alios conceptus, ſicut licet homo reſoluatur in animam & corpus; non ſequitur animam debere reſolui in animam & corpus, idem dicas de corpore.

## QVÆSTIO SECVNDA
### De exiſtentia.
### ARTICVLVS PRIMVS. ET SECVNDVS.
### De eius nomine & exiſtentia.

Per exiſtentiam intelligunt Philoſophi modum aliquem rebus conferentem quòd ſint actuales & de facto extra cauſarum ſuarum poteſtatem cõſtitutæ, quomodo verno tempore roſæ dicuntur eſſe, quia non ſunt amplius in poteſtate ſuarum cauſarũ vt producantur, ſed iam productæ ſunt.

Porrò cùm exiſtentia ita ſe habeat, vt eius beneficio omnia exiſtant debet & ipſa neceſſariò exiſtere.

Occurres, ſi exiſtentia exiſtat, ergo datur exiſtentia exiſtentiæ, quod videtur incommodum, alioquin huius alterius exiſtentiæ quærenda eſſet exiſtentia, & ſic in infinitum.

Reſpondeo negatione conſequentiæ nam quemadmodum non datur vnitatis vnitas, licet vnitas verè ſit vna ſed per ſe ipſam vna eſt, ita ſimiliter licet verè exiſtentia, exiſtat non tamẽ habet exiſtentiam à ſe diſtinctam, ſed per ſeipſam exiſtit.

Digitized by Google

Rogabis in quo ſubiecto recipiatur exiſtentia.

Reſpondeo in eſſentia, quippe quæ ei aduenit tanquam modus, illámque formaliter denominat exiſtentem, non ſecus ac albedo parietem album. Sed cùm eſſentia ſit duplex, vniuerſalis & ſingularis, vt ſuprà monuimus, adhuc difficultas excitatur, num exiſtentia tantum ſit eſſentiæ ſingularis, an verò & vniuerſalis, ſeu (quod eodem recidit) vtrum ſola ſingularia exiſtant, an verò & vniuerſalia, ad cuius rei explicationem.

Notandum eſt aliquid poſſe exiſtere duobus modis, primò in actu exercito, ſecundo in actu ſignato. Illud dicitur in actu exercito exiſtere, ad quod verè terminatur exiſtentia, vt ſunt ſine dubio ſingularia, illud verò in actu tantum ſignato dicitur exiſtere, ad quod non terminatur per ſe ipſa exiſtentia, ſed duntaxat per aliud, quomodo vniuerſalia exiſtere, nempè beneficio ſingularium, non autem in actu exercito.

Rogabis pręterea quæ ſit cauſa efficiens exiſtentiæ. Non deſunt ex D. Thomæ diſcipulis qui aſſerant ſolum Deum eſſe cauſam efficientem exiſtentię, hàncque à nullis cauſis ſecundis eſſe poſſe.

Longè tamen probabilius reliqui exiſtimant cauſas etiam ſecundas dici poſſe cauſas efficientes exiſtentiæ. Probatur, generatio eſt actio cauſæ ſecundæ, vt ſupponimus ex Phyſica, ſed per generationem producitur exiſtentia, ergo per actionem cauſæ ſecundæ exiſtentia efficitur. Minor probatur, forma quæ ante generationem in ſola materię poteſtate continebatur, eiuſdem generationis beneficio incipit exiſtere, & educit ex poteſtate materiæ, ergo per generationem producitur exiſtentia. Confirmatur, aut per actionẽ cauſę ſecũdæ producitur aliquid reale actualiter, aut nihil; ſi prius, ergo per actionem cauſæ ſecundæ producitur exiſtentia, ſi poſterius, ergo fruſtranea illa actio, imò nulla eſt.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De eſſentia exiſtentiæ.*

Singularis ſententia fuit Auicennæ libro 5. Metaphyſ. exiſtentiam eſſe quoddam accidens rebus ita aduenięs, vt ab ipſis ſine earum interitu ſeparari poſſit.

Aſſerendum tamen eſt exiſtentiam eſſe actum, & terminum eſſentiæ atque adeo ad illud genus entis reuocari ad quod ipſa eſſentia reducitur, ita D. Thom. q. 5. de potentia art. 4. Caietanus & alii.

Probatur, non quidem quòd exiſtentia ſit actus & terminus eſſentiæ, quia hoc ſatis conſtat ex prædictis, ſed quòd debeat collocari ſub illo genere, ſub quo reponitur eſſentia per illam terminata licet indirectè, & reductiuè: alia debet eſſe ratio exiſtentiæ ſubſtantię, & exiſtentiæ accidentium, tum quia illa dicitur ſubſtantialis, nulla verò accidentium exiſtentia ita nuncupatur, tum quia generatio dicitur ſubſtantialis, quæ terminatur ad exiſtentiam ſubſtantiæ; ea autem productio accidentaria, quæ terminatur ad exiſtentiam accidentis, ergo alia eſt ratio exiſtentiæ ſubſtantialis, & accidentalis & conſequenter ratione illius diuerſitatis ad diuerſa genera reuocari debent exiſtentia ſubſtantiæ, & exiſtentia accidens, illa ad ſubſtantiam, hæc ad accidens, tanquã modus vtriuſque, non verò tanquam propria ſubſtantia, aut proprium accidens.

Obiicies, exiſtentia prædicatur acci-



Digitized by Google

dentariò tantum de re creata: ergo eſt accidens illius.

Diſtinguo antecedens, exiſtentia prędicatur de re creata accidentariò, id eſt non eſſentialiter, tanquam attributum eſſentiale, concedo; accidentariò id eſt tanquam accidens aliquod propriè dictum, nego: eodem modo diſtinguenda eſt conſequentia, ergo exiſtentia eſt accidens rei creatę: id eſt non aliquid ei eſſentiale, concedo; id eſt aliquod propriè dictum accidens, nego.

Confirmatur hæc ſolutio. Exiſtentia eſt de genere trāſcendētium, rebus omnibus, ſubſtantiis videlicet & accidentibus conueniens: ergo non eſt accidēs aliquod categoricum & prædicamentale, ſeu propriè dictum.

Confirmatur præterea, quodlibet accidens, vel eſt commune, vel proprium: ſed exiſtentia neque dici poteſt accidens commune, neque proprium, ergo abſolutè non eſt accidens. Maior certa eſt, minor probatur, & primò quoad priorem partem accidens commune ita competit rei, vt ab illa integra remanente ſeparari poſſit, vt docet Porphyrius, in ſua Introductione cap. de accidente, at nequit exiſtentia ſic à re creata ſeparari; quia eo ipſo quod res creata eſt, eo habet exiſtentiam: ergo exiſtentia non eſt accidens commune. Probatur item quoad poſteriorem partem, accidens proprium ſupponit ſubiectum exiſtens, à quo debet manere, vt docent Philoſophi, ſed exiſtentia non ſupponit, imò facit ſubiectum exiſtens, ergo exiſtentia non eſt accidens.

## ARTICVLVS QVARTVS.

*De affectionibus exiſtentia.*

ROgabis primò, quid per exiſtentiam realem, & formalem intelligi debeat, & quo modo inter ſe diſtinguātur. Huius difficultatis explicandæ gratia.

Notandum eſt res aliquas eſſe ab aliis realiter ſeparabiles, vt corpus ab anima, & vice verſa: alias eſſe ab aliis reipſa inſeparabiles, & tantum formaliter diſtinctas, vt ſunt actio, & paſſio: quo notato.

Reſpondeo breuiter per exiſtentiam realem, eam intelligi quæ eſt inter res realiter ſeparabile vt inter materiam & formam, lignum & lapides, & ſic de cæteris. Per formalem verò eam intelligi, quæ eſt inter res minimè realiter ſeparabiles, eſſentialiter tamen diſtinctas, vt inter actionē & paſſionem.

Rogabis ſecundò, vtrum ſicut partes phyſicæ ſuas habent partiales & incompletas exiſtentias ex doctrina phyſicorum, ita & gradus metaphyſici in aliquo ſingulari exiſtentes, habeant etiam partiales ſuas exiſtentias.

Reſp. affirmatiuè, ſed cum explicatione, quia enim gradus metaphyſici ſunt actualiter, ſicut partes phyſicæ, ideo habent ſuas exiſtentias ſicut ipſæ partes phyſicæ: quia verò partes phyſicæ ſunt à ſe inuicem ſeparabiles & realiter distinctæ, gradus verò illi metaphyſici non item, ſed tantum ex natura rei, illæ habebunt reales exiſtentias, hi verò tantummodò formales.

## QVÆSTIO TERTIA.

*De Subſiſtentia.*

## ARTICVLVS PRIMVS ET SECVNDVS.

*De nomine, & exiſtentia ſubſtantia.*

SVbſiſtentia nihil eſt aliud, quàm modus ſubſtantiæ proprius, quo in ipſa conſtituitur independenter à quolibet ſubſtentante.

Digitized by Google

Pluribus aliis modis nuncupatur, nam imprimis vocatur *hypoſtaſis* à Græcis, vocatur etiam *ſuppoſitalitas*, à qua *ſuppoſitum* dicitur. additur nomen *perſonalitatis* perſonam conſtituens. Sed hoc poſtremum vocabulum aliquid differt à reliquis; ſiquidem ſubſiſtentia, ſiue hypoſtaſis, ſiue ſuppoſitalitas dicit tantùm modum exiſtendi per ſe & independenter à ſubſtentante in ſubſtantia, perſonalitas verò addit determinationem ſubſtantiæ rationalis, vnde fit vt perſona à Boëtio lib de duabus naturis definita ſit *intellectualis naturæ ſubſiſtentia*.

Ex quo colligere eſt ſubſiſtentiam eſſe velut genus ad perſonalitatem, & ſpeciales aliarum ſubſtantiarum, ſubſiſtẽtias: nam ſubſiſtentia in communi dicit tantùm in ſe exiſtere, independenter à ſuſtentante, quod perſonalitati & ſpecialibus aliarum ſubſtantiarum ſubſiſtentiis commune eſt, perſonalitas verò addit tanquam differentiam & determinationem naturæ intellectualis, ſeu quod ſit ſubſtantia naturæ intellectualis.

Circa ſubſiſtentiæ exiſtentiam nulla eſt difficultas, quippe quæ ab omnibus conceditur tanquam id quod ſubſtantiam in ſe ponit.

## ARTICVLVS TERTIVS.

### *De eſſentia ſubſiſtentiæ.*

COmmuniter ſubſiſtentia definitur, *modus naturam ſubſtantialem in ſe, & alteri incommunicabilem conſtituens.*

Dicitur primò *modus*, quia ſicuti exiſtentia eſſentiam modificat, ipſam terminando & actu conſtituendo, ita ſubſiſtentia naturam illam ſubſtantialem, cuius eſt terminus, & quam in ſe conſtituit, rectè dicitur modificare,

Dicitur ſecundò *conſtituens naturam ſubſtantialem*, ad differentiam exiſtentiæ quæ eſt indifferens ad conſtituendam naturam ſubſtantialem, vel accidentalem.

Adiungitur tertiò *in ſe*, per quam particulam ſubſiſtentiam opponitur inhærentiæ, quæ contrarium confert accidenti, nempè modum exiſtendi in alio.

Tandem ponitur *& alteri incommunicabilem*, circa quam particulam grauis oritur difficultas propter ſubſiſtentiam abſolutam, quam plerique Theologi conſtituunt formaliter in eſſentia diuina: illa enim, quia eam non reddit communicabilem aliis tribus perſonis *ſacratiſſimæ Trinitatis* communicari non poſſet, quod eſt hæreticum. Quocirca cùm multi vellent omnem incommunicabilitatem ſubſtantiæ tribuere ratione ſuæ ſubſiſtentiæ, non dubitarunt hanc ſubſiſtentiam abſolutam & eſſentialem à diuina eſſentia remouere.

Verùm quamuis hæc ſententia non ſit improbabilis, ſed facilè ſuſtineri poſſet, quia tamen magis placet contraria, iuxta illius fundamenta ſubſiſtentiæ incommunicabilitatem explicabimus.

Notandum igitur primò duplicem, quoad hoc negotium refert, diſtingui communicationem vnius rei ad aliam vna enim eſt communicatio rei ad rem realiter, ſed ſaltem ex natura rei diſtinctam, quo pacto forma materiæ communicatur: & vice verſa, alia eſt communicatio quæ fit ad rem aliquam ſolâ ratione à ſe diſtinctam, quomodo natura diuina dicitur communicari tribus perſonis.

Notandum ſecundò, communicationem ſuppoſiti hoc loco eſſe conferendam cum altero ſuppoſito vt ſit ſenſus ſubſiſtentiam dare ſuppoſito modũ ſubſiſtendi incommunicabiliter alteri ſuppoſito, non naturæ; quamquam

Digitized by Google

cum non ſit maior repugnantia de toto tempore, quo informat, quàm de vno inſtanti: quia ſi quæ ſit repugnantia de toto tempore, illa maximè petitur ex incompoſſibilitate informationis cum ſubſiſtentia per ſe, quæ non apparet maior in toto tempore, quàm in vno aliquo inſtanti, hinc fit vt toto tempore, quo anima rationalis ſuum corpus informat, dicatur per ſe ſubſiſtere.

Secundò, quod non ſubſiſtit per ſe, debet ab alio ſuſtentari: ſed anima rationalis exiſtens in corpore à nullo ſuſtentatur, vt omnes concedunt, ergo per ſe in eo ſubſiſtit.

## MEMBRVM SECVNDVM.

*De diſtinctione ſuppoſiti à natura ſingulari.*

Alij hanc quæſtionem ſub aliis terminis ſolent ſupponere *quidnam ſuppoſitum naturæ ſingulari ſuperaddat.*

Prima ſententia Durando aſcribitur primo ſent. diſt. 14. q. 1. Henrico Gandauenſi quodlibeto 4. quæſt. 4. & omnibus ferè Thomiſtis, ſuppoſitum à natura ſingulari ſola ratione diſtingui, illique nihil ſuperaddere.

Secunda ſententia eſt Scoti in tertium diſt. 1. q. 1. ſuppoſitum ſupra naturam ſingularem addere negationem exiſtendi in alio.

Tertia & omnium probaliſſima ſententia noſtra eſt, quàm his propoſitionibus explicamus.

*Prima propoſitio.*

Svppoſitum addit aliquid ſupra naturam ſingularem, hæc propoſitio eſt contra primam ſententiam.

Probatur primò authoritate Epiphanii in 5. ſynodo, actione 6. verſùs finem, vbi ait *hæreticos ideò errare, quia nihil aliud agunt, quàm vt oſtendit naturam & hypoſtaſim idem eſſe: quæ ſanè inter ſe differre veri Eccleſiæ alumni agnoſcunt.*

Probatur ſecundò ratione, hæc videtur inepta propoſitio, Petrus eſt ſua humanitas, imò propriè loquendo falſa eſt; at ſi ſuppoſitum Petri (quod ſimiliter dicendum eſt de aliarum omnium rerum ſuppoſitis,) nihil ſupra naturam eius ſingularem adderet, vera eſſet iſta propoſitio: nam eius falſitas deberet ſumi ex aliquo, quod reipſa eſſet in Petro, & non in ſua humanitate: ergo neceſſe eſt vt ſuppoſitum addat aliquid ſupra naturam ſingularem.

*Secunda propoſitio.*

Svppoſitum non addit tantùm ſupra naturam ſingularem negationem aliquam.

Probatur primò contra ſecundam ſententiam, quia aliàs diceremus tres ſuper benedictæ Trinitatis perſonas tribus negationibus conſtitui, quia conſtituuntur per ſubſiſtentias, quod abſurdum eſt, & contra omnium Theologorum ſententias.

Secundò verbum diuinum in aſſumpta humanitate ſuppleuit aliquid reale, & non ſolam negationem, ſed id tantùm ſuppleuit, quod ſuppoſito peculiare eſt, & naturæ ſingulari ſuperadditur, nempe ſubſiſtentiam; ergo id quod ſuppoſitum addit ſupra naturam ſingularem, nempè ſubſiſtentia, non eſt aliqua negatio, ſed quidpiam reale.

Denique per ſubſiſtentiam habet ſubſiſtentia realiter, vt non ſit in alio, ergo per aliquid poſitiuum & reale id habet, ergo ſubſiſtentia eſt aliquid reale ſuperadditum naturæ ſingulari.

Obiicies, Verbum diuinum per incarnationem aſſumpſit rem omnem quam in natura humana plantauit, ex D. Damaſceno 3. de fide orthodoxa ca. 6. atqui non aſſumpſit ſubſiſtentiam

ex omnibus Theologis: igitur ſubſiſtentia in natura ſubſtantiali non eſt res aliqua, proindéque tantùm negatio ſupradicta.

Distingo antecedens, diuinum Verbum aſſumpſit rem omnem, quam in natura humana plantauit: quatenus natura eſt, concedo; quatenus verò perſona, nego.

*Tertia propoſitio.*

QVòd ſuppoſitum addit naturæ ſingulari, non eſt aliquod accidens ipſius naturę, niſi certè illud dicatur accidens, quod non eſt de eſſentia rei, quæ acceptio nimis eſt impropria.

Probatur, tum quia dici nequit cuiuſmodi ſit illud accidens tum quia diuinum Verbum ſuppleuiſſet duntaxat aliquod accidés naturæ humanæ, quod nullus Theologorum admittet.

*Quarta propoſitio.*

SVppoſitum addit ſupra naturam ſingularem modum aliquem exiſtendi actu in ſe incommunicabiliter alteri ſuppoſito diſtincto, quæ propoſitio ex ſuperioribus ſatis manet confirmata.

Explicata ſubſiſtentia, de inhærentia accidentis videretur agendum, ſed commodiùs infrà, vbi de accidente verba faciemus.

## QVÆSTIO QVARTA.

*De Entitate.*

VT breuiter intelligatur quid ſit entitas, à quibus diſtinguatur, docendum eſt.

Differt igitur ab eſſentia, vt modus à re modificata, quia eſt modus aliquis valdè internus eſſentiæ, vnde fit vt pro illa non infrequenter ſumatur.

Secundò diſtinguitur ab exiſtentia, quòd exiſtentia ſemper eandem rationem dicat, nempè poſitionem rei extra ſuas cauſas; entitas verò non ita, vt patebit infra.

Tertiò differt à ſubſiſtentia, & inhærentia, tum quòd ſint modi exiſtendi, entitas verò eſſendi, tum quòd ſubſiſtentia ſoli ſubſtantiæ ſit propria, & inhærentia ſoli accidenti, entitas verò vtrique communis ſit, id eſt, locum habeat, tam in ſubſtantia, quàm in accidente, licet diuerſa ratione.

Rogabis iam quibúſnam rebus tribui poſſit entitas? ad ſolutionem quæſtionis huius.

Notandum eſt primò res alias eſſe ſpiritales, alias materiales.

Notandum ſecundò rerum ſpiritalium quaſdam intenſionem & remiſſionem, extenſionem item & contractionem ſuſcipere, vt ſunt amor & ſcientia: alias cuiuſuis intenſionis eſſe expertes, vt eſt Angeli ſubſtantia, vna cum ſuis facultatibus & potentiis. Quibus poſitis, ſit.

*Prima propoſitio.*

ENtitas reperitur in rebus materialibus & corporeis: explicatur propoſitio, ſimúlque.

Probatur, res materiales, vel ſunt diuiſibiles in partes poſt partes, cuiuſmodi ſunt tempus, & motus, vel in partes intra partes, vt res intenſionem & remiſſionem ſuſcipientes, calor, frigus, & ſimiles qualitates: vel denique in partes extra partes, vt corpus quantitatiuum: atqui diuiſibilitas illa in talibus rebus non attenditur penes illarum eſſentiam, ſed penes entitatem; non enim aliquid corpus habet ab eſſentia quod ſit maius aut minus, nec materia quod ſit maior vel minor, nec etiam ab aliquo accidente, puta quantitate, quia eſto corpus & materia abſque vlla quantitate ſpectemus, manet tamen corpus vnum altero maius, maior vna materia quàm alia, puta corpus vel materia Elephantis corpore aut materiâ muſcæ. Item quantitas magis

interdum exporrecta eſt, maioréſque habet partes, aliquando minores & contractiores: ſed hoc non habet ab eſſentia, quia hæc poſtulat tantum conſtitutionem partium extra partes, nulla habita ratione maioris vel minoris extenſionis illarum, igitur id illi conuenit per aliquem modum ab eſſentia, proinde modaliter diſtinctum, quem nos entitatem nuncupamus.

Poſtremò id patet in qualitatibus, etenim quod vna aliquando ſit intenſior aliâ eiuſdem ſpeciei, non poteſt prouenire ab eſſentia, quia eſſentiæ ſunt omnino indiuiſibiles inſtar numerorum, ita vt nec detractionem nec additionem patiantur, proindéque tantùm deſumitur ab aliquo modo, nempè entitate.

Obiicies, quod eſt cauſa ſecundum ſuam eſſentiam, vt aliquod ſuſcipiat magis & minus; ſecundum ſuam eandem eſſentiam, & vt tale eſt, ſuſcipit magis & minus, iuxta tritum axioma, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale*: atqui qualitas, verbi gratia calor, eſt cauſa ſecundum ſuam eſſentiam cur aliquid ſuſcipiat magis & minus, verbi gratia, vnum calidum ſit altero calidius vel minus calidum: ergo qualitas vt qualitas ſecundum ſuam eſſentiam ſuſcipit magis & minus.

Quicquid ſit de maiori, minor neganda eſt, nam à calore ſecundum eſſentiam res tantum habet quod ſit calida; quòd verò ſit magis, vel minus calida, eſt ab entitate caloris.

*Secunda propoſitio.*

Entitas reperitur in iis accidentibus ſpiritalibus, quæ vel intenſionem, vel remiſſionem ſuſcipiunt, vt amor, ſcientia, &c. vel extenſionem & contractionem, vt ſunt duratio ibi, &c.

Ratio eſt, quia illa omnia & ſimilia de ſe, & naturâ ſua non poſtulant tales affectiones, ac per conſequens illis ſolum adueniunt ratione ſuarum entitatum.

*Poſtrema propoſitio.*

Rebus formaliter ſpiritalibus entitas conuenit.

Probatur, ideò ſupra qualitatibus tam materialibus quàm immaterialibus entitatem attribuimus, quod modò magis, modò minus intendantur, non tamen per eſſentiam, quod pariter de quantitate diximus, ergo cùm ſubſtantiæ ſpiritales, nempè Angeli & animæ rationales interdum magis extendantur ſaltem extenſione virtuali, non quidem per eſſentiam, quia ex ſupradictis eſſentiæ ſunt indiuiſibiles, illis neceſſariò entitas tribuenda erit.

## TRACTATVS TERTIVS.

*De eſſentia & conceptu entis, vnica diſputatione contentus.*

### SECTIO PRIMA. ET SECVNDA.

*De nomine conceptus & exiſtentia.*

Conceptus dicit relationem ad mentem concipientem, ſeu obiecti ſimilitudinem formantem.

Generatim dari patet ex ipſius diuiſionibus, quarum generaliſſima traditur in formalem, & obiectiuum.

Formalis *conceptus eſt actualis rei ſimilitudo ad intellectu per intellectionem expreſſa*: ab aliis vocatur actio mentis, éſtque de facto eius proles, ac eam informat, vnde formalis nuncupatus eſt, & intentio actiua: intentio quidem, quia per eam intendit intellectus obiectum ſuũ percipere: actiua verò, ad diſtinctionem poſterioris conceptus, qui dicitur obiectiuus, vocatúrque etiam intentio, ſed paſſiua, quia eſt id ad quod terminatur ipſa actiua mentis intentio. Dicitur autẽ cõceptus non propriè, ſed cũ addito, nempè obiectiuus, eo quod



Digitized by Google

ſit obiectum conceptum, & per actionem mentis expreſſum. Vterque conceptus facili exemplo explicari poteſt aliquis propoſiti ſibi animalis conceptum & naturam formet, ratio illa quam de eo per ſuam intellectionem exprimet, ſeu verbum, vt loquuntur, efformatum, vocabitur formalis conceptus, animal verò ipſum cognitum, obiectiuus.

Secundò, vtérque conceptus, tam formalis, quàm obiectiuus, diuiditur in conceptum re vnum, & conceptum ſola ratione vnum. Conceptus vnus re formalis vulgò dicitur qui eſt vna reipſa ſimilitudo & vnum accidens rei conceptæ repræſentatiuum, & hic tam in ſynonymis, quàm in analogis locum habet, omnia enim illa vana reipſa intellectione exprimuntur.

Cóceptus verò formalis ratione vnus, ille eſt qui repræſentat naturam eiuſdem rationis in multis, verbi gratia naturam humanam, quæ æqualiter diffunditur in ſingulos homines, & hic conceptus ſolis rebus ſynonymis conuenire poteſt: idem de conceptu obiectiuo ſeruata proportione dicendűeſt.

Denique diuiditur conceptus, tam obiectiuus, quàm formalis, in conceptum re præciſum, & conceptum ſola ratione præciſum. Conceptus reipſa pręciſus dicitur, qui eſt reipſa diuerſus à quibuſlibet aliis conceptibus, qualis eſt ille quo mens noſtra intelligit communem rationem animalis, is enim ab omnibus aliis planè conceptibus eſt reipſa diſtinctus.

Conceptus verò ratione præciſus vulgò deſcribitur qui nihil eorum includit, quę propria ſunt conceptibus, à quibus eſt præciſus, talis eſt præfatus animalis conceptus, cùm neque ratione neque irrationale (quæ ſunt proprię differentiæ ſuorum inferiorum, puta hominis & bruti, à quibus abſtrahitur) eſſentialiter includat, vt habet communis Philoſophorum ſententia, & nos in Logica probauimus.

## SECTIO TERTIA.

*De eſſentia conceptus entis.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*De formali entis conceptu.*

VT intelligatur quiſnam ſit formalis entis conceptus, tractanda eſt quæſtio, vtrum proprias inferiorum entium rationes, ac veluti differentias includat, an verò ſit ab illis præciſus & vnus.

Hoc poſterius plurimi Philoſophi negarunt, Caietanus opuſculo de analogia nominum, & Ferrarienſis primo l. contra gentes cap. 34. conceptum duntaxat penes nomen, non autem penes rem ipſam, vnum enti tribuentes. Itémque Fonſeca, qui diſtinctum entis conceptum de medio tollens, in illo tantùm admiſit conceptum, vel planè confuſum, qui nempe confusè ſubſtantias & accidentia repræſentaret, vel partim diſtinctum, & partim confuſum, qui diſtinctè ſolam ſubſtantiam, & accidentia confusè tantum referret.

Porrò vt iſtud cómodè, id eſt fundamentis in Logica poſitis conſentaneè explicetur: Notandum eſt ens duobus modis accipi, vel pro eo quod ſtatuitur genus reſpectu ſubſtantiæ creatæ & accidentium, & eſt ens creatum completum, vel pro eo quod abſtrahit à completo & incompleto, finito, & infinito, éſtque illis omnibus commune. Ex hac diſtinctione non modò præſens ſed omnes aliæ ſequentes difficultates dependent. Sit itaque.

*Prima propoſitio.*

ABſolutè formalis conceptus entis, quocúmque modò ſumatur eſt re vnus.

Probatur, conceptus, vt ſuprà dixi,

Digitized by Google

re vnus dicitur qui eſt vna reipſa ſimilitudo, vnum accidens alicuius rei repræſentatiuum: atqui notio, ſeu conceptus, quem de ente efformat intellectus, eſt vna reipſa ſimilitudo eiuſdem entis expreſſa: & repræſentatiua, ergo eſt vnus re.

*Secunda propoſitio.*

Conceptus formalis entis communis Deo & creaturis, entis completo & incompleto, non eſt reipſa præciſus.

Probatur, conceptus reipſa præciſus debet eſſe ex natura rei, & ante omnem intellectus operam diſtinctus à quibuſlibet aliis conceptibus: ſed formalis ille entis conceptus non diſtinguitur ex natura rei à conceptu inferiorum, ſed ratione tantùm: ſicut & obiectiuus cui correſpondet, vt poſtea probabitur, ergo conceptus entis formalis communiſſimè ſumpti, non eſt reipſa præciſus.

E contrariò verò cùm ens creatum completum diſtinguatur ex natura rei à ſuis inferioribus, vt in Logica probatum eſt: meritò dicitur habere conceptum formalem rei præciſum.

*Tertia propoſitio.*

Conceptus entis, ſaltem eſt ratione ſimpliciter vnus præciſus.

Probatur, conceptus ille formalis verè dicitur ratione ſimpliciter vnus & præciſus, qui vnam naturam ſignificat per rationem ita ab inferioribus præciſam, vt proprias ipſorum rationes nequaquam includat, ſed talis eſt formalis entis conceptus, ergo, &c. Maior patet ex prædictis. Minor probatur, formalis entis conceptus in ſe duntaxat includit, quod cuilibet inferiori conuenire poteſt, quia ens de quolibet inferiori ſuo eſſentialiter prędicatur: atqui illud vnum eſt, nempe eſſe aliquid extra nihil minimè fictum: nec dicit proprias inferiorum entium, ſubſtantiæ v. gratia & accidentis rationes, ſubſtantialitatem & accidentalitatem, ſeu vt alii loquuntur, perſeitatem, & inalietatem, quia nec accidenti conueniret, cùm accidens non dicat ſimul perſeitatem & inalietatem, aliàs ſimul eſſet ſubſtantia & accidens, nec ſubſtātiæ pari ratione: ergo formalis entis conceptus ſignificat vnam naturam ab inferioribus, ratione ſimpliciter pręciſam, ſeu peculiariter eorum differentias nequaquam includentem.

Confirmatur, conceptus formalis entis eſt præciſus ab inferioribus, eorúmque differentias non includit, ſi perfectè ab intellectu poſſit formari, niſi cognitis propriis inferiorum differentiis, ſi enim illas differentias includeret, ipſis incognitis perfectè cognoſci non poſſet, vt ex ſe patet: atqui res ita habet, ergo, &c.

Minor probatur, multi certiſſimè tenent aliquid verè eſſe ens, ignorant tamen an propriè ſit ſubſtantia vel accidens: v. gratia: omnes pro certo habent cœlorum & elementorum formas eſſe entia; inter multos tamen ambigitur, an illæ ſint ſubſtantiæ, an accidentia, verbi gratia, in cœlis lumen, & in elementis quatuor primæ qualitates: ergo poteſt ab intęllectu formari conceptus entis, non cognitis propriis inferiorum entium rationibus.

Obiicies, licet conceptus entis diſtinctè non contineat rationes proprias ſuorum inferiorum; confusè tamen & implicitè, ſeu connotatiuè illas continet, ergo non poteſt eſſe ratione ſimpliciter vnus & præciſus.

Neganda eſt conſeq. genus enim nō definit habere conceptum ratione vnū & pręciſum, quamuis ſpecies ſuas confusè & connotatiuè includat, ex communi doctrina Logicorum.



Digitized by Google

## QVÆSTIO SECVNDA

*De obiectiuo entis conceptu.*

### ARTICVLVS PRIMVS.

*Vtrum ſit ratione ſimpliciter vnus, & præciſus*

RESpondeo affirmatiuè, non tantum de ante creato completo reſpectu ſubſtantiæ creatæ & accidentium, de quo non poteſt eſſe difficultas cum ſit genus, adeòque ſynonymum quid requirat conceptum obiectiuum ratione ſimpliciter præciſum ſed etiam de ente communiſſimè ſumpto, abſtracto à Deo & creaturis.

Prior pars reſponſionis, ſcilicet conceptum entis obiectiuum eſſe ſimpliciter ratione vnum, probatur: ideò formalis, conceptus eſt vnus ratione ſimpliciter; quia obiectiuus, quem repræſentat, eſt quoque vnus ratione ſimpliciter: ergo cùm ſuprà probatum ſit formalem entis conceptum eſſe vnum ratione ſimpliciter, idem hîc de obiectiuo ſtatuendum eſt.

Deinde nomine entis intelligimus aliquid aliud à ſubſtantia & accidente, vt ſuperius de formali conceptu argumentabamur: ergo obiectiuus ille entis conceptus debet eſſe ratione ſimpliciter vnus.

Eodem modo poſterior pars reſponſionis, videlicet obiectiuum entis conceptum, eſſe ratione ſimpliciter præciſum, oſtenditur. Conceptus ille dicitur ratione ſimpliciter præciſus, qui nihil eorum includit, quæ propria ſunt conceptibus à quibus dicitur præciſus: ſed obiectiuus entis conceptus eſt eiuſmodi, non enim includit proprias rationes ſuorum inferiorum, tum quia ſignificaret plura, eaque diſtincta, & ſic deſineret eſſe vnus, tum quia in ſua inferiora diuidi non poſſet, cùm ex hypotheſi ea includere, tum demum quia neque ſubſtantiæ, neque accidenti cõuenirer, cum neutrum vtrámque ſimul rationem ſubſtantiæ & accidentis includat vt de formali argumentabamur.

Obiicies primò ſecundum Ariſtotelem & illuſtriores peripateticos, ens ſignificat decẽ prædicamenta: ergo cõceptus entis non eſt ſimpliciter ratione vnus, & ab inferioribus præciſus.

Reſpondeo ad antecedens, ens ſignificare decem vulgata, ſed non probata prædicamenta, ſecundum communem rationem eſſendi, non verò ſecundum proprias diſtinctáſq; rationes, & ſic nego conſequentiam.

Rurſus obiicies, ſi conceptus obiectiuus entis ſit ratione ſimpliciter præciſus à ſubſtantia & accidente illo præciſo ſubſtantia & accidens nihil erunt, quod eſt abſurdum: ergo conceptus obiectiuꝰ entis nequit ab illis eſſe prȩſcius.

Reſpondeo negando ſequelem antecedentis, etenim ens præſcindi à ſubſtantia & accidente non eſt ab illis ſeparari, ſed eſt ipſum ſpectari ſine propriis eorum rationibus, ſicut animal præſcindi ab homine & bruto, non eſt ab illis ſeparari, quaſi amplius non remaneant animalia, ſed eſt ipſum animal conſiderari ſine hominis, & bruti differentiis rationali & irrationali.

### ARTICVLVS SECVNDVS

*Vtrum conceptus entis obiectiuus ſit reipſa præciſus à ſuis inferioribus, ſeu ante mentis operam diſtinctus.*

RESolutio huius quȩſtionis, etiam ſi quibuſdam videatur valdè difficilis, mihi tamen nunc ſuppoſitis fundamentis ſuperioribus facillima videtur; ſi ſermo ſit de ente creato completo reſpectu ſubſtantiæ creatæ & accidentium, & habeat conceptum præciſum re, id eſt ante mentis operam ab inferiobus diſtinctum, quia illorum eſt genus; genus autem ex Logica diſtinguitur ex natura rei à ſpeciebus. Si verò agatur de ente communiſſimè ſumpto,

vt etiam abſtrahit à Deo & creaturis.

Reſpondeo cum D. Thoma & tota eius ſchola contra Scotum & Scotiſtas, conceptum illũ entis eſſe tãtũ ratione præciſũ non re, ſeu non eſſe diſtinctum ante mẽtis operam à conceptibus ſuorum inferiorum.

Probatur hæc ſententia, primò: ſi ante opus intellectus conceptus obiectiuus entis diſtingueretur à conceptibus obiectiuis ſuorum inferiorum, cùm Deus ſit vnum ex illis inferioribus, re vera daretur aliquid in Deo, nempè eiuſmodi præciſus entis conceptus, ab eo ex natura rei diſtinctus, ſicque verè eſſet & realiter compoſitus, cum vera compoſitio, & realis, nihil ſit aliquid quã duorũ reipſa diſtinctorũ vnio, quod tamen omnibus Theologis repugnat.

Secundò ſi conceptus entis communiſſimè ſumptus eſſet ex natura rei diſtinctus à conceptibus entium inferiorum, puta Dei, & creaturarum, vel illa ab ipſo ente ſe totis & adęquatè diſtinguerentur, vel per incluſionem alicuius in vno, quod non eſſet in alio, ſed ab eo eſſet diuerſum: at neutro modo, ergo. &c. Maior patet, minor probatur quoad priorem partem, quia alioquin ens in illis ſuis inferioribus non includeretur, & ſic illa forent non entia, quod ſatis apparet falſum.

Probatur item quoad poſteriorem partem; illa entis inferiora nihil includunt præter ens communiſſimè ſumptum; nam quod eſt præter tale ens, nihil eſt: ergo nihil eſt in inferioribus entis quod ſit diſtinctum ab ente communiſſimè ſumpto, ergo non diſtinguitur per incluſionẽ alicuius quod realiter ſit in vno, & non ſit realiter in alio, proindéque conceptus obiectiuus entis nullo pacto eſt reipſa à ſuis inferioribus præciſus.

Obiicies primò, ea ſunt reipſa diſtincta, quę ſunt reipſa ſeparabilia, atqui conceptus entis eſt reipſa ſeparabilis, tum à Deo, quia extra illum, nẽpè in creatura reperitur, tum à creatura, quia pariter extra illam in Deo locum habet, ergo eſt re diſtinctus & præciſus à Deo creatura.

Reſpondeo negando minorem ens enim quod eſt in Deo, non ſeparatur ab illo vt ponatur in creatura, aut è contra, ſed per rationem tantum abſtrahitur entis gradus, & cùm Deo, tum creaturæ attribuitur.

Secundò obiicies, ſi conceptus entis non eſſet ex natura rei diſtinctus à cõceptibus Dei & creaturæ, Deus & creatura non poſſent inter ſe conuenire: at hoc abſurdum, ergo, &c. Maior probatur, idem à parte rei non poteſt eſſe principium conuenientiæ & diſcriminis, ergo ſi ens ſit idem ex natura rei cum propriis rationibus Dei & creaturæ, non poterunt Deus & creatura in ente conuenire, cùm in propriis ſuis rationibus diſtinguantur.

Diſtinguenda eſt maior, non poſſunt ens & creatura in ente conuenire, conuenientiã rei, ſeu quæ ſit à parte rei, concedo, conuenientiâ verò tantum rationis, ſeu quæ ſit tantum beneficio intellectus, nego: ad antecedens probationis ſimili reſponſione reſpondendum, idem à parte rei non poteſt eſſe principium conuenientiæ & diſcrimis, ſi nõmodò diſcrimẽ ſit reale, ſed ipſa etiã conueniẽtia ſit realis, cõcedo: ſi verò ſolũ diſcrimẽ ſit reale, & conuenientia rationis, nego. Ita ſe habent Deus, & creatura, nã realiter diſtinguũtur, & ſola ratione in ente cõueniunt.

Deniq; obiicies, ſi cõceptus entis nõ ſit ex natura rei diſtinct⁹ à cõceptib⁹ inferiorũ, Dei, v.g. per idẽ De⁹ cõſtituetur in eſſe Dei & entis; ſed hoc dici nequit, ergo, &c. Prob. minor, ſi per idem Deus

Digitized by Google

conſtitueretur in eſſe Dei, & entis, quicquid haberet eſſentiale entis conſtitutiuũ, haberet etiam conſtitutiuũ eſſẽtiale Dei, ſicque verè eſſet Deus: atqui hoc falſum, quia creatura habet eſſentiale conſtitutiuum entis; non tamen Dei nec Deus dici poteſt, vt conſtat, ergo Deus per idem non conſtituitur in eſſe entis & Dei.

Maior eſt diſtinguẽda, ſi cõceptu entis non eſſe ex natura rei diſtinctus à conceptu Dei, v.g. Deus conſtitueretur in eſſe Dei & entis per idem, reipſa concedo, ratione nego. Etenim Deus in eſſe entis conſtituitur per præciſam entis rationem, in qua nulla inuoluitur peculiaris inferiorum ratio, & in eſſe Dei per propriam ſuam & peculiarem rationem, ſcilicet infinitatem, licet interim duæ illę rationes entis & Dei ſolo rationis diſcrimine ſeparentur. Ad probationem nego ſequelam maioris, cùm enim ratio deïtatis ſit peculiaris, & non includatur in illa ratione entis, quæ per intellectum abſtrahitur ab inferioribus, poteſt creatura habere rationem illam communem & conſtitutiuam entis ſine ratione, &, conſtitutiuo diuinitatis.

## SECTIO QVARTA
### *De affectionibus conceptus entis.*

ROgabis primò quomodo ens contrahatur ad ſua inferiora?

Antequam quæſtioni reſpondeatur, repetenda eſt ſupradicta diſtinctio; ens ſumitur vel pro ente creato completo, quod eſt genus, vel pro ente communiùs ſumpto, vt conuenit tam enti creato, quam increato, tam creaturæ, quàm Deo: ſi ſermo ſit de ente creato completo ſoluitur ſine labore quæſtio, concludendo ipſum ad inferiora contrahi per veras differentias, ſcilicet per perſeïtatem ad ſubſtantiam & per inalietatem ad accidens.

Ratio eſt clara ex dictis in Logica, genus omne contrahi debet ad ſua inferiora per veras differentias, ſed ens creatum completum eſt genus ex Logica, ergo debet contrahi ad ſua inferiora per veras differentias.

Dices differentias illas eſſe entia, ergo includere ſuum genus, quod eſt ens, contra rationem differentiæ.

Diſtinguo antecedens, differentię illæ inferiorum entis creati completi ſunt entia incompleta, concedo; completa nego, ad conſequentiam, ergo includunt ſuum genus, nego; quia illud genus eſt ens completum, non autem incompletum, aut à completo & incompleto abſtractum.

Si verò agatur de ente communiſſimè ſumpto, reſpondeo non contrahi per differentias, ſed per modos intrinſecos.

Prior pars probatur, nulla differentia debet includere ſuum genus ex communi doctrina Logicorum, ſed nulla eſt inferiorum entis communiſſimè ſumpti differentia, quæ ipſum ens non includat, aliàs nihil eſſet, ergo, &c.

Confirmatur, genus & differentia diſtinguuntur ex natura rei, ergo ſi darentur in omnibus inferioribus entis, in Deo verbi gratia, Deus ex duobus ex natura rei diſtinctis coaleſceret, ſicque eſſet compoſitus, contra Theologos.

Poſterior verò explicatur. Ens contrahi per modos intrinſecos eſt contrahi per modos, in quibus includatur, quos verò non includat, ſed ita ſe habet ens reſpectu ſuorum inferiorum, quia contrahitur ad illa: népe ad ens finitũ infinitũ per finitaté & infinitaté in quibus neceſſariò includitur, à quibus tamen ex ſuperioribus ratione ſimpliciter

citer

Digitized by Google

citer præciſum eſt, ergo ipſum ens cõmuniſſimè ſumptum contrahitur ad ſua inferiora per modos intrinſecos.

Suarez dicit hanc fieri contractiónem enti, ad ſua inferiora per conceptus expreſſiores, id eſt ens commune contrahi ad ens finitum, & infinitum per conceptus expreſſiores, ſeu magis determinatos entis, ſcilicet finitatem & infinitatem. Hoc ſanè verum eſt, & cum noſtra ſententia coincidit, differtque tantum in loquendi modo, quem vobis ad libitum eligendum relinquimus.

Rogabis ſecundò, vtrum ens prædicetur de differentiis vltimis, & in illis includatur?

Negat tota Scoti familia in primum diſt, 3. qu. 3 affirmat contra tota D. Thomæ ſchola, vtrámque opinionem noſtra diſtinctione conciliabimus.

Si ſumatur ens creatum completum, non includitur in vltimis differentiis, quia illæ ſunt entia incompleta, non autem completa, quod ſibi fortaſſe voluit Scotus. Si verò intelligatur ens communiſſimè ſumptum, illud neceſſariò includitur in differentiis vltimis, ſecundum mentem D. Thomæ.

Probatur, differentiæ illæ vltimę ſunt reales, tum quia realiter ſpecies infimas conſtituunt, & diſtinguunt, tum quia ſunt radices proprietatum realium, ergo debent includere communiſſimã illam ſaltem entis rationem.

Obiicies, differentiæ vltimæ ſunt ſe totis diuerſæ ex communi ſententia Philoſophorum: ergo in nullo conueniunt, proindéque in ſe non habent communem entis rationem.

Diſtinguo conſequentiã differentiæ vltimæ in nullę cõueniunt realiter, cõcedo; ratione, nego, ſcilicet in cõmuni gradu entis per rationem abſtracto.

Hæc de conceptu entis.

# TRACTATVS QVARTVS, ET POSTREMVS.

*Vnica diſputatione contentus: De affectionibus & proprietatibus entis.*

## SECTIO PRIMA.

*De proprietatibus entis in vniuerſum.*

### QVÆSTIO PRIMA, ET SECVNDA.

*De nomine & exiſtentia proprietatum entis.*

EX doctrina Logicorum proprietas eſt illa quę ita concomitatur eſſentiam, à qua profluit, vt cum ea reciprocetur, vt ſe habet riſibile comparatione hominis. Speciatim proprietas entis eſt aliquid, quod naturam entis perpetuò conſequitur, vt vnitas, veritas, & bonitas: has entis proprietates exiſtere progreſſus ſatis declarabit: hîc ſtatuendum quo numero contineantur. Quod vt præſtemus commodius, ſit.

*Prima propoſitio.*

PRoprietates entis ſunt in duplici differentia, aliæ complexæ, aliæ incomplexæ.

Probatur, quia quædam attribuuntur enti, ita vt ſine deſiunctione ei conueniant, vt tres aſſignatæ vnum, verum, bonum: & hę dicuntur incomplexæ: alię ei ſic attribuuntur, vt non niſi cum diſiunctione ipſi conueniant, vt eſſe actu vel potentia, vel diuerſum, neceſſarium vel contingens, & illæ complexæ proprietates nuncupantur.

*Secunda propoſitio.*

TRes ſunt verè imcomplexæ entis proprietates: nempe vnum, verum bonum, & preter eas nullæ aliæ ſunt admittendæ. Ratio prioris partis eſt, quia illæ aſſignatę reciprocantur cum ente, nec tamen ſunt de interna eius eſſentia, quod ſufficit ad rationem veræ proprietatis, atque hæc ratio ex infrà dicendis magis innoteſcet. Poſterior verò pars probatur, nã ſi quæ aliæ



Digitized by Google

præter aſſignata deberent admitti incomplexæ entis proprietates, maximè hæ, *res, aliquid, vbi duratio*: ſed illæ non ſunt admittendę: ergo nullæ. Probatur minor quoad ſingulas partes,& primò quoad *res*, videtur illa eſſe cum ente ſynonyma, ita vt hæc duo de ſe inuicem non niſi identicè prędicentur, proindèque res non poteſt dici proprietas entis.

Dices ſecundum doctrinam D. Thomæ ens & rem in eo diſcrepare, quòd res abſtrahat ab exiſtentia ens verò non item, ſed exiſtentiam actualem ſemper ſecum inuoluat.

Verùm quicquid ſit, de iſta D. Th. doctrina. quam hoc loco prabare, aut reprobare nolumus, in ea tamen non ſequitur rem eſſe proprietatem entis; potius enim ſequitur rem eſſe attributum maximè quidditatiuum, & ſignificare eſſentiam ab actuali exiſtentia precisam, quæ maximè eſſentiale attributum eſt.

Secunda verò pars minoris, videlicet *aliquid* non poſſe conſtituere diſtinctam aliquam incomplexam entis proprietatem, oſtenditur: nam aliquid vel eo modo ſumitur, vt ſit idem ac habens quidditatem, ſeu eſſentiam, quo pacto contradictoriè nihilo opponitur, vnde oportet, vt quia nihil dicitur quod nullam habet entitatem & eſſentiam, aliquid ſit id quod habet aliquam entitatem & quidditatem: vel ſumitur aliquid ita vt ſit idem ac *aliudquid*: quo pacto conformiùs primæ ſuæ impoſitioni accipitur, ſicque ſignificat negationem identitatis cum alio, quam quidem ſuperaddidit enti. Iam ſi *aliquid* priori modo ſumatur, apparet illud eſſe attributū omnino eſſentiale & quidditatiuum, non autem proprietatem, vt habet Fonſeca 4. metaph. cap. 1. q. 3. lect. 2. Si verò poſteriori modo accipiatur, debet ad vnum reuocari, vt quidpiam ipſum conſequens: vnum enim dicit negationē multitudinis, & ex cōſequēti negationem idētitatis cum alio; ſicque non eſt neceſſe, vt *aliquid* inter ipſas incomplexas entis proprietates numeretur.

Tertia pars eiuſdem minoris, quæ eſt de duratione, ſuadetur; tum quia multi opinātur durationem non diſtingui ab exiſtentia, quæ ſanè non eſt proprietas entis, tum quia eſto duratio accipiatur provt formaliter ab exiſtētia diſtinguitur, quod probabilius eſt, tunc erit aliquod accidens, & non proprietas entis, tum demum quia duratio non conuenit omni enti reali, nempe eſſentiis realibus, quas ante ſingularium exiſtentiam ſtatuimus, cùm reali duratione non durent, ſed imaginariā tantùm.

Vltimam denique partem minoris, quæ eſt de *vbi*, facilè eſt demonſtrare, tum ex eo quod ſolis rebus exiſtentibus conueniat, non autem eſſentiis realibus ſecundum ſe conſideratis, tum etiam quia ne quidem omni enti exiſtenti competit, nempe Deo, qui quoniam vbique eſt, in nullo vbi, ſiue definitiuo, ſiue circumſcriptiuo exiſtit.

Dices prĕter tres illas incomplexas proprietates entis. vnum, verum, bonū, has poſſe nemerari, eſſe idem, eſſe diuerſum, eſſe intelligibile, eſſe amabile, &c. ergo plures eſſe incomplexas entis proprietates tribus aſſignatis.

Reſpondeo ad antecedens, ea quæ numerauimus non ſtatui tanquam diſtinctas proprietates entis, vel quia per ſe, & neceſſariò non attribuuntur enti, vt ſunt identitas, & diuerſitas, provt ſumuntur pro relationibus & reſpectibus rationis, fingere enim mens noſtra poteſt relationem identitatis eiuſdem ad ſeipſum, & diuerſitatis ab alio, quāuis hæ non illi per ſe, ſed per quandam

tantum intellectus reflectionem competant, vel quia reuocantur ad tres ſuperiùs allatas rationes fundaměti, quod habent in rebus: ſic identitas & diuerſitas poſſunt conſtitui proprietates entis, ſed reuocandę ſunt ad vnitatem: intelligibilitatem ad veritatem, & amabilitatem ad bonitatem pari iure referas.

## QVÆSTIO TERTIA, ET QVARTA.

*De eſſentia & affectionibus proprietatum entis.*

QVod ſpectat ad eſſentiam ſint ne illæ reales, néc ne, grauis eſt controuerſia inter Scotiſtas, & Thomiſtas, Scotiſtis negantibus, Thomiſtis verò affirmantibus.

Verùm quia tota illa diſceptatio ferè videtur eſſe de nomine, idcirco lubet illam vna diſtinctione clarè componere, notando ſcilicet proprietates entis bifariam conſiderari, primò adæquatè pro eo omni quod inuoluunt, ſecundò inadæquatè, pro eo quod enti ſuperaddunt: verbi gratia vnum ſpectari poſſe, vel adæquatè pro ente indiuiſo, vel inadæquatè pro ipſamet indiuiſione quam enti ſupperadit: Hinc ſit, *Prima propoſitio.*

EAque Thomiſtarum doctrinæ conſentanea, proprietates entis adæquatè ſumptæ debent eſſe reales.

Probatur, proprietates ſic ſumptæ includunt rationem entis, cum ſpeciali modo, quem ei ſuperaddunt, verbi gratia vnum includit ens cum indiuiſione, ergo ſic ſũptæ debent eſſe reales.

*Secunda propoſitio.*

SI proprietates entis inadæquatè accipiantur pro eo quod enti ſuperaddũt, proculdubio nõ poſſũt eſſe reales.

Probatur, proprietates entis ſuperaddunt tantùm enti vel negationem aliquam: vt vnum, negationem diuiſionis, vel reſpectus aliquos rationis vt verum reſpectum conformitatis rei intellectæ cum intellectu cognoſcente: vt bonum, reſpectum conueniẽtiæ cum appetitu, igitur illę entis proprietates inadæquatè ſumptæ, non poſſunt eſſe reales, atque hoc totum apertius fiet ex diſputatione peculiari de qualibet ipſarum proprietatum entis.

Hinc ſequitur, quę eſt potiſſima affectio proprietatum entis, *vnum, verũ, bonum*, non diſtingui ab ente ex natura rei, tum quia diſtinctio eiuſmodi eſt tantùm inter ea, quæ ſunt natura diſtincta: manifeſtum autem eſt proprietates entis non habere naturam aliam ab ente, cùm ei nihil reale ſuperaddant, tum etiam quia proprietates illæ in Deo ex natura rei diſtinguerẽtur, quia (vt iam diximus) quod cõuenit enti, vti ens eſt, conuenire debet omnibus inferioribus entis, quod tamẽ ab omnibus Theologis impugnatur.

## SECTIO SECVNDA.

*De proprietatibus entis ſpeciatim.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*De ſimplicibus entis proprietatibus.*

## ARTICVLVS PRIMVS.

*De Vno.*

### MEMBRVM PRIMVM, ET SECVNDVM.

*De nomine & exiſtentia vnitatis.*

VNitas idem eſt ac entitas indiuiſa in ſe, quare vnum id erit, quod eſt, & in ſe indiuiſũ, vt Petrus, Bucephalus; vnitate ſic expoſita, ne vnus quidem eſt qui eam exiſtere neget, cùm in omnibus rebus inueniatur.

### MEMBRVM TERTIVM.

*De eſſentia vnitatis.*

ROgabis primò, an vnitas ſit adæquata entis proprietas?

Reſpondeo affirmatiuè, probóque primò, illa proprietas eſt adæquata ſuo ſubiecto, quæ *illud* ſemper,



Digitized by Google

& neceſſariò comitatur: atqui vnum ita ſe habet reſpectu entis, ens enim ſine vno reperiri nequit, vt habet Ariſtoteles 4. Metaph. c. 2. ergo, &c.

Probatur ſecundò, quodlibet ens eſt indiuiſum in ſe; ſi enim diuidatur, iam deſinet eſſe ens, & continuò fient entia ergo quodlibet ens vnum eſt, proindéque vnitas eſt adæquata entis proprietas.

Rogabis ſecundò, quid vnum addat ſupra ens?

Reſpondeo triplici propoſitione.

*Prima propoſitio.*

Eaque contra Scotum, 4. Metaph. quæſt. 1. & 2 diſt. 3, & alios vnum ſupra ens non addit aliquid poſitiuum, & ab eo ex natura rei, vel ratione diſtinctum.

Prior pars probatur, vnum nequit habere naturam verè ab ente diſtinctam; quia ante ab eo ſeparato, nihil remanet niſi negatio quædam diuiſionis, vt patet ex dictis & amplius confirmabitur infrà, ergo vnum non diſtinguitur ex natura rei ab ente, ergo nullum poſitiuum ab eo, ex natura rei diſtinctum ipſi ſuperaddit.

Poſterior verò pars probatur; nullum cogitari poteſt poſitiuum, quod formaliter ſit in vno, & ſuperaddatur enti: ſiquidem præter ens ſola remanet negatio diuiſionis in ſe, vt iam diximus, ergo nullum aſſignari poteſt poſitiuum etiam ab ente ſola ratione diſtinctum, quod vnum ipſi enti ſuperaddat.

Obiicies, oppoſitum indiuiſionis, nempè diuiſio eſt negationum, dicit enim negatiuam vnionis, ergo ipſa indiuiſio, quam vnum ſuperaddit enti, erit aliquid poſitiuum.

Reſpondeo negando conſequentiam, fieri enim poteſt vt duæ negationes ſibi aliquo pacto apponantur, quatenus vna importat negationem alterius, quo pacto habent ſe diuiſio. & indiuiſio, quia diuiſio dicit negationem vnionis, indiuiſio verò negationem talis negationis.

Inſtabis, ergo indiuiſio in ſe nihil eſt aliud quàm vnio partium, aut graduum eſſentialium, ergo eſt aliquid poſitiuum. Negari debet conſequentia, quia in primis non tantum indiuiſio in ſe, & vnitas locum habent in ipſis rebus quæ conſtant multis partibus & gradibus vnitis, ſed in ipſis quoque ſimpliciſſimis gradibus qui ex aliis vnitis non côgruunt. Deinde quia indiuiſio eſt modus reſultans ex vnione aut identitate rerum ſecum ipſam vnionem & identitatem præſupponens, & nihil aliud addens quàm eiuſmodi negationem diuiſionis in ſe.

*Secunda propoſitio.*

Vnum addit ſupra ens negationem diuiſionis in ſe, quod negationem addat ſatis intelligatur ex præcedenti propoſitione, an verò illa negatio ſit diuiſionis in ſe, vel alia, obſcurum eſt: quæ obſcuritas vt amoueatur.

Notandum eſt aliud eſſe dicere negationem diuiſionis in ſeipſo, aliud negationem diuiſionis à ſeipſo, prior enim negatio magis declarat naturam vnius, quàm poſterior, quæ tam in vno propriè dicto quàm impropriè reperitur, vt patet in aceruo lapidum: quia quamuis minus perfectè rationē vnius poſſideat, quàm vnus lapis, æquè tamen à ſe eſt indiuiſus

Ex quo ſimul patet veritas propoſitionis, nempè negationem diuiſionis in ſe eam eſſe, quam vnum formaliter ſuperaddit enti; eo enim ipſo quod ens vnum eſt, in ſe eſt indiuiſum.

*Tertia propoſitio.*

Negatio quam vnum dicit, ſe habet ad modum priuationis. Explicatur propoſitio, priuatio communi-

ter dicitur aduenire reali ſubiecto, vt patet, puta verò negatio id nō poſtulat chimæra enim habet negationem hominis, nec tamen realis eſt, ergo cùm negatio quam dicit vnum, ſubiecto reali nempè enti adueniat, imitatur naturam priuationis, & ad illius modum ſe habet, in eòque à mera negatione recedit.

Dixi per modum priuationis, non enim eſt pura priuatio, quæ dicit carētiam formæ in ſubiecto ad illam recipiendam idoneo, etenim ſi indiuiſio in ſententia eſſet pura priuatio, negaret ſemper diuiſionem de ſubiecto ad illam recipiendam idoneo, quòd tamē abſurdum eſt, cùm Deus ſit in ſe maximè indiuiſus, nec tamen capax vllius diuiſionis.

Rogabis tertiò, vtrum vnum de formali ſua ratione ſolam dicat negationem. Ne quis autem exiſtimet hanc quæſtionē cum præcedenti coincidere;

Notandum eſt aliud eſſe vnum addere tantùm ſupra ens negationem diuiſionis in ſe, aliud vnum de formali ratione ſolam dicere negatione, quam enti ſuperaddit, ſicut aliud eſt, dicere hominem addere ſupra animal ſolum rationale, & aliud dicere, ſolum rationale eſſe de formali ratione hominis.

Hoc poſito; de quæſtione propoſita duæ ſunt ſententiæ inter ſe oppoſitæ: Prior Scoti, Caietani, Fonſecæ, & aliorum, vnum includere formaliter ſolam negationem quam enti ſupperaddit.

Contraria ſententia Ianduni & multorum aliorum longè probabilior eſt, iuxta quam concludimus vnum de formali ratione non dicere ſolam negatione, ſed entitatē ipſā ſub negatione.

Probatur, vnum formaliter dicit vnitatem, ſed vnitas includit entitatem ſub negatione, ergo, &c.

Probatur minor, vnitas eſt vnum ex diuinis attribuitur: ergo debet includere entitatem ſiue eſſentiam nam quodlibet Dei attributum diuinam ipſam includit eſſentiam, omniáque Dei attributa.

Inſtabis, per id tantùm formaliter cōſtituitur vnum per quod diſtinguitur, atqui per ſolam negationem diuiſionis diſtinguitur ab aliis, non per entitatem quę omnibus communis eſt, ergo, &c.

Negandum eſt antecedens, ſic diſtinguendo, vnum tantum formaliter conſtituitur per id per quod diſtinguitur: ſi formaliter ſit per formam cōcretam, hęc eſt differentiam componentem, concedo; ſi formaliter verò dicatur per formam abſtractam, nego: explico exemplo; homo conſtituitur formaliter aut per rationale, quod vocari poteſt forma concepta; aut per humanitatem, quæ eſt forma abſtracta, Si quis nunc argueret, homo formaliter conſtituitur per id, per quod diſtinguitur: iam ſic diſtingues, ſi formaliter ſit per formam concretam, nēpè rationale, leue eſt; quia talis forma conſtituens, etiam diſtinguitur: ſi formaliter ſit per formam abſtractam, nimirum humanitatem, falſum, quia humanitas præter rationalitatem homini propriam, dicit animalitatem omnibus animalibus communem. Si dicas de vno, formaliter conſtituitur per id per quod diſtinguitur: ſi formaliter dicas per formam concretam, quæ ſe habet inſtar differentiæ, leue eſt, & illa eſt negatio: ſi dicas per formam abſtractam, falſum, quia illa ſimul entitatem dicit & negationem.

Obiicies, illud ſolum continetur in vno formaliter, quod illud formaliter conſtituit: ſed vnum conſtituitur formaliter per ſolam negationem, ergo, &c.

Reſpondeo negando minorem, vnum

enim conſtituitur formaliter per ſuam entitatem indiuiſam, non verò per negationem ſimpliciter.

MEMBRVM QVARTVM.

*De affectionibus vnitatis*

Omnes illæ affectiones, quæ vnitati tribuuntur, ferè patent ex dictis, vt quod ens diuiſum à quocúnque alio reddat, & quod non diſtinguatur ex natura rei ab ente, ſed ratione tantum, cuius quidem poſterioris affectionis non inualida ratio affertur, quòd præter ens in vno nihil reperiatur niſi negatio, quâ adiunctâ vnum nequit formaliter, & ex natura rei diſtingui ab ente, quod ſatis ſectione præcedenti fuit confirmatum,

BREVIS APPENDIX,

*De vnitate ſingulari, & numerica, ſeu principio indiuiduationis*

Notandum eſt duplex conſtitui indiuiduationis principium, alterũ internum, alterum externum.

Externum rurſus duplex, vnum ex parte rei, alterum ex parte noſtri. Illud eſt cauſa efficiens, quæ per ſuum concurſum dat rebus ſingularitatem & indiuiduationem; hoc verò, illa ſunt accidentia, quę in præſenti verſiculo continentur:

*Forma, figura, locus, ſtirps, nomen, patria, tempus.*

Quæ quidem accidentia ſimul omnia eadem in pluribus indiuiduis ſimul reperiri non poſſunt. De hoc non eſt quæſtio, ſed de intrinſeco quod indiuiduum intrinſecè conſtituit, de quo quidem mira eſt contentio & diſſentio ſed longè facilius iuxta fundamenta noſtrę ſententiæ in Logica poſita, diſputa. de vniuerſalibus, à nobis componitur, & breuiùs explicatur.

Dicendum enim eſt differentiam indiuidualẽ eſſe differentiam aliquam inferiorem differentiâ ſpecificâ, indiuiduum formaliter in eſſe indiuidui cõſtituentem, & ipſum ab aliis quibuſcúnque diſtinguentem, quam quidem poteris cum Scoto vocare *heccéitatem*, ſeu facientem hoc: quæ quidem differentia commodè explicatur per comparationem ad differentiam ſpecificã, vt enim in ſpecie præter genus requiritur aliqua differentia per quam conſtituatur, & à rebus aliis diſtinguatur, ita & in indiuiduo præter ſpeciem requiritur aliqua differentia qua conſtituatur in eſſe indiuidui, & ab aliis ſeiungatur, neque vlla legitima quoad hoc inter ſpeciem & indiuiduum aſſignari poteſt diſparitas, & ad huius rei confirmationem faciunt rationes in Logica traditæ, vt probaretur dari vniuerſale in ſingularibus ante mentis operam.

Hoc autem eſt diſcriminis inter differentiam ſpecificam, & indiuidualem quòd ſpecificat ſit rei in eſſe eſſentiæ, ſeu illi conueniat, vt ſecundum eſſentiam ſuam conſideratur; indiuidualis verò ſit rei ſecundum eſſe exiſtentiæ, ſeu conueniat tantum rei exiſtenti proindéque dicat exiſtentiam, imò ſit ipſa exiſtentia hęc & particularis, quæ addita naturæ communi ſpecificæ facit indiuiduum, v. g. exiſtentia Petri vt hæc & particularis addita communi humanitatis gradui facit Petrum, tanquam differentia eius indiuidualis.

Obiicies, exiſtentia etiam hæc ſupponit naturam ſingularem, ergo non eſt differentia ſingularis & indiuidualis.

Probatur antecedens, exiſtentia eſt rei ſingularis, ergo ſupponit rem ſingularem.

Notandum eſt antecedens obiectionis, & diſtinguendum antecedens probationis: exiſtentia etiam hæc eſt rei ſingularis, quam facit, concedo; quam ſupponit, nego: ſicut rationale eſt ho-

Digitized by Google

637



minis non quem ſupponit hominem, ſed quem facit homiuem.

Vrgebis, exiſtentia etiam hæc eget differentia quadam indiuiduali, vt ſit hæc indiuidua, & ſingularis, ergo non eſt differentia indiuidualis.

Negandú eſt antecedens, cùm enim exiſtentia hæc ſit differentia indiuidualis & id cum res eſt indiuidua, per ſe ipſam & ſine alia hæcceïtate, ac ſingularitate, eſt hæc, & indiuidua, ſicut vnitas quæ facit vnum ſeipſa, & ſine vlla alia vnitate vna eſt.

Ex hac ſententia ſic confirmata reliquæ omnes corruunt, potiſſimùm illa multum apud Thomiſtas decantata, de materia ſignata, ſeu de materia tali quantitate affecta, reuera enim manifeſtum eſt indiuiduum non eſſe indiuiduũ à ſola materia etiam ſignata, cùm etiam forma ad eius indiuiduationem conferat; & prætere, quia cùm Angeli materia, & quantitate careant, non eſſent ſingulares & indiuidui contra omnium ſententiam.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

### *De Vero.*

VErum nihil eſt aliud, quàm conformitas quædam, ſiue cum exẽplari, ſiue cũ intellectu cognoſcẽte.

Prior veritas vocatur in eſſendo, quomodo dicimus verum aurum illud eſſe, quod conforme eſt, & reſpondèt ideæ veri auri, quæ eſt in mẽte diuina.

Poſterior veritas vocatur in cognoſcendo, quo pacto dicimus rem veram eſſe, quia conformari poteſt intellectui cognoſcenti.

Rurſus, veritas in eſſendo duplex, altera tranſcendentalis, quæ conuenit omni enti, quatenus vel eſt eſſentia diuina, quæ abſolutè vera eſt, vel illã imitatur tanquam exemplar abſolutiſſimum: alia eſt peculiaris, quæ tali enti conuenit, quatenus imitatur peculiare ſuum exemplar in Deo exiſtens: quomodo dicimus aurum cenſeri verum, quod eſt conforme ideæ: quam Deus de illo habet: idem dicas de cæteris rebus.

Ex hoc intelligitur verum ipſum in eſſendo addere ſupra ens reſpectum illum conformitatis cum ſuo exẽplari. Poteſt etiã dici quòd reſpectũ conformitatis addat cum intellectu cognoſcente, ſiue actuali, ſiue aptitudinali, quia nulla res dici poteſt, quæ de ſe conformari non poſſit intellectui, vel actu cognoſcenti, vt eſt diuinus; vel aptitudine, vt alius quilibet intellectus, qui non neceſſariò in actu intelligendi verſatur. Vnde & veritas in eſſendo dici etiam poteſt in cognoſcendo, ſed paſſiuè, quod ſcilicet poſſit ab intellectu cognoſci; propriè tamen diſtinguitur à veritate cognitionis ſeu in cognoſcendo, quod veritas cognitionis propriè dicta, non ſit in obiecto reſpectu intellectus cognoſcentis, ſed è contrario in actu intellectus reſpectu obiecti quod percipit, vt eſt. Ex quo patet poſſe etiam diſtingui duplicem veritatem cognitionis: alteram obiectiuam & paſſiuam, quę conformitas obiecti cum intellectu, alteram formalem & actiuam, quæ eſt conformitas intellectus cum obiecto intellecto. Rogabis an veritas ſic explicata ſit adæquata entis proprietas; & cum ipſo reciprocetur?

Reſpõdeo affirmatiuè, ſiquidẽ nullũ eſt ens quod nõ ſit verum, id eſt nõ ſit aptũ conformari alicuius intellectui, in quo ſita eſt ratio veritatis; & vice verſa nulla res vera dici poteſt, quæ nõ ſit ens.

### *Appendix de falſo.*

ROgabis primò an detur falſitas? Reſpondeo affirmatiuè, quia ſicut diximus aurũ eſſe verum, quod reſpõdet veri auri principiis, ſic aurichalcũ

Google

eſſe falſum, & adulterinum aurum, quia non eſt conforme internis auri principiis.

Rogabis ſecundò quæ ſit illa forma, per quam res aliqua dicitur falſa: ſeu quid falſum addat ſupra entitatem rei, quæ falſa dicitur.

Reſpondeo eſſe negationem conformitatis, tam cum exemplari; quàm cum intellectu cognoſcente, modo veritati oppoſito.

Rogabis tertiò inquibúſnam rebus inueniatur falſitas? Hæc petitio ſequentibus propoſitionibus eſt explicanda.

*Prima propoſitio.*

FAlſitas non conuenit rebus per ordinem ad diuinum intellectum, ſiue ſpeculatiuum, ſiue practicum.

Probatur, diuinus intellectus ſpeculatiuus res cognoſcit, eo modo quo ſunt, practicus veras facit cognoſcendo, ergo per illum ordinem nulla eſt falſitas.

*Secunda propoſitio.*

FAlſitas non tantum reperitur in cōpoſitione & diuiſione intellectus, qua de re nulla difficultas eſt: ſed etiam in ſimplicibus mentis conceptibus.

Probatur, per ſimplicem mentis cōceptum res interdum aliter intelligitur, quàm vt ſe habet à parte rei, v. g. ſæpe canis pro lupo primo intuitu apprehenditur, ergo ſimplex ille mentis conceptus poteſt admittere falſitatem.

Confirmatur, quod eſt dirigibile per præcepta, debet eſſe capax alicuius falſitatis, ſed ſimplex mentis conceptus, ſeu prima operatio, eſt dirigibilis per Logicæ præcepta, vt in proprio loco docuimus, ergo, &c.

Rogabis quartò, quomodo opponantur veritas & falſitas? Reſpondeo opponi priuatè, & falſitatem dicere priuationem veritatis, etenim veritas dicit conformitatem rei cum exemplari & intellectu, falſitas negat de eadem re vtrámque conformitatem.

Rogabis vltimò vnde oriatur falſitas? Reſpondeo, quemadmodum duplici viâ veritas acquiritur, inuentione ſcilicet, & diſciplinâ: ſic dupliciter falſitatem contingere, & propter malam experientiam ac inuentionem, tum etiam propter defectum præceptoris, qui rem aliter quàm ſe habet, doceat.

## ARTICVLVS TERTIVS.

### *De Bono.*

DE Bono ex profeſſo morales Philoſophi diſputant, docéntque in quo ſita ſit eius eſſentia, quę ſint definitiones & proprietates, nec non etiam diuiſiones. Itáque ne actum agere videamur, iis quę in Ethica dicta ſunt, vnicam adiungemus difficultatem, an bonitas ſit adæquata entis proprietas. Cui.

Reſpondeo affirmatiuè, probóque, illa eſt adæquata entis proprietas, quæ reciprocatur cum ente: atqui bonitas reciprocatur cum ente; nam omne ens eſt bonum, & omne bonum eſt, ens ergo, &c.

Dices bonum etiam priuationi attribui, vt patet ex illo Chriſti Domini de Iuda, Matth. 26. *Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille.*

Reſpondeo bonum eo modo priuationi attribui, quo eſt ens, ſcilicet impropriè & analogicè tantùm, nec abſolutè bonum eſſe Iudam non exiſtere, ſed moraliter, quia ſi nunquam natus ille fuiſſet, nunquam Criſtum Dominum Iudæis, & morti tradidiſſet.

De malo ſimiliter agendū neceſſariò fuit in Ethicis & propterea malè de illo nouā proponeremus diſputationē.

QVÆSTIO

Digitized by Google

## QVÆSTIO SECVNDA

*De complexis entis proprietatibus.*

## ARTICVLVS PRIMVS.

*De eodem & diuerſo, potiſſimum de diuerſis diſtinctionum generibus.*

HIc præſertim agimus de diſtinctionis, ſeu diuerſitatis generibus, tum quia de identitate nonnulla iam attulimus, tum quia identitatis genera ex diſtinctionum generibus poſſunt ſatis intelligi.

Notandum verò illa eadem dici, quę in aliquo ſiue in materia, ſiue in genere, ſiue in ſpecie vnum ſunt; & è contrario illa haberi diuerſa, quæ non cõueniunt, vel in materia, vel in ſpecie, vel in genere.

Hac obſeruatione præmiſſa valdè eſt difficile propter diuerſitatem terminorum, quibus varii authores vtuntur vera diſtinctionum genera aſſignare, aliter enim Thomiſtę, aliter Scotiſtæ, vnam diſtinctionem nuncupant, vt patet in diſtinctione formali, & reali, quæ à Scotiſtis ſimpliciter vocatur formalis & realis: à Thomiſtis verò realis formalis, & realis materialis: & quamuis vterque loquendi modus ſit ſatis idoneus, placet tamen modum Scotiſtarum ſeligere, & vnam tantùm ponere diſtinctionem realem, quæ ſit inter ea quæ mutuò ſeparari poſſunt: aliam verò nuncupare ſimpliciter formalem, quæ inter illa intercedat, quorum eſſentialis definitio diuerſa eſt.

Si de diſtinctionibus generaliter ſumptis ſermo habeatur, omnis diſtinctio ad duo capita reuocari poteſt, ad diſtinctionem realem, quæ antecedit intellectûs operam & diſtinctionem rationis, quæ fit tantùm intellectûs beneficio.

Rurſus diſtinctio realis ſubdiuiditur in realem poſitiuam, & realem negatiuam. Illa inter res poſitiuas intercedit, vt inter duos boues. Hæc verò vel eſt inter ens, & non ens, vt inter hominem & ſurditatem: vel inter duo non entia, vt inter cæcitatem & ſurditatem.

Vbi nota diſtinctionem realem hoc loco ſumi latè, quatenus diuiditur cõtra diſtinctionem rationis; & non directè, vt ſupponit pro illa particulari diſtinctione, quæ realis apud nos poſt Scotum noſtrum abſolutè nuncupatur.

Tertia diuiſio diſtinctionis realis poſitiuæ erit inter realem abſolutè loquendo, & ſine addito, formalem, & modalem. Diſtinctio realis quæ à Thomiſtis dicitur realis materialis, & à nobis realis exiſtentialis, ea eſt quæ intercedit inter illa, quæ ſaltem virtute diuina ab inuicem ſeparari poſſunt, niſi interſit dependentia effectus à cauſa conſeruante: quod addo, quia quamuis Deus & creaturę diſtinguantur, ipſæ tamen creaturæ à Deo reipſa ſeparari nequeunt, quia à Deo tanquã à prima cauſa conſeruante dependent.

Ex quo colligitur ad diſtinctionem realem duas conditiones eſſe neceſſarias, prima vt ſit inter res diuerſas, ſecunda vt res illæ ſint ſeparabiles: ſi mutuò; erit diſtinctio realis maior: ſi non mutuò, ſed vna tantum poſſit ab alia ſeparari, & non è conuerſo, erit tantum diſtinctio realis minor, qualis inter principium vitę, puta intellectum, & vitalem actionem, putà intellectionem intercedit.

Diſtinctio formalis ea eſt, quæ reperitur inter illa, quorum definitiones eſſentiales diuerſę ſunt, & diuerſa attributa eſſentialia: ita vt ad illam ſolam diuerſitatem eſſentialem reſpiciat: & non ad ſeparationem, in quo à reali diſtinguitur, vocatúrque eſſentialis.

Modalis denique ea eſt, quæ conſtituitur inter rem, & modũ eius, vt inter eſſentiam, & exiſtentiam, vel inter duos

modos, putà exiſtentiam & ſubſiſtentiam, quomodo à formali diſtinguitur, vt patet ex dictis.

Quod ſpectat ad diſtinctionem rationis, illa ſtatuitur duplex, altera rationis ratiocinantis, altera rationis ratiocinatæ. Diſtinctio rationis ratiocinantis illa eſt quæ oritur ex ſola cognitione intellectus, nullo in re præſuppoſito fundamento, qualis cenſetur intercedere inter animal, quatenus eſt ſubiectum & idem ipſum, quatenus eſt attributum in hac propoſitione *animal eſt animal*.

Diſtinctio verò rationis ratiocinatæ illa eſt, quæ licet per rationem efficiatur, ſupponit tamen fundamentum in rebus: vnde dicitur rationis, quia ſequitur operationem intellectus, ratiocinatę verò, quoniam res ipſa circa quam mens noſtra verſatur, præbet fundamentum propter quod ita diſtinguatur: ea diſtinctio cenſetur eſſe inter diuina attributa ex communiori ſententia Theologorum, putà miſericordiam & iuſtitiam: cùm enim illa attributa diſtinguit intellectus, animaduertit aliquod in re fundamentum, nèpè eminentiam ipſius diuinæ naturæ, quæ varios producit effectus: nunc miſericordiæ, nunc verò iuſtitiæ, iuxta quos diſtinguit miſericordiã à iuſtitia.

In idem recidit quod nonnulli diſtinguunt diſtinctionem rationis ratiocinantis à diſtinctione rationis ratiocinatæ, in eo, quod illa fiat per repetitionem eiuſdem conceptus adęquati, vt cùm Petrus diſtinguitur à ſeipſo, prout habet rationem ſubiecti & attributi in illa propoſitione, in qua de ſe ipſo prædicatur, vt *Petrus eſt Petrus*, nam tam in Petro ſubiecto, quàm in Petro atttributo, totus manet conceptus Petri, & tantũ reperitur: diſtinctio verò rationis ratiocinatæ fit per conceptus inadæquatos vnius eiuſdemque rei, prout diuerſas rationes ſortitur etenim quamuis in Deo iuſtitia, & miſericordia ſint realiter & formaliter vna & eadem entitas, tamen intelliguntur vt duæ, proindéque vnaquęque inadæquato tantùm conceptu intelligitur. & ita cenſentur habere ſolam diſtinctionem rationis ratiocinatę

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*De neceſſario, & contingenti*

### MEMBRVM PRIMVM.

*De Neceſſario.*

QVid ſit neceſſarium, & quotuplex, patet ex dictis in Logicæ præludiis & in libris de Demonſtratione: hic vnicam apponemus quæſtionem, an detur aliqua cauſa efficiens creata, quæ neceſſariò agat, neceſſariò dico ſecundum quid, cùm nulla ſit, quæ non poſſit impediri à Deo in actione ſua exercẽda

Breuiter reſpondeo affirmatiuè: Sol enim neceſſariò illuminat, ignis neceſſariò calefacit, & ſic de aliis, quatenus in ſe habent virtutem agendi, & concurſum à Deo recipiunt.

### MEMBRVM SECVNDVM.

*De contingentia.*

PLeriſque in locis de contingenti diſſeruimus, vt in Logica de futuris contingentibus, in Ethica agendo de principio actionum humanarum, & in libris de anima, quæſtione de libero arbitrio. Duo breuiter remanent conſtituenda. Primum dari contingentiam etenim locis citatis oſtendimus dari aliquos effectus quorum non eſt determinata cauſa, quique ſunt fortuiti & contingentes, proindéque dari contingentiam. Secundò duas contingentię cauſas aſſignari poſſe, quarum vna ſit vniuerſaliſſima, nempè diuina voluntas; quæ res ita voluit diſponere, vt in perpetuo motu & agitatione eſſent conſtitutæ, variiſque viciſſitudinibu

ſubiectæ; altera particularis, & ea vel materia, quæ cùm ſit principium contradictionis, innumerabiles cauſat in rebus naturalibus viciſſitudines: vel voluntas in iis qui per intellectum operantur, quia operari ac non operari poſſant pro voluntaris beneplacito.

## ARTICVLVS POSTREMVS.

*De actu & potentia.*

### MEMBRVM PRIMVM.

*De multiplici actus & potentiæ acceptione.*

NOtandum primò nomen actus multifariam vſurpari, interdum abſolutè, interdum verò reſpectiuè: abſolutè, vt Deus, qui quidem eſt actus purus, nec vllum habet reſpectum ad aliquid quod actuet: reſpectiuè, idque multis modis, ſicut multiplex eſt actus reſpectiuus, ſeu dicens ordinem ad aliquid quod actuet: eſt enim vel phyſicus, nempè forma, vel metaphyſicus, & hic varius: primus eſſendi, & eſt differentia; ſecundus exiſtendi, & eſt exiſtentia, tertius ſubſiſtendi, & eſt ſubſiſtentia: quartus denique inhærendi, & eſt inhærentia.

Notandum ſecundò potentiam eſſe multiplicem, alia enim eſt prædicamentalis, quæ peculiarem ſpeciem qualitatis conſtituit, vt oſtendunt Logici: alia tranſcendentalis, quæ ſub ſe continet quamcúmque potentiam, quęque cum actu adæquatè diuidit ens.

Notandũ tertiò aliã eſſe potentiam obedientialẽ, aliam naturalem, aliam actiuam, aliam paſſiuam, quibus adde indifferentẽ, de quibus infrà ſpeciatim.

Mitto obiectiuam, quâ res in ſuis cauſis manens & nondum producta, dicitur exiſtere, mitto in quam quia de ea multa ſuperius diximus.

### MEMBRVM SECVNDVM.

*De potentia agendi & patiendi.*

POtentia agendi definitur, *proximum principium tranſmutandi aliud quatenus aliud*; potentia è contrariò paſſiua, *principium tranſmutandi ab alio quatenus aliud eſt*, id eſt quatenus eſt quid diuerſũ.

Occurrit difficultas, an adæquatè diuidatur potentia in actiuã & paſſiuã, & ratio difficultatis ex eo petitur, quod detur aliqua potẽtia, nẽpe potẽtia reſiſtẽdi, quæ neque videtur actiua, neque paſſiua, reſiſtere enim neq; eſt agere, agere, neq; pati, ſed actionẽ & paſſionẽ impedire. Hæc difficultas vt ſoluatur.

Notandum eſt potentiam reſiſtendi conſiderari duobus modis, nam aliquid dicitur alteri reſiſtere; vel quia eſt incompoſſibile cum illo, & ei repugnans ex ſua natura; vel quia exerit vires ſuas, vt diminuat vim illius agentis, quod ipſi paſſionem inferre conatur, quo pacto aliquis diceretur reſiſtere aduerſario ſuo, ſi ei manum, & pedem abſcinderet: ſi vis reſiſtitiua priori modo ſumatur, impropriè dicitur potentia naturalis, quia potentia naturalis non eſt mera non repugnantia & incompoſſibilitas cum alio: ſi verò poſteriori modo accipiatur rectè intelligitur actiua, & ſic non facit diſtinctam ſpeciem potentiæ naturalis.

Rogabis, an dari poſſit aliqua potẽtia, quæ ſimul actiua ſit & paſſiua? Reſpondeo affirmatiuè, tam diuerſo quàm eodem reſpectu: diuerſo, quia intellectus idem numero reſpectu ſpecierum quas fabricat, eſt actiuus, & paſſiuus, reſpectu intellectionis quam in ſeipſo recipit: eodem reſpectu, quia idem ipſe intellectus reſpectu intellectionis eliciendæ eſt actiuus, elicitæ verò ſuſcipiendæ paſſiuus.

Rogabis vltrà quomodo ſit verũ hoc tritũ Philoſophorũ effatũ, *cuilibet potẽtia actiuæ debet reſpõdere paſſiua ei proportionata*?

Reſpondeo primò in rebus naturalibus creatis ſic intelligendũ eſſe, vt nulla ſit actiua potẽtia in aliqua creatura,

cui non reſpondeat :alia paſſiua alicui pariter creaturæ conueniens, & huius rei ratio clara eſt, quia nullum agens naturale agit extra ſubiectum, ſed in ſubiectum; ideóque ſupponit ſemper in eo potentiam aliquam paſſiuam, ad eius actionem recipiendam idoneam.

Reſpondeo ſecundò in Deo verum eſſe prædictum axioma,quod reuera actiuæ Dei potentiæ reſpondeat aliqua paſſiua,ſcilicet obedientialis creatura ſecundum quam illam creaturam præter naturalem ſuam virtutem eleuare poteſt ad preſtanda omnia diuinæ voluntatis mandata.

Rogabis vltimò, an cuilibet pontentiæ paſſiuæ reſpondeat actiua eiuſdem ordinis, & naſcitur difficultas propter materiæ potentiã,quæ eſt illi naturalis, cui tamen nulla actiua eiuſdem ordinis, & ei proportionata reſpondet: etenim poteſt recipere formam præteritam, nulla tamen eſt potentia naturalis actiua quæ poſſit illam reproducere.

Verùm dicendum eſt, cùm per accidens ſit materiæ, quod forma illa ſit præterita, & ideo minimè ab agente naturali ſit reproducibilis, verum eſſe per ſe loquendo,cuilibet potentiæ paſſiuæ,etiam materiæ reſpondere actiuam eiuſdem ordinis,nempè naturalis.

## MEMBRVM TERTIVM.

*De potentia indifferenti.*

Dvæ hîc occurrunt Philoſophorum opiniones, prior eſt Caietani in ſuis opuſculis, tom. 3. tract. 3. qu. 1. nullam dari potentiam indifferentem. Poſterior, eáque contraria, eſt Scoti in 2. diſt. 2. q. 6. Ad illuſtrationem huius controuerſiæ, notandum eſt actus, ad quos potentia aliqua ordinatur, eſſe in duplici differentia, alios adæquatos, alios inadæquatos.

Notandum ſecundò tam actus adæquatos quàm inadæquatos adhuc eſſe duplices: alios eſſe ad quos naturaliter ordinantur potentiæ, & à quibus ex natura ſua perficiuntur, quomodo potentia materiæ habet ſe ad formas ſubſtantiales: alios eſſe ad quos potentiæ ex ſua natura non tendunt, vt ſunt reſpectu ignis motus orbicularis; vel quies, reſpectu materiæ: formæ accidentales, quia per ſe ignis ex natura ſua non ordinatur ad motum orbicularem, vel quietem, nec materia ad formas accidentales. Reſpectu priorum actuum nulla potentia eſt indifferens, eſt tamen reſpectu poſteriorum, vt ſatis intelligitur ex ipſa obſeruatione poſita, & ſic apparet poſteriorem ſententiam priori eſſe probabiliorem.

## MEMBRVM VLTIMVM.

*De potentia obedientiali.*

Mvltis in locis de potentia obedientiali diſputant Theologi, præſertim tertia parte,illius quędam exẽpla proferemus. Imprimis,nulla eſt potentia naturalis in anima ad gratiam accipiendam, aliàs naturaliter eſſet ſuæ ſalutis capax, ergo in ea admittenda eſt alia potentia præter naturalem, quâ obedit creatori illi gratiam infundenti, & hæc meritò vocatur obedientialis,quamquam eo ſenſu poſſit naturalis appellari, qui reipſa non eſt alia entitas ab entitate rei in qua eſt, vt docent Theologi 3. p. q. 13.

Deinde nulla eſt potentia naturalis in intellectu ad Deum clarè & intuitiuè videndum, ergo tantũ obediẽtialis.

Tertiò,id patet in Sacramẽtis nouæ legis,quæ non per potentiã naturalẽ, vt patet, proindéque per ſolam obedientialẽ producunt & conferunt gratiã. Vnde admiratione rapt⁹ de aquâ baptiſmali exclamat D. Aug. trac. 8. in D. Ioã. *Quæ tãta virt⁹ aquæ, vt corpus tãgat & cor abluat.* Deinde id videre eſt in illo ligno, quod Moſes in aquas iniecit, benificio

Digitized by Google

cuius, omnem quam habebant amaritudinem, depoſuerunt, & dulces factæ ſunt.

Concludamus ſic cum D. Auguſt. epiſt. ad Voluſianum, *In huiuſmodi rebus tota ratio facti eſt potentia facientis*, ad eáſque creaturæ tantùm obedientialiter concurrunt.

## APPENDIX GENERALIS, *de partibus entis.*

## SECTIO PRIMA.

### *De Subſtantia.*

Dialectici ex proprio munere tam multa de ſubſtantia tractanda ſuſcipiunt, vt nihil fermè Metaphiſicis relinquant, vnum tamen adiungam, quod ego Logicus mihi metaphiſico reſeruaui, de prioritate ſubſtantiæ reſpectu accidentis. Huius tractandæ difficultatis præbuit occaſionem princeps Sapientię 7. Metaph. cap. 1. cùm docuit ſubſtantiam priorem eſſe accidente ratione, cognitione, naturâ & tempore.

Quod ſpectat ad prioritatem rationis, ſatis conſtat ſubſtantiam eſſe accidente priorem, quia eſt ſubiectum illius: ſubiectum autem prius ratione debet intelligi, quàm id quod in ſubiecto recipitur: pari ratione conſtat ſubſtantiam eſſe naturâ priorem accidente, quia videlicet ipſi accidenti neceſſariò præſupponitur. Difficultas tantùm remanet de prioritate cognitionis, & temporis, quæ his propoſitionibus ſoluetur.

*Prima propoſitio.*

Si de exacta & perfecta cognitione ſermo ſit, ſubſtantia eſt prior cognitione accidentis. Probatur, perfecta cognitio ſubſtantiæ ſaltem à Deo, vel Angelo, haberi poteſt ſine cognitione accidentis, quia ſubſtantia non refertur ad accidens; è contra verò exacta & perfecta accidentis notitia haberi non poteſt ſine aliqua cognitione ſubſtantiæ, quia omne accidens dicit reſpectum ad ſubſtantiam, ergo ſi ſermo ſit de exacta & perfecta cognitione, ſubſtantia prior erit cognitione accidente.

*Secunda propoſitio.*

Si ſermo ſit de confuſa cognitione, quam intellectus humanus nullo ſupernaturali auxilio adiutus conſequi poteſt, ſubſtantia eſt poſterior cognitione accidente.

Probatur, humanus intellectus prędicto modo ſpectatus cognitionem ſuam haurit ex ſenſibus, ergo eius cõparatione ea erunt priora cognitione quæ prius in ſenſus incurrent, qualia ſunt accidentia, ex dictis de anima.

*Tertia propoſitio.*

Si loquamur de ſubſtantia in communi, certum eſt ſubſtantiam poſſe dici tempore priorem accidente, quia videlicet datur aliqua ſubſtantia nempè increata, quæ tempore antecedit quodlibet accidẽs: ſi tamen agamus de ſubſtantia creata, non poteſt dici tempore prior accidente, quia nulla eſt ſubſtantia, quæ aliquando fuerit ſine accidentibus, vt diximus in Phyſica.

## SECTIO SECVNDA.

### *De accidente.*

De nomine accidentis, varia acceptione, & de eius exiſtentia ſatis abundè in Logica actum eſt: duo circa eius eſſentiam explicanda ſunt, primum, qualis ſit eius conceptus, & an ab inferioribus accidentibus ſit ratione ſimpliciter præciſus: alterum, vtrum inhærentia ſit de ipſius accidentis eſſentia.

Quod ad primum attinet, reſpondeo affirmatiuè, probóque ratione illa, quã attulimus agendo de conceptu



Digitized by Google

e..tis. Conceptus ille eſt ratione ſimpliciter præciſus, quia non inuoluit in ſe proprias ſuorum inferiorum differentias: atqui conceptus accidentis vniuerſaliſſimè ſumpti non includit proprias differentias ſingulorum accidentium; alioquin nullum accidens eſſet formaliter accidens, quoniam nullũ eſt quod inuoluat in ſe proprias omnes ſingulorum accidentium rationes, ergo. &c. Confirmatur, multi accidentis in vniuerſum rectè formarunt conceptum, antequam ſingula accidentium genera perſpecta habuerint: ergo ſignum eſt proprias inferiorum accidentium rationes in accidẽte vniuerſaliter ſumpto non contineri, & ſic accidentis vniuerſim ſumpti conceptum eſſe ratione ſimpliciter præciſum.

Quod ſpectat ad alterum: Notandum eſt primò inhærentiam eſſe duplicem, alteram aptitudinalem; alteram actualem. Notandum ſecundò, accidentia completa ſeu prædicamentalia, de quibus hîc agitur, eſſe in duplici differentia, quædam enim ſunt intrinſecus efficientia, vt quantitas, qualitas, & ſimilia; alia verò tantùm extrinſecus denominantia, vt actio, ſitum eſſe, habere, &c.

His poſitis prima ſententia eſt actualem inhærentiam eſſe de eſſentia accidentis. Ita gẽtiles Philoſophos exiſtimaſſe refert ſubtilis Suares tomo 2. Metap. diſp. 30. Sed hæc ſententia abſolutè falſa eſt, & hæretica, pugnátque cõtra fidei principia: fides enim docet accidentia panis & vini in auguſtiſſima Euchariſtia nulli ſubſtantiæ actu inhærere, & tamen non deſinunt habere veram eſſentiam accidentis.

Secunda ſententia tribuitur D. Thomæ prima parte, q. 77, art. 1. ad 2. Caietano opuſculo de ente & eſſentia, c. 1. q. 13. aliiſque pluribus, aptitudinalem inhærentiam eſſe de eſſentia accidentis. Hæc ſentẽtia pariter æquiſſimo iure exploditur. Si inhærentia aptitudinalis eſſet de eſſentia accidentis in communi, deberet neceſſariò conuenire omnibus inferioribus accidentibus, per regulam ſuperius aſſignatam; *quod conuenit alicui ſuperiori eſſentialiter, conuenire debet omnibus inferioribus eius*: Atqui aptitudinalis inhęrentia non cõuenit omnibus inferioribus accidentibus, cum quædam ex illis ſint quę inhærere non poſſunt, ſed tantùm poſtulant aut eſſe à ſubſtantia, vt actio ab agente, aut circa ſubſtantiam, vt habere, ſimiliaque accidentia extrinſecus tantum denominantia, ergo aptitudinalis inhærentia non poteſt dici de eſſentia accidentis.

Quapropter omnium optima, quamuis non ita trita ſententia noſtra eſt, non inhærentiam, ſed afficientiam, ſeu habitationem ad ſubiectum eſſe de eſſentia accidentis in genere, ideóque diuidi tamquam genus in inhærentiam accidentibus intrinſecè afficientibus conuenientem, & adiacentiam externam accidentibus extrinſecè tantùm denominantibus competentem, quæ ſententia ex præcedentium refutatione manet ſufficienter confirmata.

## SECTIO TERTIA.

*De Angelis.*

### QVÆSTIO PRIMA.

*De nomine Angeli*

NOmen Angeli non naturæ, ſed officii eſt, idem enim ſignificat ac nuntius, quod ſcilicet ipſæ creaturæ ſpiritales, Angeli videlicet, ad homines mittantur, vt ipſis diuinam voluntatem nuncient, vnde ab Apoſtolo ad Hebræos, vocantur adminiſtratorii ſpiritus.

### QVÆSTIO SECVNDA.

*De exiſtentia Angelorum.*

Certum eſt in fide dari Angelos propter expreſſa ſcripturæ ſacræ teſtimonia. Pſal, 8. *Minuiſti eum paulominus ab Angelis.* Matth. 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris.*

Idem probant effectus quidam, qui à creaturis corporalibus eſſe nō poſſunt: ſæpè enim videmus (vtinam non ita frequenter) magos mira efficere, verbi gratia, matrimonio impedimentum ponere, & ad libitum tollere, aliáque ſimilia perpetrare. quæ non poſſunt proficiſci niſi à dæmonibus, qui ſunt intelligentiæ ſpiritales, ſicut & boni Angeli.

Certum etiam eſt Angelos eſſe plures, Matth. 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris.* Danielis 7. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies milies centena millia, &c.* Iob. 25. *Numquid eſt numerus militum eius*; Matth. 26. *Et exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum*, & alibi paſſim.

Accedit ratio congruentiſſima, decet magnum Regem multos habere nuntios & miniſtros, ſed Deus eſt Rex maximus, Rex Regum, & Dominus dominantium: Angeli verò ex prædictis ſunt eius nuntii, ergo debent eſſe multi.

Quantus autem ſit præcisè Angelorum numerus non conſtat: ſi enim cōſtaret, vel ex reuelatione nobis facta in ſcripturis ſacris, aut in traditione Eccleſiæ, Conciliorúmque definitionibus, quod non ità habet, vel ex effectibus, & hoc etiam à nemine aſſeritur, cùm nulli ſint effectus naturales, qui præcisè Angelorum numerum poſſint demōſtrare, vt per ſe ſatis intelligitur.

Notandum verò vtcumque numerum illum Angelorum colligi poſſe, ſcilicet natiuè, tum cognoſcendo eum non eſſe infinitum, cùm repugnet dari infinitum ex phyſica, tùm cognoſcendo ſaltem maiorem eſſe numero hominum; cùm ſinguli homines ſingulos Angelos cuſtodes, habeant, & præterea cuilibet regno aliquis peculiaris ad eius cuſtodiam deputetur, vt patet ex illa controuerſia, quam narrat Daniel extitiſſe inter Angelum Perſarum, & Angelum Iudæorum.

## QVÆSTIO TERTIA.

*De eſſentia Angelorum, an ſint compoſiti ex materia & forma.*

Ex Logica certum eſt Angelos compoſitos eſſe ex genere & differentia, cùm ſint in categ. proindéque etiā potentia & actu, cùm genus ſit potentia, & differentia actus. Quæſtio tantum eſt de compoſitione ex materia & forma, de qua.

Prima ſententia eſt, Angelos conſiſtere quibuſdam corporibus tenuiſſimis, ſiue illa ex materia & forma componantur, ſiue non, quod affirmat Auerroës libro de anima.

Secunda ſententia eſt D. Bonauenturæ in 2 diſtinct. 3. q 1. etſi Angeli non conſtent partibus quantitatiuis, conſtare tamen materiâ. Rectius tamèn alii ſentiunt Angelos neque habere corpora, neque ex materia & forma componi, ſed eſſe purè ſpiritales.

Probatur primò, quia Angeli paſſim in ſacris litteris vocantur ſpiritus, cùm tamen ſpiritus ſit expers corporis. Secundò, quia Concil. Lateranenſe in confeſſione fidei dicit Deum ab initio temporis vtrámque naturam condidiſſe, corporalem, & ſpiritalem, Angelicā, & mundanam. Tertiò, quia Angeli dicuntur ingredi corpora, imò Matth 4. Legionem dæmonum poſſediſſe hominem, cum tamen legio ſex millibus cōſtaret: Item dicūtur cecidiſſe de cœlis nulla eorū diſruptione factâ: quæ omnia fieri non poſſent, ſi Angeli corporibus conſtarent, vt ex ſe clarum eſt.

Digitized by Google

Denique quia Angelorum operationes non dependent à materia, proindéque non ſunt materiales.

Obiicies Ioannem Theſſalonicenſem in 5. Synodo, actione 5. dixiſſe Catholicæ Eccleſiæ mente eſſe, quòd Angeli & Archangeli ſint quidem intelligibiles, ſed non omnino corporis expertes.

Reſpondeo iſtud Ioannis Theſſal. à ſancta Synodo non fuiſſe approbatum, quoad hoc quod allatum eſt, ſed tantum ſecundum illud, quod dixit Angelos eſſe in Eccleſia depingendos, quia vt homines aliquando apparuerunt.

Rurſus obiicies, Angeli dicuntur generare, manducare, & ab igne inferni torqueri, ſed hæc omnia ſolis rebus corporeis conuenire poſſunt, ergo Angeli ſunt corporei.

Reſpondeo ad maiorem, Angelos nec propriè generare, nec propriè mãducare, nec denique ab igne per calorem immediatè torqueri, ſed hæc omnia in illis impropriè fieri: nam vt primò dicamus de generatione, eatenus tantùm dicuntur generare, quatenus vel in ſpecie viri accipiunt ſemen, & non ex ſeipſis deciſum in mulierem transfundunt, vnde dicuntur incubi; vel quatenus in ſpecie fœminæ ſemen à viro, cui ſe ſubſternunt, excipiunt, vnde ſuccubi nominantur: non autem quod ex ſe ſemen præbeant, habeántq; vitale principium talis actionis generatiuæ, à quo tamen habet quis, vt propriè dicatur generare, ſicut à principio vitali videndi habet aliquis vt propriè dicatur videns.

Secundò quod attinet ad manducationem, illa etiam in iis impropria eſt, quia manducatio propriè ſumpta non conſiſtit in quacumque traiectione cibi ab ore in ſtomachum, vt malè poſuit Scotus in ſecundum diſt. octaua, ideò manducationem propriè dictam Angelis attribuens, ſed in traiectione cibi, concoctione, conuerſionéque in viuentis ſubſtantiam, beneficio inſtrumentorum vitalium, vt paulò ante de generatione dicebamus, quo modo conſtat manducationem non reperiri in Angelis, cùm vitalibus inſtrumentis & facultatibus careant.

Confirmatur, tum ex illis Raphaëlis verbis apud Tobiam cap. *Cùm enim*, inquit, *vobiſcum eram videbar quidem comedere & bibere, ſed potu & cibo inuiſibili vtor*: tum etiam quia Chriſtus Dominus apud D. Lucam, c. 24 ex manducatione demonſtrauit corporis ſui veritatem: talis autem probatio nulla planè fuiſſet, ſi comeſtio aliis quam corporibus viuentibus, putà Angelis, potuiſſet conuenire.

Denique, quod ſpectat ad actionem ignis inferni in dæmones & animas agentis, circa hanc difficultatem variæ verſantur ſententiæ, ſed duæ præcipuæ. Prior, per diuinam potentiam fieri, vt ex apprehenſione quam habet animæ damnatorum, quòd in hoc igne inferni tanquam in carcere detineantur, ſumma triſtitia, ſummáque afflictio conſequatur. Poſterior ſententia, eſt, ignem per potentiam obedientialem eleuari à Deo ad producendam qualitatem aliquam ſpiritalem dæmonibus & animabus damnatis ita ingratam, & diſconuenientem; vt ea diſconuenientia cognita ſummam triſtitiam concipiant, ſummóque dolore afficiantur.

In vtráque opinione conſtat ignem agere in animas damnatorum, & dæmones, non tamen immediatè producendo calorem, qui in illis recipiatur, ipſiſque dolorem inferat; quia cùm calor ſit qualitas materialis & corporea, poteſt

poteſt tantum recipi in corpore, non autem in rebus ſpiritalibus, animabus & dæmonibus. Vnde docet D. Aug. 2. de Ciuit. c. 1. Dæmones licet miris, veris tamen modis ab igne inferni cruciari: miris autem, propter illam qualitatem, quam ignis ſupra naturam ſuã diuina poteſtate producit. Aliam verò ſubtiliorem ſententiam, quam huius Tractatus breuitas non ſinit, exactè explicare, fortaſſe alius dabitur locus.

## QVÆSTIO QVARTA.

*De affectionibus Angelorum.*

ROgabis primò vtrum omnes Angeli diſtinguantur ſpecie? Reſpondeo negatiuè contra D. Th. prima par. q. 50. art. 4. & omnes eius diſcipulos.

Probatur, Angeli vnam, eámque benè ordinatam rempub. conſtituunt; atqui honor & ordo reipub. poſtulat, vt non tantum alii ſint aliis ſuperiores, ſed etiam vt alii aliis ſint ſimiles, vt inde vera appareat ſocietas, quæ propriè inter ſimiles cernitur: ergo debent dari plures Angeli ſimiles & eiuſdem ſpeciei.

Confirmatur, quia durum videtur quod aliqua tota ſpecies Angelorum corruerit, præſertim cũ Patres & Theologi hanc communiter afferant rationem cur Deus voluerit potius hominẽ, quàm Angelos per Chriſtum reparare, quia ſcilicet tota hominis ſpecies corruerat: ergo cùm multi Angeli ceciderint, dicendum eſt alios eiuſdem ſpeciei in cœlo remanſiſſe.

Rogabis ſecundò quomodo Angeli conſtituantur in loco?

Ad ſolutionem huiusquæſtionis, Notãdũ, vel potius ex phyſica repetẽdũ, aliũ eſſe locum intrinſecũ aliũ extrinſecũ. Intrinſecus eſt illud ſpatium ſiue verũ, ſiue imaginarium, quod concipimus occupari ab eo qui eſt in loco, extrinſecus verò eſt ſuperficies corporis ambientis. Hoc notato quæſtio eſt quónam pacto Angeli conſtituantur in loco, ſiue intrinſeco, ſiue extrinſeco: non quidem circumſcriptiuè, quia circumſcriptio eſt tantum corporum: ſed definitiuè, vt alibi dictum eſt.

Quod ſpectat ad locum intrinſecum prima ſententia eſt Scoti & diſcipulorum eius, Angelos eſſe in eiuſmodi loco intrinſeco per propriam ſuam ſubſtantiam. Verùm hæc ſententia tantùm intelligit ſubſtantiam Angelorum verè eſſe in loco & ita vera eſt, quia verè ſubſtantialiter Angeli ſunt in loco: ſed non reſpondet ad propoſitum, quia non eſt dubium quin Angeli ſubſtantia verè loco definiatur, ſed tantum quæritur ratio formalis per quam talis ſubſtantia ponitur in eiuſmodi loco intrinſeco, & ſic falſa eſt, hácque ratione.

Refellitur: ſi Angeli ſubſtantia eſſet ratio formalis, per quam conſtitueretur in loco intrinſeco, cùm eadem ſemper maneat Angeli ſubſtantia abſque mutatione, maneret ſemper eadem conſtitutio Angeli in loco intrinſeco, quod tamen manifeſtè falſum, cùm Angeli identidem loca etiam intrinſeca mutent, ergo, &c. Pari ratione illi etiã refelluntur qui afferunt exiſtentiam eſſe rationem formalem conſtitutionis Angelorum in ipſo loco intrinſeco, cùm ſcilicet eadem ſemper ſit exiſtentia Angeli, intrinſecus tamen eius locus ſæpiſſimè mutetur.

Secunda ſententia eſt Caietani prima p. q. 51. art. 1. Angelos formaliter in loco intrinſeco cõſtitui per operationẽ immanentem, ſeu dici formaliter in tali loco, quando volunt applicare ſuam



Digitized by Google

virtutem ad agendum, quæ volitio eſt actus immanens voluntatis. Aſt hæc etiam ſententia meritò reiicitur, tum quia intelligitur Angelus in loco intrinſeco poſitus, abſque eo quod intelligitur velle ſuam virtutem ad agẽdum applicare, etenim eo ipſo quod exiſtit in rerum natura, neceſſariò eſt in loco intrinſeco, ſeu alicubi; liberè verò ſeſe applicat ad agendum, & poteſt non applicare, quia poteſt Angelus in aliquo loco exiſtens nolle operari, & tamen nolle ab eo loco recedere.

Tertia ſententia videtur eſſe D. Thomę ſupra, ſcilicet prima parte quæſt. 51. art. 1. Angelos conſtitui formaliter in loco intrinſeco per operationẽ tranſeuntem, ait enim eos eſſe in loco per contactum virtutis. Ægidius autem Ferrarienſis & aliis Thomiſtæ per contactum virtutis intelligunt ipſam operationem tranſeuntem.

Exploditur etiam hæc ſententia, tum quia prius Angelus intelligitur eſſe in loco, quàm operari operatione tranſeunte, tùm quia poteſt Angelus nihil ad extra operari, Deo ſuum concurſum ſubtrahente, & tamen in eo loco quem habebat remanere, ac Dei beneficio conſeruari.

Itaque quarta & omniũ probabiliſſima eſt quam ſequimur, Angelos conſtitui formaliter in loco intrinſeco per proprium ſuum *vbi*, ſeu per modum intrinſecum præſentiæ realis *hic*, vi cuius nõ ſint alibi, quod proportione ſerua explicari debet, vt in corporibus.

Quod autem attinet ad locum extrinſecum, D. Thomas, & eius ſectatores cum Suare tom. 2. Metaph. diſp. 51. ſect. 4. numero 20. volunt Angelos conſtitui in eiuſmodi loco per operationem tranſeuntem; quia inquiunt, Angeli non ſunt extenſi, niſi quando operantur ad extra; non poſſunt autem eſſe in loco intrinſeco, niſi ſint extenſi, ſaltem virtuali extenſione.

Sed contra hanc ſententiam & contra rationem cui innititur probabilius concludimus Angelum non conſtitui in ipſo loco intrinſeco per operationẽ illam tranſeuntem, ñeque poſſe vt maneat extenſus virtuali ſua extenſione, & ita loco extrinſeco comprehendatur, etſi non operetur ad extra, quia poteſt Deus ipſum ſic intenſum creare in aliquo loco, & tamen cum eo non concurrrere ad tranſeuntem actionem exercendam.

Rogabis tertiò an motus localis ſit in Angelo?

Reſpondeo affirmatiuè propter perſpicua ſcripturæ ſacrę teſtimonia. Gen. 28. *Vidit Iacob ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen eius tangens cœlum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes per illam.* Lucæ 1. *Miſſus eſt Gabriel Angelus ad Virginem, &c.*

Rogabis quartò, vtrum Angelus poſſit ab vna extremitate ſpatii ad aliam extremitatẽ impertrãſito medio moueri?

Reſpondeo negatiuè, contra Thomiſtas: talis enim eſt connexio locorũ vt vicinior locus prius per motum traiici debeat quàm remotior, ergo ab vna extremitate non poteſt fieri tranſitus ad extremitatem impertranſito medio.

Rogabis quintò vtrum detur intellectus in Angelo? Reſpondeo affirmatiuè, imò ipſi Angeli ab intelligendi potentia communiter vocantur intelligentię.

Rogabis ſextò quódnam ſit obiectum intellectus Angelici, ſeu quid Angelus agnoſcere poteſt? Reſpondeo primò ſeipſum poſſe cognoſcere, probóque; nam Angelus non minus ſeipſum intelligere poteſt, quàm anima ſeipſam. cùm tamen hoc poſterius ad-

Digitized by Google

mittatur communiter à Philoſophis?

Reſpondeo ſecundò Angelum naturaliter poſſe cognoſcere Deum, probóque: Deus continetur ſub obiecto intellectus creati, ex conſenſu omnium Theologorum, ergo ſub obiecto intellectus Angelici, qui eſt omnium perfectiſſimus.

Reſpondeo tertiò, cognoſcere res materiales, ipſáque ſingularia materialia, probóque, tum quia res illæ materiales, & ſingularia materialia ſunt entia cognoſcibilia, ergo potiſſimum ab intellectu Angelico: tum quia poteſt Angelus eorum cognitionem appetere, proindéque ne irritus & inanis ſit ille appetitus, debet poſſe eorum cognitionem aſſequi: tum demùm quia Angeli ſunt adminiſtratorii ſpiritus, ideòque res ipſas materiales latiſſimo vniuerſi ambitu comprehenſas debent cognoſcere.

Reſpondeo quartò, Angelum poſſe naturaliter cognoſcere, ídque certò & infallibiliter futura contingentio, tam quæ ex cauſa neceſſaria vt plurimum eueniunt, quàm quæ rarò fiunt, & poſſunt impediri ab aliqua cauſa naturali, non tamen ea quæ ex libero arbitrio, ſiue Dei, ſiue creaturæ rationalis proficiſcuntur.

Prima pars eſt indubita, cùm enim Angeli cognoſcant omnes cauſas naturales, quidni & cognoſcent effecta illa futura, quæ ab ipſis cauſis naturalibus neceſſariò proficiſcuntur; potiſſimum cùm inter homines aſtrologi hác infallibilem & certam huiuſmodi futurorum contingentium notitiam habeant, ſic enim videmus eos cùm Solis tum Lunæ defectus, aſtrorum curſus, & cætera id genus aliis infallibiliter prædicere.

Secunda verò pars videtur eſſe contra D. Thomam, prima parte, qu. 57. art. 3. Vult enim Angelum eiuſmodi futura rarò contingentia, & quæ poſſunt impediri à cauſa aliqua naturali, ſolum per coniecturas, & non neceſſariò ac infallibiliter cognoſcere.

Probatur tamen facile, quia quamuis futura illa contingentia reſpectu ſuæ cauſæ propriæ non ſint neceſſaria, tamen comparatione omnium cauſarum neceſſitatem induunt, vt ſi quis cognouerit omnem cauſarum ſeriem, effectum futurum neceſſariò cognoſcere debeat, quia nulla harum impediendum intelliget.

Poſtrema denique pars facilè quoque probatur, tum ex locutione Patrum, qui Deo proprium faciunt futura contingentia cognoſcere, quod ad minus de futuris contingentibus liberis intelligi debet: tùm quia ab hoc vt Angelus aliquid neceſſariò & infallibiliter cognoſcat, debet habere aliquod eſſe neceſſarium, vel in ſe, vel in ſua cauſa: ſed futura contingentia libera neque in ſe habent eſſe neceſſarium, quia poſſunt eſſe & non eſſe, neque etiam in ſua cauſa, quia ipſa libera eſt, & poteſt pro ſua libertate illa non producere: ergo futura illa contingentia libera non poſſunt neceſſariò & infallibiliter cognoſci ab Angelo ſolis naturæ ſuæ viribus ſpectato.

Dixi neceſſariò & infallibiliter, quia non eſt diffitendum ipſum dæmonem, vt ſummâ pollet animi ſubtilitate, & multarum rerum experientiâ valet, ex quibuſdam præuiis prædicere poſſe futuro contingentia, vt potè ſeditionem in ciuitate, cognito prauo ciuium inter ſe affectu, hoc tamen nunquam neceſſariò & indubitanter intelliget.

Hinc ſequitur primò Angelos cognitione intuitiua & diſtincta, cordium cogitationes, tam aliorum An-

gelorum quàm hominum cognoſcere non poſſe. Confirmatur, tum quia ſæpè dæmones eos tentant, quibus ſuperantur, quod minimè facerent ſi internas eorum cogitationes cognoſcerent: tùm quia Angeli ſe inuicem alloquuntur, vt fatentur omnes Theologi, at collocutio illa ad hunc finem videtur inſtituta vt vnus Angelus interiores ſuas cogitationes alteri patefaciat: tùm demum quia Patres euincunt diuinitatem Chriſti ex eo quod futuras hominum cogitationes cognouerit.

Dixi futuras, licet enim de illis vt exiſtentibus agatur, fateor actu eas non cognoſci propter ſuauem rerum ordinem à diuina prouidentia inſtitutum, arbitror tamen poſſe cognoſci.

Prior pars probatur, nam ſi Angelus cordis cogitationes cognoſceret, fruſtranea eſſet Angelorum collocutio, ideò enim tantùm ponitur vt vnus alteri ſuas cogitationes præſentes aperiat, quod abſurdum eſt: adde etiam quod Deus ſcrutari dicatur renes, & corda: quod malè diceretur, ſi Angeli præſentes cogitationes cognoſcerent.

Poſterior verò pars probatur, tum quia cogitationes cordis, vt præſentes, ſunt naturales & neceſſariæ: naturales quidem cum ſint à principio naturali, putà libero arbitrio: neceſſariæ verò, quia *res omnis quamdiu eſt, neceſſariò eſt*, ex communi Metaphyſicorum axiomate: ergo illæ cogitationes ſunt intra ambitum obiecti naturalis cognitionis Angelorum: tum quia non minus cogitationes cordis, vt præſentes, ſunt de obiecto naturali cognitionis Angelicę, quàm ſit ipſa directio cogitationum ad Angelum facta vt ſi, verbi gratia, preces aliquas intus formatas ad D. Michaëlem referas, nam & cogitationes cordis & directio earumdem ſunt libera contingentia: atqui directio cogitationum ex ipſiſmet aduerſariis eſt de obiecto naturali cognitionis Angelorũ aliàs enim non ſe alloquerentur naturaliter, ſuas ad inuicem dirigendo cogitationes, ergo cogitationes cordis, vt præſentes, ſunt de obiecto naturali cognitionis Angelicæ.

Rogabis ſeptimò, an Angeli res omnes per ſpecies, vel proprias ſubſtantias intelligant? Dubium ſoluetur his propoſitionibus.

*Prima propoſitio.*

Angelus ſeipſum, & ſua accidentia intelligit ſine ſpecie, per ſuam ipſam ſubſtantiam.

Probatur, tantùm requiritur ſpecies ad ſupplendam obiecti abſentiam, atqui Angelus non abeſt à ſeipſo, nec accidentia ab eo ſeiuncta ſunt, ſed ipſi intimè coniuncta, ergo, &c.

*Secunda propoſitio.*

Angelus non cognoſcit Deum per ſpeciem, ſed per ſuam & aliarum creaturarum ſubſtantiam. Quod non per ſpeciem facili negotio oſtenditur, ſpecies tantùm admittitur vt obiecti abſentiam ſuppleat, ex ſuperioribus: atqui *Deus à nulla re abeſt: ſed in omnes intimè illabitur*: ergo Angelus non cognoſcit Deum per ſpeciem.

Ex quo ſequitur per ſuam & aliarum rerum ſubſtantiam Angelum ad Dei notitiam aſſurgere; confirmatúrque: Cùm Angelus ſe & res alias intelligit; cognoſcit ſe, réſque alias eſſe ab aliquo productas, ergo aliquem rerum omnium creatorem agnoſcit quem quidem alium à Deo eſſe non poſſe certò tenet.

Digitized by Google

*Tertia propoſitio.*

Qvamuis non implicet contradictionem Angelum ſine ſpecie alia à ſe, & à Deo intelligere, actu tamen & de facto illa non intelligit, ſed per ſpecies intelligibiles. Prima pars patet ex eo quod concurſus quem præbet ſpecies intelligibilis ad intelligendum, reuocetur ad genus cauſæ efficientis, Deus autem poſſit de ſua abſoluta potentia efficientiam alicuius entis alteri communicare, ac proinde efficientiam ſpeciei intelligibilis circa res creatas alias ab Angelo ipſi eius ſubſtantiæ tribuere.

Secunda verò pars, nempe Angelum, res illas per ſuam ſubſtantiam non intelligere: hinc demonſtratur, quòd Angeli ſubſtantia nec ſit illarum cauſa, nec effectus, neceſſe verò ſit medium quo aliquid cognoſcitur ad illud referri, vel habitudine effectus, vel relatione cauſæ, vt communiter admittitur; & ex eo patet quod ideò Theologi velint Deum per ſuam ſubſtantiam rerum omnium cognitionem habere, quia illarum omnium cauſa eſt. Ex quo ſequitur, tertia pars huius propoſitionis ſatis probata: Angelos res alias à ſe per ſpecies intelligibiles cognoſcere.

Rogabis octauò quomodo producatur ſpecies illæ in Angelis, an ipſis infundantur, an verò ab obiectis accipiantur?

Reſpondeo ſpecies illas infundi, non tamen ab obiectis accipi. Probatur: Obiecta intellectus Angelici ſunt res materiales, & ſpiritales: ex nullis ſpecies accipi poſſunt, quæ in Angelis recipiantur, non ex materialibus, quia res materiales non poſſunt agere in rem ſpiritalem, & qualitatem ſpiritalem producere, qualis eſt ſpecies intelligibilis in Angelo: non etiam ex rebus ſpiritalibus, quoniam, licet rem ſpiritalem producere poſſint, tamen cùm aliquando valdè remotę ſint ab intellectu alicuius Angeli, priùs ſpecies ab ipſis producta in ſpatio intermedio recipi deberet, quod non cadit ſub intellectum, cùm ſpatium illud ſit aliquid naturale & corporeum, ſpecies verò illa ſpiritalis & immaterialis.

Rogabis nonò, an dentur ſpecies vniuerſales in Angelis, ſeu an Angeli per vnicam ſpeciem multa ſimul intelligant? Reſpondeo affirmatiuè, probóque. Quò res ſunt perfectiores, eò magis accedunt ad Deum, & magis participāt diuinas perfectiones; ergò cùm ea ſit Dei perfectio, vt multa, imò omnia vnica velut ſpecie, ſua nempe eſſentiā intelligat; Angelis vt potè perfectiſſimis creaturis denegari non debet, quod ſi non omnia, ſaltem multa, per vnicam ſpeciem intelligant.

Ex hac ratione Theologi inferunt, quò Angeli ſunt ſuperiores, eò intelligere per ſpecies vniuerſaliores, ſeu Angelum ſuperiorem per vnicam ſpeciem plura intelligere, quàm inferiorem.

Obiicies, multarum rerum non poteſt eſſe eadem ſimilitudo & repreſentatio, ergò non poſſunt Angeli per vnicam ſpeciem res multas intelligere.

Diſtinguo antecedens, non poteſt eſſe eadem ſimilitudo & repræſentatio multarum rerum, formalis & expreſſa, concedo; efficiens & impreſſa, nego: qualis eſt ſpecies illa intelligibilis, quam in ipſis Angelis admittimus.

Rogabis vltimò, vtrum diſcurſus reperiatur in Angelo?

Reſpondeo negatiuè, quamquam enim Angelus vnum in alio & poſt aliud cognoſcat, non tamen ex alio, in



Digitized by Google

quo conſiſtit propria ratio diſcurſus.

Reliqua quæ de Angelis dici poſſent petantur ex Theologis prima Parte.

## SECTIO QVARTA, ET POSTREMA.

*De ente infinito, ſeu Deo.*

## QVÆSTIO PRIMA, ET SECVNDA.

*De nomine & exiſtentia Dei.*

QVeris quomodo Deus vocetur? ipſe tibi reſpondet: *Ego ſum qui ſum, ego alpha & omega*, principium & finis, principium ſine principio, ſine fine finis: *Ego D*[*omi*]*n*[*us*] *non mutor, rerum omnium motor, omnipotens nomen meum, ego immenſus, infinita & immenſa maieſtatis.* Itáque Dei nomine intelligitur ens omnibus neceſſarium, infinitum, ac per eſſentiam exiſtens.

Quod ad eius exiſtentiam attinet, nonnullæ in medium proferendæ ſunt demonſtrationes, quibus non tantùm fidelibus Chriſtianis, ſed etiam Paganis, ipſius Dei exiſtentiam perſuadere poſſis. Prima hæc eſt, datur prima aliqua rerum omnium cauſa per ſe, & eſſentialiter exiſtens; atqui talis cauſa debet eſſe ens aliquod neceſſarium, infinitum, æternum, vno verbo Deus, ergo de facto datur Deus. Minor facilè oſtenditur, prima illa cauſa nulla alia eſt, & à nulla alia dependet, ſed ſeipſa ac per exiſtentiã exiſtit, idque ad omni æternitate, alioquin cœpiſſet exiſtere, ſicque minimè prima eſſet, ergo prima illa cauſa debet eſſe ens neceſſarium, infinitum, æternum, vno verbo Deus. Maior verò ab incommodo probatur, ſi non detur prima illa rerum omnium cauſa, dabitur progreſſus infinitus; cùm enim res non ſint à ſe, ab alia cauſa ſuperiori eſſe debent, hæc rurſus ab alia, & ita in infinitum, quod Philoſophi vnanimiter reiiciunt.

Secunda ratio petitur à pulcherrimo vniuerſi ordine, qui ſurdâ voce, valdè tamen intelligibili, Deum opt. max. authorem ſuum & gubernatorem palã omnibus teſtatur; omnibus quidem, quia vt regiè Regius Propheta: *Non ſunt loquela, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum.*

Tertia demonſtratio deſumitur ex ſtudio hominum ad virtutem, quod inane eſſet, ſi non daretur Deus bonorum remunerator, & impiorum acerrimus vindex.

Sumitur item ex naturali inclinatione hominum ad beatitudinem, non iſtam tantùm imperfectam, & adumbratam, terrenam intelligo, quę non habita, deſiderium mouet, habita verò in faſtidium vertitur, ſed ſuperiorem aliquam quæ noſtrum appetitum ad maiora perpetuò anhelantem abũdè replere poſſit, qualis beatitudo ſolus eſt Deus, iuxta illud citatum D. Bernardi in moralibus: *Auida mens hominis creatis rebus occupari, ſatiari non poteſt; ergo capacem Dei animam quicquid Deo minus eſt, non implebit.*

Accedit denique ſcripturæ ſacræ authoritas, ſibique perpetuo conſentiens patrum omnium ſententia, quibus omnibus refragari ſumma impietas, impia temeritas, & temeraria præſumptio.

## QVÆSTIO TERTIA.

*De eſſentia Dei.*

DVobus modis Dei eſſentiam poſſumus inueſtigare, poſitiuè aſſerendo quid ſit, vel negatiuè dicendo quid non ſit; atque hic poſterior modus longè nobis facilior eſt; cùm enim Deus poſuerit tenebras latibulum ſuum & in nube tabernaculum ſuum, ſcitur potius docta ignorantia, quàm cognoſcitur indocta temeritate.

Vnicam hîc difficultatem ad Dei eſſentiam explicandam pertinentem

Digitized by Google

operę prætium eſt adiungere, an iſta ſimplex ſit diuina eſſentia, vt omnem planè compoſitionem ſiue ex materia & forma, ſiue ex eſſentia & exiſtentia remoueat.

Reſpondeo affirmatiuè, proboque, omnis compoſitio dicit imperfectionem, ergo à Deo remoueri debet. Antecedens probatur, omnis compoſitio dicit rem fieri ex imperfectis, nempè ex partibus, ergo dicit imperfectionē; nam pars, quatenus pars, inuoluit imperfectionem.

Confirmatur, quicquid componitur ex partibus debet eſſe poſterius naturâ poſterior ipſis partibus quibus componeretur, quod dici non poteſt.

## QVÆSTIO QVARTA, ET POSTREMA.

### *De veluti affectionibus & proprietatibus Dei.*

Veluti dixi, quoniam ea de quibus dicturi ſumus, potius dicenda ſunt diuida attributa, quàm affectiones, vel proprietates, cùm ſint de eſſentia Dei.

Primum quod occurrit eſt immutabilitas, ſeu eſſēdi neceſſitas, Malachię 3. *Ego Deus, & non mutor:* & D. Iacobi 1. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.*

Fauet ratio, illud eſt ſimpliciter & abſolutè neceſſarium, quod neque ab intrinſeco neque ab extrinſeco deſtrui immutariue poteſt, atqui Deus huiuſmodi eſt, quia in primis à nullo extrinſeco dependet, & ſic ab eo mutari non poteſt: deinde verò cùm ſit longè purior Angelis, & ſimplicior, nullum intra ſe agnoſcit mutationis principium, ergo, &c.

Confirmatur, quicquid mutatur, aut mutatur amittendo quod habebat, aut acquirendo quod non habebat, neutrum de Deo affirmari poteſt, ergo, &c.

Probatur minor ſecundum vtramque partem, quod aliquid admittit, poſtquam illud amiſit minus perfectum eſt, quàm anteà eſſet, & quod aliquid acquirit poſtquam acquiſiuit, redditur perfectius, ſed implicat Deum aut fieri imperfectiorem, aut fuiſſe perfectiorem, ergo, &c.

Secundum attributum eſt infinitas, Pſal. 144. *Magnitudinis eius non eſt finis:* Baruch. 1. *Magnus eſt, & finem non habet.* Accedit ratio, omni ente finito aliud maius, & perfectius dari poteſt: atqui Deo nullum ens perfectius aſſignari poteſt, ergo, &c.

Tertium eſt immenſitas, Iſaiæ 66. *Cælum ſedes meâ, & terra ſcabellum pedum meorum.*

Quartum eſt vnitas, Deuteron. 36. *Videte quia ego ſum ſolus, & non eſt alius præter me.*

Alia ſunt attributa penè innumerabilia, veritas, bonitas, ſapientia, ſcientia, prouidentia, &c. de quibus, ſi placet, audietis Theologos, & habebitis breuem breui tempore ſummam, & compendioſam tractationem.

Hæc de Deo, in cuius nomine, & numine hoc laboris plenum opus, & induſtriæ abſoluimus. Supereſt, vt pro immortali beneficio Deo immortali gratis habeamus immortales: animum dedit incipienti, vires addidit progredienti, operis nunc ad calcem ſcilicet perducti fructum legentibus plena manu impertiatur.

*Vniuerſæ Philoſophiæ finis.*

Hæc omnia ſanè Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ matris meæ iudicio, & cenſurę, humiliter ſubmitto.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

# INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVÆ in Metaphiſicæ libello continentur.

## A


ACcidens, & qualis ſit eius conceptus, & an ab inferioribus accidentibus ſit ratione ſimpliciter præciſus, & vtrum inhærentia ſit de ipſius eſſentia. 439 440

Actus nomen multifariam vſurpatur. 437

Actus & potentiæ multiplex acceptio. ibid.

Aliquid, duobus modis poteſt exiſtere. 415

Angeli nòmen non naturæ, ſed officii eſt. 440

Angeli ſunt plures, ſed numerus illorum non conſtat. 441

an Angeli res omnes per ſpecies, vel proprias ſuſtantias intelligant 446. quomodo producantur ſpecies illæ in eis. 447

an Angeli per vnicam ſpeciem multa ſimul intelligant. 447

Angeli quo modo conſtituantur in loco. 444. an motus localis ſit in illis. ibid.

angeli pertinent ad obiectum metaphyſicę. 392

Angeli compoſiti ſunt ex genere & differentia. 441 vtrum, ex materia, & forma compoſitiſint ibid. & ſeq.

in Angelo vtrum detur intellectus. 445. quid cognoſcere poteſt ib. & ſeq. vtrũ diſcurſus in eo reperiatur. 447

Angelorum exiſtentia. 441

Angelorum affectiones. 443. vtrum omnes diſtinguantur ſpecie. ibid

Angelus vtrum poſſit ab vna extremitate ſpatii, ad aliam extremitatem impertranſito medio moueri. 444

Anima rationalis pri us intelligitur per creationem producta, quàm corpori vnita 418. quomodo probetur. ibid. & ſeq.


## B


an BOnitas ſit adæquata entis proprietas. 434


## C


COnceptus nomen & exiſtentia 421 eius diuiſio. ibid. & ſeq.

Conceptus entis eſſentia 422. vtrum proprias inferiorum entium rationes ac veluti differentias includat, an verò ſit ab illis præciſus & vnus. ib.

Conceptus entis obiectiuus vtrum ſit ratione ſimpliciter vnus, & præciſus. 424

Conceptus entis obiectiuus vtrum ſit reipſa præciſus à ſuis inferioribus ſeu ante mentis operam diſtinctus. 424. 425 & ſeq.

Conceptus entis affectiones. 426.

Contingentia, & an detur. 436

646



D

DEi nomen, & exiſtentia. 858. eius eſſentia duobus modis poteſt inueſtigari. 860
Dei eſſentia an ita ſimplex ſit, vt omnem planè compoſitionem ſiue ex materia,& forma, ſiue ex eſſentia & exiſtentia remoueat. 449
Dei attributa,& proprietates. ibid.
Differentiæ ſpecificæ, & indiuidualis diſcrimen. 432

E

ENs dupliter vſurpari poteſt. 398 eiuſdem varia acceptio. ibid.
ſupra Ens, quid addat vnum. 430
Ens reſpectu Dei, & creaturarum habet cognitionis principia. 404
Ens vtrum prædicetur de differentiis vltimis, & in illis includatur. 427
Entis nomen, & exiſtentia proprietatum eius ſunt in duplici differentia. idib.
Entis tres ſunt verè incomplexæ proprietates, 427
Entis eſſentia, & affectiones proprietatum eius. 429
Entis diuiſio multiplex. 398
Entis variæ diuiſionis interpretatio. ibid. & ſeq.
Entia rationis non ſunt de obiectio metaphyſicæ. 393
Entia per accidens, vt ſic, non habent locum directè in obiecto Metaphyſicæ. ibid.
Entitas differt ab eſſentia 420 quibuſnam rebus tribui poſſit ibid reperitur in rebus materialibus& corporeis. ibid.
Entitas reperitur in iis accidentib. ſpiritalibus, quæ vel intenſionem, vel remiſſionem ſuſcipiunt 421 rebus ſpiritalibus ſimiliter conuenit. ibid.
Eſſentia duplex 410. eius exiſtentia probatur ibid. & ſeq.
Eſſentia eſſentiæ quæ ſit 412 eiuſdem affectiones. ibid. & ſeq.
Eſſentiæ exiſtentia bifariam quæri poteſt. 410
Eſſentiæ nomen,& eius varia acceptio. 409.
Exiſtentia quid ſit. 414. ſeq. eius affectiones.
Exiſtentiæ nomine quid intelligunt Philoſophi 414 in quo ſubiecto recipiatur. 415
Exiſtentiæ cauſa efficiens quæ ſit ibid.

F

FAlſitas utrum detur 433 in quibuſnam rebus inueniatur. 434
Falſitas non conuenit rebus per ordinē ad diuinum intellectum, ſiue ſpeculatiuum, ſiue practicum. 434. quomodo veritati opponatur. ibi. vnde oriatur. ibid.

G

vera GEnera diſtinctionum aſſignantur difficilè, & qua ratione. 435
Genus omne contrahi debet ad ſua inferiora per veras differentiās. 426.
Genus & differentia diſtinguitur ex natura rei. ibid.

I

IGnis inferni actio in dæmones& animas agentis. 847
Indiuiduationis duplex eſt principium. 432

M

MEtaphyſica palmæ aſſimilatur eius nobilitas, diuerſáque nomina. 390
Metaphyſica eſt vera, & propria ſcientia. 391
Metaphyſica eſt ſapient. ibid



Digitized by Google

Metaphyſica eſt ſcientia ſpeculatiua, 392
Metaphyſicæ obiectum quod ſit ib ad eius obiectum Angeli pertinent. ibid.
Metaphyſica vtrum deſcendat vſque ad ſpeciales ſingulorum entium ratione. 394
Metaphyſica eſt vna ſcientia ſpecie. 396
Metaphyſica cuilibet ſcientiæ ſuum obiectum præcribit. ibid & ſeq.
de Metaphyſicæ obiecto entia rationis non ſunt. 453

N

NEceſſarium, & an detur aliqua cauſa efficiens creata quæ neceſſariò agat. 436

P

POtentia agendi & patiendi, & eius definitio 437. an adæquatè diuidatur in actiuam & paſſiuam. ibid.
Potentia reſiſtendi duobus modis conſideratur, ibid. an aliqua dari poſſit quæ ſimul actiua ſit & paſſiua ibid.
Potentia indifferens vtrum detur. 438
de Potentia obedientiali diſputant Theologi. ibid.
Principia complexa, & quę *cognitiones* vocantur, explicantur. 406. & ſeq.
Principum in vniuerſum duplex, rei & cognitionis. 403
ad Principii rationem duo ſunt neceſſaria. ibid
Principii rei multiplex diuiſio. ibid & ſeq.
Principiorum eſſentia quomodo explicatur. 406
Principiorum complexorum eſſentia & affectiones. 408

S

SVbſiſtentia quid, & eius varia acceptio. 416. eius eſſentia explicatur 417
Subſiſtentiæ definitio communis. ibid.
Subſiſtentia & ſuppoſitum poſſunt eſſe diuiſibilia. 418. per Subſiſtentiam habet ſubſtantia realiter vt non ſit in alio. 419
Subſtantia an ſit prior cognitione accidente. 439
Suppoſitum addit aliquid ſupra naturam ſingularem. 419
Suppoſitum non addit tantùm ſupra naturam ſingularem negationem aliquam. ibid.
Suppoſiti diſtinctio à natura ſingulari. ibid.

V

VErbum diuinum in aſſumpta humanitate ſuppleuit aliquid reale, & non ſolam negationem. 419
Verum, quid. 433
Vnitas eſt vnum ex diuinis attributis. 449
Vnitatis affectiones quę. 432
Vnitatis nomen & exiſtentia. 429 an illa ſit ædequata entis proprietas. ibid & ſeq.
Vnum, quid addat ſupra ens. 430
Vnum addit ſupra ens negationem diuiſionis in ſe. ibid
Vnum formaliter dicit unitatem. 431

FINIS

Digitized by Google